



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.


Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>









]

I CAPIBREVI

DI

GIOVANNI LUCA BARBERI ✓

ORA PER LA PRIMA VOLTA PUBBLICATI .

DA

GIUSEPPE SILVESTRI

---

VOL. II.

I FEUDI DEL VAL DI DEMINA

I, 8

PALERMO

Tipografia di Michele Amenta

—  
1886



DG  
 861.2.  
 +B3  
 —  
 2

## FEUDA IN VALLE DEMONUM EXISTENTIA

---

### **De Monte sive podio Mompileri**

---

Mons sive podium de Mompileri cum terris et membris suis in montis Ethnei pendiciis in territorio Paternionis consistens, per Dominos Reges utrumque Martinum et Reginam Mariam cui-dam Galvagno de Turtureto suisque inperpetuum heredibus et successoribus, sub granorum decem census prestacione annua Curie regie solvendorum, concessum fuisse constat; in cuiusdam privilegii dicatorum Dominorum Regum et Regine vim, notati in libro anni 1399, VIII indictionis fog. 41, quod privilegium est tenoris sequentis.

Martinus Dei gracia Rex Aragonum etc. Presentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod ad humilem supplicacionem culminibus nostris nuper factam per Galvagnum de Turturito familiarem et fidelem nostrum, actendentes presertim puram fidem et devocionem sinceram quam dictus Gaivanus continuatis successibus ex sua puericia nostris semper gessit Majestatibus, personam propriam guerrarum turbini-bus submictere non dubitando, que prestat ad presens servicia satis grata et prestare poterit, dante Domino, in futurum meliora; quoddam podium sive montem unum dictum Mompileri, positum

in pendiciis montis Ethne in territorio Paternionis. cum quibuscumque membris, terris cultis et incultis, laboratoriiis et sterilibus, fovea, pendiciis omnibus seu pendentibus dicti montis seu podii ex quolibet latere ipsius montis; nec non arboribus quibuscumque et terris omnibus in eodem podio seu monte et pendiciis suis ex quocumque latere ut supra situatis, per nostram Curiam possessis de presenti, et ad ipsam nostram Curiam spectantibus quoquomodo. Que terre sive pendicia fovea et mons confinantur cum vinea et terris dicti Galvagni ex parte orientis, et ex parte occidentis et meridiey cum vineis que fuerunt quondam Gulielmi Faylla, et ex parte septentrionis cum vineis monasterii sancti Nicolay de Arenis et aliis confinibus; nec non cum omnibus et singulis juribus, tenimentis, rationibus, et pertinenciis universis terrarum et pendentiarum predictarum montis et podii supradicti, ac ingressibus terrarum earumdem cum quibus omnibus Curia nostra ipsum podium sive montem et terras ipsas cum pendiciis et arboribus tenuit et possedit, ac tenet et possidet de presenti, et tenere posset atque possidere eidem Galvagno Turtureti et suis heredibus et successoribus imperpetuum, sub annua prestacione census granorum auri decem ponderis generalis, nostre Curie dicte terre Paternionis in fine cujuslibet anni per dictum Galvagnum et suos heredes et successores predictos perpetuo solvendorum, ex certa scientia et ex nostra liberalitate gracie concedimus et donamus. Mandantes Vice Secreto Terre Paternionis predictae presenti quatenus censum in quaterno Secrecie ejusdem terre et in numero aliorum censualium dicte Curie notet et scribat, et futuris quam etiam singulis temporibus censum ipsum exigant et requirant, prefatumque Galvagnum in corporalem possessionem dicti podii sive montis et terrarum et pendiciorum predictorum cum arboribus ponant et inducant, et inductum ipsum et suos exinde successores manuteneant et defendant, juribus Curie et cuiuslibet alterius semper salvis. In cujus rey testimonium presens privilegium exinde fieri jussimus nostri magni pendentis sigilli munimine roboratum. Rex Martinus. Datum Cathanie per nobilem Bartholomeum de Iuenio militem regni Sicilie cancellarium, consiliarium, familiarem et fidelem nostrum, anno dominice-Incarnationis Millesimo tricentesimo nonagesimo nono, die XXIX Ianuarii, VIII. Indictionis, Regnique nostri dicti Regis Aragonum anno quarto, dicti Regis Sicilie octavo, et dicte Regine XXIII.º

Dominus Rex mandavit mihi Iacobo de Aricio Prothonotario, presente Nicholao Grisafi magistro rationali.



Mortuo vero prenominato Galvagno de Turtureto, ut ex infra-scripti possessoris eiusdem montis sive podii relatione percepti, eidem Galvagno in dicto monte sive podio, Thomas de Turtureto prenominati Galvagni nepos, successit. Qui Thomas nonnullos filios et filias genuit; qui tandem omnes decessere, superstite tantum Lucia ipsius Thome filia. Que Lucia nupsit Joanni Thomasio de Muçicato ipsius montis in presentiarum possessori, Lucia autem prefata vitam cum morte exinde commutavit, nulla relicta prole. Et in ultimis quibus decessit, per testamentariam dispositionem eius heredem in dicto monte sive podio prefatum Joannem Thomasium de Muzicato eius virum instituit. Qui Ioannes Thomasius, morte dicte Lucie eius uxoris sequuta, possessionem dicti montis sive podii consequutus extitit; et usque ad presens, et de presenti, anno 1510 currente, idem Ioannes Thomasius montem prefatum sive podium de Mompileri cum dictis terris suis universis juxta dicti privilegii formam tenuit et possedit, et, ut dictum est, tenet et possidet, et reddit quolibet anno . . . . . 07 . . . .

---

*Allegatio de monte sive podio de Mompileri.*

---

Videndum est ac diligenter attendendum, abolita prenominati Galvagni de Turtureto genologia, que in prefata Lucia filia predicti Thomasii de Turtureto, et eiusdem Ioannis Thomasii de Muzicato eius montis possessoris uxore, extincta esse videtur, ex quo filios neque filias procreavit; si in eodem monte sive podio Vestra Catholica Majestas tamquam super Curie excadenciis jus habens succedere debet, vel si donatio sive testamentaria dispositio, per dictam Luciam facta prefato Joanni Thomasio de Muçicato illius viro, tamquam aliene persone et de alia genologia, nulla prehabita a Vestra Catholica Majestate confirmatione, ex quo solvebat et solvere debet Curie regie censum, fuerit et sit valida: nam firme sum opinionis dictam donationem sive testamentariam dispositionem non tenere.

Item advertendum est, quod ex preinserti privilegii verbis lu-

cipum super demanialibus edictorum reservatione, pro ut in quodam dicti domini Regis Martini privilegio dato Cathanie XXIV Septembris, VII Indictionis 1398, notato in libro dicti anni fog. 138, latissime patet.

Exinde vero in anno 1401, X Indictionis, prefato Peralcono de Baur, vita functo nullis relictis filiis, quondam Arnaldus de Choarasa a prefato domino Rege Martino privilegium obtinuit, continens in effectu, quod quoniam ipse dominus Rex prefato Peralcono, nec non et ipsi Arnaldo et eorum successoribus de eorum corpore legitime descendantibus, dicta Castrum et feuda Petre de Roma, ob prenominati Federici de Aragonia rebellionem, pro indiviso concesserat, et per ipsius Peralconi mortem nulla relicta legitima prole, dictorum Castri et feudorum medietas Curie regie devoluta erat: utique ad ipsius Arnaldi de Choarasa supplicationem ipse dominus Rex Martinus dicta Castrum et feuda integritate prefato Arnaldo et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus, ut supra, concessit, cum jurium regie Curie reservationibus, ut prefertur, ut in ipso dicti domini Regis Martini privilegio patet. Cui privilegio, etsi data et Secretarii mandatum deficiat, tamen privilegium ipsum in libro dicti anni 1401 fog. 59 de verbo ad verbum notatum extat. Nihilominus, forma privilegii prefato Peralcono de Baur concessi attencta, in quo continetur feuda et Castrum antedicta ipsi soli Peralcono et suis heredibus de suo corpore etc. fuisse concessa, et non utrique, videlicet ipsi Peralcono et dicto Arnaldo pro indiviso, clarissime colligi potest impetrationem a prefato Arnaldo de Choarasa obtentam fraudolenter sibi elargitam fuisse, et obrepticie tacita veritate concessam. Mirandum tamen non est, nam in bellorum turbinibus tunc temporis hoc in regno luctantibus, maximus erat privilegiorum conflictus, et innumerabiles pro et contra concessionem obtinebantur, adeo quod quicquid petebatur, ut plurimum, minus denegabatur.

In anno vero 1396, IV Indictionis, quandam amplissimam inveni remissionem, per dominos Reges Martinum et Mariam prenominato Federico de Aragonia cum bonorum restitutione factam, cum quorundam capitulorum insertione, in quibus omnia bona feudalia et burgensatica dicti Federici, antea ob illius rebellionem regie Curie applicata, specificè annotantur; tamen in nullo predictorum capitulorum de ipsius castri et feudorum Petre de Roma fit aliqua mentio; quamobrem eundem Federicum dicta Castrum et feudum numquam possedissee tenendum est, quo casu apparet prefatos Peralconum de Baur et Arnaldum de Choarasa eundem

Dominum Regem Martinum falso informasse, et sic illorum obtenta privilegia surrepticie et obrecticie impetrata fuisse.

Preterea per me scribasque meos, tam conjunctim quam divisim, omnibus regie Cancellarie registris penes me existentibus diligenter perquisitis, ab anno videlicet 1401 X Indictionis usque ad annum 1453, nullum privilegium, titulus vel scriptura de dictorum Castri et feudorum Petre de Roma concessione apparet; minusque invenire potui si prelibati Peralconus de Baur et Arnaldus de Choarasa virtute eorum privilegiorum dictorum Castri et feudi possessionem consequuti fuere, ac per hoc nullam vestre Catholice Majestati rationem dare possum: verum in libro magno investiturarum feudorum regni, quando feudotarii, vigore regni Capituli per dominum Regem Alfonsum concessi, se investiebant, quedam investitura invenitur, per quam apparet quondam Riccardum de Filingerio, comitatus sancti Marci Comitem, coram Archiepiscopo Simone panhormitano, tunc in Regno Presidente, per procuratorem exposuisse, quod cum ipse Comes post suorum predecessorum obitum et illorum successionem dictum Castrum et feuda Petre de Roma, nec non Casalia vocata Crapisusu, Mirti, Belmunti, Fazana, Mirtiro, et Crapijusu, cum eorum feudis tenuisset et possedisset, et de illis nullum in eius posse pervenisset privilegium, quod juramento firmavit, illudque in actis Prothonotariatus officii annotatum fuisse asseritur; utique de ipsis Castro et feudis Petre de Roma ac aliis prenomminatis Casalibus, investitura concederetur. Quapropter de possessione per annos triginta vel circa, constituto prefatus Presidens eidem Comiti Riccardo de Filingerio et suis heredibus de suo corpore etc, ipsorum Castri et feudorum Petre de Roma predictorumque Casalium cum illorum feudis, sub consueto militari servicio more Francorum etc, concessit; cum jurium regie Curie et Constitutionum domini Regis Jacobi super demanialibus editarum reservationibus, ut in dicta investitura data Panhormi primo Augusti prime Indictionis 1453, notata in libro dicti anni fog. 66, latius est videre.

Mortuo vero exinde prefato Comite Riccardo de Filingerio, Castrum et feuda Petre de Roma antedicta cum prenomminatis Casalibus in quondam Francisci de Filingerio posse devenere. Qui Franciscus, an fuerit dicti Comitis Riccardi filius vel legitimus successor, an ne, nulla scriptura docet; nam a dicto anno 1453 usque ad annum 1497 aliqua non apparet investitura per dictum Franciscum vel alium forte ejus predecessorem capta post dictum Riccardum: eapropter nullam de his dare possum rationem.

Tandem dicto Francisco de Filingerio defuncto, qui Castrum et feuda Petre de Roma ac Casalia antedicta cum eodem sancti Marci Comitatu possedisse asseritur, Ieronymus de Filingerio, illius legitimus filius et naturalis, de ipsis Comitatu sancti Marci Castro et feudis Petre de Roma ac Casalibus investituram a quondam don Ioanne de la Nuça, tunc in regno Prorege. consequutus est, datam Panhormi primo Septembris prime Indictionis 1497, notatam in libro dicti anni fog. 3.

Et in presentiarum, corrente anno 1510, castrum et feuda Petre de Roma antedicta per eundem Ieronymum de Filingerio, Comitatus predicti sancti Marci Comitem, possidentur; que annis singulis reddunt ultra. . . . . 07. . . .

---

*Allegatio de feudis Petre de Roma.*

---

Causis et rationibus per me in precedenti capitulo expositis, ad casus informationem et declarationem, ea que tam pro parte possidentis quam pro parte regii Fiscii faciunt; dico, tamen sum opinionis, ut possidens ipse ad verum et legitimum titulum edendum cogatur, ut ab experto videri possit, qualiter dicta Castrum et feuda Petre de Roma tunc temporis in prenominati Federici de Aragonia posse pervenerint, cum certum sit eundem Federicum rebellem et rerum demanialium atrocissimum usurpatorem fuisse; quod precipue dicendum est, quia in regia Cancellaria de eius titulo minus constat, immo de contrario patet. Nam in remissione cum bonorum restitutione ipsi Federico concessa, in qua omnia illius bona specificè describuntur, nulla fit de dictis castro et feudis Petre de Roma expressa mentio, adeo quod meo iudicio tenendum est, dictum Federicum de Aragonia predicta castrum et feuda Petre de Roma nunquam possedisse, immo potius illa ab ipsius regii demanii posse per eum usurpata fuisse; actencto maxime, quod castrum predictum apud mare consitum est, valdeque importat, et pro regni huius tuicione potius Regis quam Baronis esse prestat.

Similiterque, meo iudicio, prefatus possessor ad ostendendum

qualiter castrum et feuda predicta Petre de Roma in posse quondam Riccardi de Filingerio avi, seu proavi vel abavi ipsius possessoris pervenerint, cogendus esset. Non enim satis esse videtur dictum Riccardum de Filingerio prefato Archiepiscopo Simoni panhormitano, tunc Presidi, dixisse se nullum de castro et feudis predictis privilegium habuisse, nisi tantum possessionem, ob cuius possessionis verificationem investituram predictam habuit, tamen investitura ipsa non potest neque debet Vestre Catholice Majestati, tanquam legitimo successori et comune dominium habenti super tituli possessione, prejudicium aliquod inferre, quantumque vestra Catholica Celsitudo Regni Capitula observare juraverit. Nam tale juramentum, priori, quo Constituciones domini Regis Jacobi et alia regni Capitula super Demanialibus non alienandis edita, Vestra Regia Serenitas observari promisit, obstare non debet; nam in juramentorum conflictu priori juramento standum est, et precipue cum primum scienter, aliud vero in vim generalitatis prestitum sit, ut pluries in Capibrevio terrarum regni habitatarum, cui relatio habeatur, dixi. Quapropter si possessor ipse legitimum et verum titulum docuerit, juribus Vestre Catholice Majestatis satisfecerit et onus Vestre Regie conscientie levabitur.

---

**De Casalibus Mirti, Crapiusu, Belmonti, Mirtiro  
Fazana et Crapiusu.**

---

Quo vero ad Mirti, Crapiusu, Belmonti, Fazana, Mirtiro, et Crapiusu Casalia sive feuda, de quibus una cum Castro et feudis Petre de Roma quondam Riccardus de Filingerio ab Archiepiscopo Simone panhormitano, tunc in regno Presidente, nullo ostenso privilegio et titulo, ut supra exponitur, investituram obtinuit; dico, quod revisis per me diligenter regie Cancellarie codicibus, nullum inveni privilegium sive titulum concessionis dictorum casalium, nisi tantum privilegium remissionis predictae cum bonorum restitutione per dictum Dominum Regem Martinum prefato Federico de Aragonia concessum, in quo dicta casalia specificè denominan-



tur. In quo privilegio hoc inter cetera capitulum continetur, videlicet: item peti lo dicto don Federico la confirmacioni et de novo donationi in perpetuum di tucti li Casali di Mirto, li quali foro di misseri Federico di Aloysi, lu quali fu et e rebeli cum la parti di Claramonti et di lu castello di Belmunti de novu constructu et factu per lo dicto don Federico, lu quali esti in lu territorio di li dicti casali cum omnibus juribus et pertinenciis suis; et in casu chi li dicti Serenissimi Signuri havissiro concessi li dicti lochi ad altra persuna, chi la dicta donationi sia revocata et annullata per modo chi la possessioni et dominiu di li dicti casali et castelli resta per omni tempo in potiri di lo dicto don Federico et soy heredi in quietu. Placet.

Quod quidem remissionis privilegium notatum est in libro anni 1396 IV Indictionis f. 74. Quapropter per dicti capituli continentiam clare patet dictum Federicum de Aragonia predictorum casalium possessionem nunquam habuisse, immo potius, sub colore quod prenominati Federici de Aloysis rebellis fuerant, (*sic*) illa sibi occupasse; quo casu dum possessor non docebit qualiter dictus Federicus ante eius rebellionem dicta casalia justo titulo et legitima Regum concessione possidebat, dico, eundem Federicum eiusque successores Casalia ipsa in Vestre Catholice Majestatis prejudicium iudice tenere non potuisse. Cumque etiam remissio ipsa quasi coacte concessa fuerit, nulla habita de legitimo vel illegitimo titulo notitia et scientia. minus remissio ipsa tenere potest. Videmus enim omnia bona feudalia et burgensatica, et precipue terras sancti Filadelli et Longi, que per antedictam remissionem eidem Federico et suis heredibus confirmata et de novo concessa fuere, in posse aliorum non descendantium a dicto Federico de Aragonia ir presentiarum existere, ipsas enim terras et bona in vim regiarum concessionum hodierni possessores detinent: et sic manifeste colligitur remissionem predictam nullius fuisse et esse momenti et efficacie.

Unde, cum ignoretur an prefatus Riccardus de Filingerio a predicto Federico de Aragonia legitima successione aut venditione vel alias originem ducat, nec ne, precipue cum si ab eo descenderet a successione ipsa previis ex causis excluderetur, concludendo dico, possessorem dictorum Casalium compellendum fore ad demonstrandum regie Curie tam titulum dicti quondam Federici ante eius rebellionem, quam titulum qualiter dicta Casalia in posse dictorum de Filingerio, secundario pervenerint, et ultimo quomodo in istius Ieronymi de Filingerio sancti Marci Comitibus posse conde-

scenderint. Qui quidem Ieronymus Comes de Casalibus ipsis a pre-nominato domino Ioanne de la Nuça, tunc in regno Prorege, investituram, tanquam filius et heres prelibati quondam Francisci de Filingerio, simpliciter obtinuit, a quo Francisco nullam fuisse captam investituram apparet: et hoc ut percipiatur an fuerit ipse Ieronymus predicti quondam Riccardi de Filingerio filius, vel quomodo illi successerit.

Tandem prefatus Ieronymus de Filingerio, Comitatus sancti Marci Comes, dicta Casalia, licentia Viceregia precunte, Iacobo de Balsamo vendidit. Qui Iacobus, pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus more Francorum, a Don Raymundo de Cardona, olim in regno Prorege, de dictis casalibus investituram consequutus est, datam Panhormi V Iunii X Indictionis 1506, notatam in libro dicti anni fog. 861.

In presentiarum vero, currente anno 1510, casalia predicta a prefato Iacobo de Balsamo possidentur; que anno quolibet reddunt ultra . . . . . 07 LXXX.

Ipseque Iacobus de Balsamo de eisdem casalibus, ob mortem, Domini nostri Ferdinandi Regis, cepit investituram a Don Ioanne de Luna Presidente, die XV Septembris V Indictionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni f. 53, et iuravit reddere 07 LXXX.

---

#### De Castro et feudo Rasuctani.

---

Castrum et feudum Rasuctani, in valle demine ulterioris Sicilie Regni et in territorio terre Petralie Superioris situm et positum, pro ut ex infra notando privilegio facillime videri et colligi potest, feudum antiquum erat, eidemque Petralie terre subiectum, ac per quondam Anthonium de Vigintimilio, Golisani comitatus Comitem et ipsius Petralie terre Dominum, tunc possessum. Cui quidem Comiti Anthonio, ut asseritur, super feudo ipso nonnulli directus et precipue jura dohane solvebantur. Sub quo onere Franciscus Uberlus de Vigintimilio, prefati Comitis Anthonii affinis, etiam feudum antedictum tenebat et possidebat. Tandem Comes

Anthonium prefatus, ob sanguinis nexum, prenominato Francisco de Vigintimilio omnia et singula jura, que Comes ipse in feudo ipso Rasuctani habebat, et precipue dicte dohane jura dedit, renuntiavit et concessit: ita quod Franciscus Ubertus ipse, sui que heredes, per prefatum Comitem Anthonium, nec suos heredes, ullo unquam tempore inquietarentur et molestarentur. De qua quidem renunciacione et donacione sive jurium cessione, eidem Francisco Uberto de Vigintimilio, per prefatum Comitem Anthonium, privilegium per Dominos Reges utrumque Martinum exinde approbatum, confirmatum et de novo concessum, factum extitit: quod est notatum in libro anni 1396, V Indictionis f. 54 et hujusmodi est seriey, videlicet.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum et Martinus eadem gratia Rex Sicilie etc. Tenore presentis privilegii notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris ad quos spectet, quod Franciscus de Vigintimilio miles, consiliarius, familiaris et fidelis noster apud serenitatum nostrarum presentiam nuperrime constitutus obtulit humiliter et presentavit nobis et Curie nostre quoddam privilegium renunciacionis et jurium cessionis cuiusdam castri seu feudi vocati Ralsuctani, positi in regno nostro Sicilie in territorio terre Petralie superioris, suis certis finibus limitati; nec non remissionis et absolutionis juris dohane et certorum aliorum jurium seu dirictuum in quibus dictum castrum seu feudum et per consequens dictus Franciscus tenebatur nobili et egregio Anthonio de Vigintimilio Comiti Golisani et utriusque Petralie domino ac regni Sicilie maiori Camerario, Consiliario, Familiari et fideli nostro, ut nostris fuit per eundem Franciscum Majestatibus relatum factum, videlicet Francisco predicto militi per Nobilem Anthonium Comitem supradictum de renunciacione, cessione et remissione ac absolucione juris dohane et aliorum jurium, in dicto privilegio dicti Comitis eidem Francisco ut predicatur facto, notatorum et particulariter designatorum. Quod quidem privilegium propterea inspicere fecimus et videri, cuius tenor per omnia talis est: Nos Anthonius de Vigintimilio Dei et Regis gratia Comitatus Golisani et utriusque Petralie dominus, ac Regni Sicilie maior Cameraarius etc. universis et singulis officialibus nostris, presentibus et futuris, presentis privilegii serie inspecturis, salutem et sincere dilectionis affectum. Potestas dominantis extollitur cum circa suos et benemeritos munera tribuit atque donat; igitur ad supplicationem nuper nobis factam per magnificum et egregium dominum Franciscum Berti de Vigintimilio, consanguineum nostrum et fra-

trém carissimum, quod cum ipse magnificus dominus Franciscus teneat et possideat Castrum cum feudo et territorio Ralsuctani, cum juribus et pertinentiis suis, situm et positum in territorio terre nostre Petralie Superioris, suis finibus limitatum; de quo Castro et feudo seu territorio dictus Franciscus nobis in certis juribus fuit et est diversimode obligatus, et specialiter in jure dohane nobis debite, ut benignitas nostra a dicto jure solucionis dohane et ab aliis juribus omnibus, in quibus dictus magnificus et heredes sui pro dicto Castro, feudo et terris nobis et Curie nostre reperiretur obnoxius, ac nobis deberentur quoquomodo, predictum magnificum et heredes suos a solutione predictorum jurium dohane liberare et eximere atque immunem facere nostra benignitas dignaretur. Qua petitione, utpote justa, per nos clementer admissa, considerantes nexum sanguinis quo cum predicto magnifico tenemur astricti, satisque grata et accepta servitia nobis per eum collata, et que continuo prestat et conferre poterit in futurum, dante Domino, gratiora; eundem magnificum dominum Franciscum et heredes suos imperpetuum ab omnibus juribus, solucionibus, graviciis, angariis atque aliis servitutibus quibuscumque nobis et nostre Curie debitis per eum et predecessores suos pro dicto Castro, feudo et terris, pro ut ad presens dictus magnificus tenet et possidet, et specialiter a dicto jure dohane, quietamus, absolvimus et penitus liberamus per nos et heredes nostros, ipsosque immunes facimus de prestacione et solucione jurium predictorum per nos et heredes nostros omni futuro tempore; mandantes omnibus officialibus predictis firmiter et districte, quatenus dictum magnificum dominum Franciscum et heredes suos non molestant, neque cogant in solucione jurium predictorum, et specialiter juris dohane predicte, immo ipsum immunem et exemplum habeant, teneant, atque tractent; dictaque jura omnia, et specialiter jus dohane predicte, dictus magnificus et heredes sui possint et valeant de cetero, tanquam de re propria, capere et exercere et suis comoditatibus applicare, nulla contradictione per nos et heredes nostros eidem magnifico et heredibus suis aliquatenus obstitura. Unde, ad futuram memoriam et ipsius Magnifici heredumque suorum cautelam. presens privilegium exinde fieri fecimus nostro sigillo magnum (*sic*) munitum, et nostre subscriptionis proprie manus munimine roboratum. Actum Policij, anno ab Incarnatione Domini 1396, die ultimo Octobris V Indictionis. Nos Anthonius de Vigintimilio Dey et Regis gratia Comes Golisani et utriusque Petralie dominus etc. et regni Sicilie maior Camerarius

predicta omnia acceptamus et confirmamus et propria manu subscripsimus magnoque sigillo nostro fecimus communiri. Et idem Franciscus Uberti de Vigintimilio miles nostris Maiestatibus humiliter supplicavit, quod cum ipse Franciscus, virtute dicti privilegii dicti Comitis Anthonii, tenuerit et possiderit, ac teneat et possideat dictum Castrum et feudum liberum et exemptum ab omnibus et singulis juribus supradictis, eidem Francisco militi et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus nostre dignarentur Maiestates dictum privilegium, per dictum Comitem sibi factum, de concessione et remissione ac absolucione jurium predictorum acceptare, confirmare, et approbare. Nos itaque dicti Francisci militis supplicacionibus benigniter inclinati, tanquam iustis et ratione consonis; considerantes etiam plurima servicia per ipsum Franciscum militem nobis et nostre Curie prestita et collata, et que ad presens confert et conferre poterit, dante Domino, meliora, dicto Francisco supplicanti et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, gratias, remissiones et iurium cessiones et absoluciones supradictas de nostra certa sciencia et plenitudine regie potestatis approbamus, ratificamus, confirmamus et de novo conferimus et donamus iuxta seriem et tenorem privilegii supradicti per dictum Comitem eidem Francisco fratri et pro ut in dicto privilegio continetur. Ad huius autem futuram rei memoriam et perpetuo roboris firmitatem, presens privilegium exinde fieri et nostrarum serenitatum sigillo pendentis iussimus munimine roborari, omni futuro tempore valiturum. Rex Martinus.

Datum Siracensis per nobilem Bartholomeum de Iuenio militem etc. anno Dominice Incarnationis millesimo tricentesimo nonagesimo sexto, die XIX Novembris V Indictionis, regni que nostri dicti Regis Aragonum primo, dicti Regis Sicilie quinto, et dicte Regine vigesimo.

Dominus Rex mandavit R... de Cumbis.

Tamen vestram Catholicam Maiestatem non pretereat, quod eodem in libro anni 1396. fog. 152 aliud dictorum dominorum Regum privilegium cum eadem data et signaturis vallatum, cum inserto tenore privilegii dicti Comitis Anthonii reperitur; quod cum approbaverim cum preinserto privilegio, inveni unum et idem fuisse privilegium, tamen in hoc discordare videntur; nam in preinserto privilegio legitur eidem Francisco et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, et cancellatis in posteriori privilegio ac abrasis illis particulis, videlicet: de suo corpore legitime descendentibus, apparet correctio dicens, et suis heredibus inperpe-



tuum. Quapropter in posterioris privilegii vim apparet feudum Rasuctani predictum per eosdem dominos Reges utrumque Martinum prefato Francisco de Vigintimilio in forma larga fuisse confirmatum et de novo concessum, quod falsitatem aliquam presefert (*sic*); et licet in ipsius posterioris cassi et abrasi privilegii calce aliena manu infrascripta verba descripta videantur, videlicet: cancellatio predicta et reaptatio facta fuit per me Prothonotarium ut conformaretur Principis confirmatio et nova donatio cum prima concessione inserta, pro ut ex dicti abrasi privilegii dati eodem die, quo primum datum fuit preinsertum privilegium, notatum in dicto libro folio predicto 152 inspectione cerni potest; tamen verbis antedictis nulla adhibenda est fides, precipue cum ignoretur cuius manu verba ipsa notata fuerint, in verbis antedictis non dicatur privilegium ipsum posterius de predictorum Dominorum Regum mandato reaptatum fuisse. Que quidem verba licet vera essent, quam enim potestatem tenet Prothonotarius ut de se privilegiorum verba cancellare possit, et formam strictam absque regio mandato ad amplam commutare in regie Corone tam grande preiudicium; cum certi juris sit, quod formas stringere sive ampliari Regum tantum est. Quapropter sum firme opinionis prefatum abrasum privilegium nullam tenere debere roboris et efficacie firmitatem, immo primo preinserto privilegio non abraso, non cancellato, nec vitiato aut aliqua sui parte suspecto, standum esse; hoc enim dico propter illud quod evenire posset, casu quo genalogia successorum legitimorum Francisci Uberti prefati iam defecisset, seu de cetero deficeret, quo casu feudum Rasuctani predictum ad regium demanium tamquam de Curie excadenciis devolveretur. Et ideo diligenter advertendum est.

Item per me diligenter inspectis regie Cancellarie registris, a dicto anno videlicet 1396 V Indictionis usque ad annum 1453 II Indictionis, nullum de dicto Rasuctani feudo privilegium in personam istorum de Vigintimilio concessum inveni. Verumtamen in dicti anni 1453, libro investiturarum magno, quedam de dicto feudo investiture nota reperitur per quondam Archiepiscopum panhormitanum, tunc in regno Presidentem, cuidam Anthonio de Vigintimilio et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus more Francorum etc, de dicto feudo concessa, absque privilegii et alicuius antiqui tituli editione; verum in ipsius investiture captionem dictus Anthonius de Vigintimilio nullum de dicto feudo tunc habuisse privilegium iuravit; quod quidem iuramentum in actis Prothonotarii officii ad cautelam notatum fuisse asseritur; cuius iu-

ramenti virtute ipsi Anthonio de Vigintimilio dicti feudi investitura concessa extitit, ut in dicto libro anni 1453. fol. 93 late patet. In qua investitura dictus Anthonius de Vigintimilio asseruit se in eodem Rasuctani feudo, ob mortem quondam Anthonii Uberti de Vigintimilio, eius patris, successisse. Et nihilominus non inveni, minusque scio, an hic Anthonius Ubertus de Vigintimilio de recta linea et legitima successione dicti Francisci Uberti de Vigintimilio, ipsius feudi primi acquisitoris, fuerit nec ne; videlicet in virtute privilegii primi Anthonii de Vigintimilio Comitis Golisani donatoris. Nam cum preinsertum privilegium observatorium et confirmatorium illius privilegii per dictum quondam Comitem Anthonium de Vigintimilio concessi prefato Francisco Uberto de Vigintimilio sit inesse in archivio et dicto registro regie Cancellarie, in quo officio puplico et autentico nulli copie denegantur, ipseque Anthonius de Vigintimilio in manibus et posse dicti Archiepiscopi Presidentis iuraverit nullum de dicto feudo habere privilegium, non parum scandalizor, immo ad credendum inducor, quod dictus Anthonius de Vigintimilio ex recta linea et legitima successione dicti quondam Francisci Uberti de Vigintimilio concessionarii, ut supra, non descendit, juxta formam preinserti privilegii; ob quod noluerit suam, ut prefertur, legitimam successionem demonstrare et verificare; adeo quod maluerit investituram de dicto feudo in forma stricta sibi impetrare; quam feudum ipsum in forma larga virtute dicti abrasii et suspecti privilegii consequi. Quapropter, ut scandala ipsa evitentur, expediens atque necessarium esse censeo, quod qui in presentiarum feudum ipsum Rasuctani possidet ad docendum et legitime verificandum compellatur si legitime a dicto quondam Francisco Uberto de Vigintimilio concessionario per rectam lineam originem ducat, ut ipsi Curie veritas innotescat.

Preterea eisdem Cancellarie libris annuatim revisis usque ad annum 1470, in dicto anno tantum 1470 quedam de dicto feudo investitura apparet per quandam Iannellam de Vigintimilio a Vice-rege qui tunc erat in Regno obtenta: in qua nulla fit mentio a quo Iannella ipsa descendat, minusque si legitime successerit in dicto feudo aut eius patri vel fratris seu alicui eius agnato vel cognato, nisi tantum quod, constituto per eam de possessione dicti feudi cum alio feudo vocato Rachilebi, predictam obtinuit investituram, in qua non denotatur illam pro se suisque heredibus de suo corpore etc. cepisse; ut serius in dicta nota continetur notata in libro dicti anni 1470, fol. 242.

In anno vero 1473, VII Indictionis, Iannella ipsa cuidam Ga-

brieli Flodiola matrimonio iuncta extitit. Qui Gabriel, tanquam maritus et legitimus administrator ipsius Iannelle a quondam don Lop Ximen Durrea, tunc in Regno Prorege, de dicto Rasuctani feudo ac feudo Rachilebi pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, more Francorum sub consueto militari servicio, investituram obtinuit. In qua investitura continetur qualiter ipsius Iannelle predecessores in eadem forma feuda ipsa possidebant, ob quorum mortem Iannelle ipsam in ipsis feudis successisse asseruit, nulla facta mentione saltem de nomine aut cognomine illius persone, ob cuius mortem in dictis feudis successit, ut in ipsa investitura patet notata in libro dicti anni 1473, VII Inditionis, fol. 481. Quapropter nullam informacionem dare valeo quomodo, qualiterve Iannelle ipsa in dicto feudo successerit; ob quod possessor ipse cogendus esset ad hoc edendum. Nam non sine quare in utraque investitura nomina vel cognomina illorum quibus successit Iannelle ipsa non expressantur, magisque mirandum est de officialibus advocatoque Regii Fiscii, qui ita absurde tales investituras absolverunt.

Mortuisque exinde Gabriele de Flodiola et Iannelle jugalibus predictis, successit eis in dictis feudis Rasuctani et Rachilebi, ac etiam in feudo vocato Raxafica, Sigismundus de Vigintimilio filius legitimus et naturalis dictorum iugalium. Qui pro se suisque heredibus, de suo corpore legitime descendentibus more Francorum, de feudis ipsis a Domino Ioanne de la Nuça, tunc in Regno Vicerege, investituram assequutus est, notatam in libro anni 1504, fol. 200.

Quo Sigismundo vita functo nulla relicta prole, in ipsis feudis Rasuctani, Rachilebi et Raxafica sibi successit Ioannes Silvester de Vigintimilio illius frater, qui de feudis ipsis, pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus more Francorum, a tunc in Regno Prorege investituram habuit, datam XXX Octobris, XI Inditionis 1507, notatam in libro dicti anni fol. 15.

In presentiarum autem, currente anno 1510, dicta feuda per predictum Ioannem Silvestrum de Vigintimilio possidentur et reddunt anno quolibet . . . . . 07. . . . .

Ipsaque Ioannes Silvester de dicto feudo Rasuctani, ob mortem Catholici Domini nostri Ferdinandi Regis, cepit investituram die XXII Ianuarii V Inditionis, notatam in libro anni 1516, fol. 425 et Georgius Zafarana eius procurator in animam constituentis, tactis scripturis, dictum feudum Rasuctani reddere . . . 07. . . . .

In rubrica aliorum feudorum Rachilebi et Raxafica inferius fol..... fit mentio de quantitate reddituum omnium trium feudorum, computato dicto Rasuctani feudo.

*Allegatio de Rasuptani Feudo*


---

In contrarium eorum, que in prementionato informationis Capitulo declarantur, ultra ea que in regie Curie favorem exprimuntur, quedam provisio Dominorum Regum Martini et Marie apparet, per quam quondam Andree Denti per hec verba scribitur, videlicet: Rex, Regina et Dux familiaris et fidelis noster (*sic*) la promptitudini et sinceritati di vostri servicij, li quali cum omni perfectioni et sollicitudini haviti facto et fachiti continue a li Macstati nostri, non vitando affanni ne periculi etiam di la propria pirsuna, comu la nostra Excellentia est clarius informata, la quali havi multo grati et accepti li servicij vostri predicti, ni induchi et merito chi di premi condigni vi digiamu retribuiri et augumentarivi di grado, stato et conditioni; pri la quali considerationi vi havimo concesso pir lo presenti a vui et a vostri eredi imperpetuum lu Castello et fego di Rasuctano et in futurum, concedente Domino, vi providirimo di altri cosi pro forma chi sarriti ben contento etc. Que regia provisio data et expedita extitit Cathanie X<sup>o</sup> Octobris, II Inditionis 1393, notata in libro annorum 1360, 1366, fol 296 : in quo libro quinterni tam Domini Regis Federici, quam Domini Regis Martini reperiuntur.

Ecce quod per ipsius regie provisionis suprainserte verba, apparet predictum Dominum Regem Martinum et Reginam Mariam de dicto feudo et castello Rasuptani prenominato Andree Denti et suis heredibus imperpetuum concessionem fecisse; ob quod dilucidius colligitur castrum et feudum Rasuctani predictum tunc temporis penes regium demanium fuisse. Quomodo ergo hoc stare potest, quod feudum ipsum de membris terre Petralie fuerit subiectum dicto Anthonio de Vigintimilio Golisani Comitatus Comiti. Qua propter omnia hec diligenter inspiciantur, ut habita in omnibus necessaria consideratione veritas innotescat.

---

### Feudum Sistu

---

Feudum vocatum de Sisto, situm et positum in valle demounum in territorio terre Adernionis, olim possidebatur per quondam Philippum de Muçicato de terra Nicoxie; de quo et quomodo in eundem dictum feudum pervenerit in Cancellaria nullus apparet titulus.

Tandem, mortuo dicto Philippo Muçicato absque filiis, successit sibi in dicto feudo, Garita eius soror nunc uxor Nicolay de Alexio, que, ob mortem dicti eius fratris, a quondam Don Ioanne de la Nuça Vicerege de dicto feudo obtinuit investituram pro se et heredibus suis. iure Francorum, die XXIX Octobris, VI Inditionis 1502, notatam in libro dicti anni fol. 53.

Et exinde dictus Nicholaus de Alexio, tamquam maritus et legitimus administrator dicte Garite, ob mortem Domini nostri Regis Ferdinandi, a Don Ioanne de Luna Preside cepit aliam investituram die XX Decembris V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 427 et Ioannes Nicolaus Rizu eius procurator iuravit dictum feudum reddere . . . . . 07 XXVIII.

---

### De feudo Captasi

---

Feudum Captasi, in plano Melacij prope territorium Sancte Lucie situm et positum, per quondam Aloysiam de Palaciis relictam quondam Nicholay de Pactis, olim baronis Scalecte, antiquitus possidebatur. Que Aloysia, dum vixit, de feudo Captasi predicto quondam Sallimbenio de Marchisio Prothonotario et suis imperpetuum heredibus donationem inter vivos fecit irrevocabilem; cum reserva-



tione usufructus tamen dicti feudi eius vita durante, prout in ipsa donatione facta manu notarij Philippi de Maiore de Messana, III Septembris VIII Indictionis 1400, et postmodum apud acta Curie civitatis Messane insinuata contineri asseritur. Quam donationem exinde Domini Reges uterque Martinus eidem Sallimbenio et suis imperpetuum heredibus acceptarunt et confirmarunt, et cum hac etiam clausula videlicet: Nec non, consideratione serviciorum et benemeritorum ipsius militis, si quod ius nostre competit Curie aut quovis modo competeret in feudo predicto, quocumque iure, titulo, ratione vel causa, totum illud de liberalitate mera et gracia speciali eidem militi heredibus et successoribus supradictis imperpetuum de novo concedimus et donamus; et presertim ea ratione, quod personis et locis incapacibus per dictum quondam Nicholaum de Pactis sint onera relicta super feudo predicto, cuius rei causa omne ius in eundem militem transferimus et gratiose donamus etc. quemadmodum in confirmatione dictorum Dominorum Regum apparet, data Cathanie XX Novembris, XII Indictionis, 1403.

Postmodum autem dictus Sallimbenius de Marchisio obiit et ipsi in eodem Captasi feudo Marchisius Sallimbenius de Marchisio ipsius Sallimbenij nepos successit. Qui Marchisius a Vicerege, qui tunc erat in Regno, pro se et suis imperpetuum heredibus et successoribus de feudo predicto confirmationem obtinuit, et investituram cum inserto tenore privilegij dictorum Dominorum Regum utriusque Martini sub debito et consueto militari servicio iuribus Curie et alterius cuiuslibet ac Constitutionibus Domini Regis Iacobi et aliorum retroregum semper salvis; quemadmodum in ipsa investitura patet, data Cathanie XIV Marcij X Indictionis 1431, notata in libro dicti anni in cartis 186.

In anno vero 1440, III Indictionis, apparet dictum Captasi feudum in posse quondam Iulij Sancij de Platamone et Anthonelle iugalium filie Sallimbenij de Marchisio pervenisse in solutum et pro satisfacione docium suarum: et licet in precedentibus capitulis feudorum Castellucij et Churce, que per quondam Sallimbenium de Marchisio legum doctorem acquisita fuere, dixerim quod eidem Sallimbenio seniori successit Marchisius Sallimbenius de Marchisio, eius nepos, quodque non inveneram cuius Marchisius ipse nepos et heres ut supra filius fuisset, et quo nomine appellabatur pater eius; et hoc quia in capitulo informacionis terre Scalecte in alio Capibrevio per me facte, et in aliis investituris nonnullorum aliorum feudorum, in quibus, ut prefertur, idem Marchisius Sallimbenius de Marchisio, tamquam nepos Sallimbenij senioris ipsi

Sallimbenio successit, non exprimebatur cuius pater dicti Marchisij non vocatus erat filius. Et quod hac de causa meo in animo aliqua generabatur suspicio, nam pro veritatis dilucidacione in omnibus dictis privilegiis et investituris nomen et cognomen patris exprimi debebat, ac etiam si dictus eius pater fuit filius legitimus et naturalis Sallimbenij senioris, primi acquisiteoris; tamen, in permutacionis contractu feudorum infrascriptorum per dictos quondam Iulium Sancium et Antonellam iugales facte, verba infrascripta descripta inveniuntur videlicet: Quod cum ipsi magnifici Iulius Sancijs et Antonella iugales, tamquam veri et legitimi Domini et Barones, habuerint, tenuerint, et possiderint, pro ut habent, tenent, et possident quoddam feudum vulgariter nuncupatum Captasi, situm et positum in hoc Sicilie Regno in territorio Plani de Melacio, suis certis confinibus limitatum, quod insolutum habuisse asseruerunt a magnifico Domino Sallimbenio de Marchisio, ipsius Domine Antonelle fratre carissimo, terre et castri Scalecte domino et barone, nepote et herede quondam magnifici domini Sallimbenij senioris, etiam filio et herede eiusdem quondam magnifici Sallimbenij iunioris etc. Per que quidem verba mihi persuadeo dictum Sallimbenium de Marchisio, seniore, habuisse filium etiam nominatum Sallimbenium de Marchisio iuniorem, a quo quidem Sallimbenio iuniore prefatum Marchisium Sallimbenium de Marchisio successisse puto. Et quia ipse Marchisius Sallimbenius de Marchisio nepos prenominati Sallimbenij de Marchisio senioris, primi acquisiteoris, eidem Sallimbenio avo suo successit et non eius patri, evenisse potuit quod dictus eius pater ipsi filio premortuus fuisset, et dicto eius avo, primo acquisiteori viventi, successisse ut supra; tamen considerato quod in nulla investitura vel privilegio exprimitur nomen patris ipsius Marchisij Sallimbenij de Marchisio, qui dicto eius avo successit ut supra; quis certo dicere posset, si idem Sallimbenius iunior, assertus pater prefati Marchisij Sallimbenij de Marchisio nepotis et heredis predicti Sallimbenij senioris, legitimus fuerit vel non? Et propterea eiusdem sum primeve opinionis quod possidens ad edendum rectam et legitimam successionem dicti Marchisij Sallimbenij de Marchisio, a quo possidens ipse per rectam lineam successisse asseritur, cogatur et compellatur. Et tandem prefatus Iulius Sanctius de Platamone et dicta Antonella, iugales, de dicto Captasi feudo cum quondam Thomasio Romano pro feudo nuncupato lu Modilu di la campana, consistente in duobus membris, in Caxina scilicet et la Bruca, pro se et eorum heredibus et successoribus imperpetuum permutacionem fe-

cerunt, pro ut apparere dicitur tenore cuiusdam permutacionis contractus facti manu notarij Nicholay de Francavilla, Cathanie VIII Marcij, II Inditionis 1439. Quam quidem permutacionem quondam Baptista de Platamone, tunc in regno Prorex, acceptavit et confirmavit, quemadmodum apparet in suo privilegio dato Cathanie XI Augusti, III Inditionis 1440, notato in libro dicti anni fol. 475; qui Thomas de Romano, vigore dicte permutacionis, feudum Captasi predictum tenuit et possedit.

Ipsoque Thomasio de Romano defuncto, sibi in dicto feudo successit Ioannes Benedictus Romanus, eius filius legitimus et naturalis; qui de ipso feudo a quondam don Lop Ximen Durrea, tunc in Regno Vicerege, confirmationem et investituram cum inserto tenore dicti contractus permutacionis obtinuit, sub illis tamen modo et forma prout in privilegio dictorum Dominorum Regum utriusque Martini continetur, dato Cathanie in anno 1403, Constitucionibusque Regni ac iuribus Curie et alterius semper salvis, ut in dicta vice-regia investitura patet, data Panhormi XXVI Iunij, VII Inditionis 1459, notata in libro annorum 1458-1459 in cartis 303.

Mortuo postmodum prefato Ioanne Benedicto Romano, successit sibi in dicto Captasi feudo, ex illius testamentaria disposicione, Franciscus de Romano eiusdem Ioannis Benedicti filius secundo-genitus, legitimus et naturalis, qui a quondam Ioanne de la Nuça, tunc in Regno Vicerege, pro se suisque heredibus et successoribus, perpetuo sub consueto militari servicio, de ipso Captasi feudo investituram obtinuit, datam die VIII Marcij XV Inditionis 1497, notatam in libro anni 1496, fol. 475.

In presentiarum vero, currente anno 1510, feudum Captasij predictum per eundem Franciscum Romanum possidetur, et reddit annis singulis ultra . . . . . 07 . . .

---

*Allegatio de Captasi feudo*

---

In Capitulis feudorum Castellucij et Churca, nec non in precedenti capitulo Captasi feudi, ea que in mentem meam venerunt et succurrerunt dixi, cum reservacione semper melioris iudicij. Nam feuda ipsa, quodammodo pari passu et sub eadem meta, ra-

tione et condicione deambulant. Verum in istius Captasi feudi allegatione hoc dicendum est, quod illa Aloysia de Palaciis, uxor quondam Nicholay de Pactis terre Scalette tunc asserti Baronis, de dicto feudo quondam Sallimbenio de Marchisio Seniori donationem inter vivos fecit irrevocabilem. Qui Sallimbenius, donatarius, non erat consanguineus nec affinis ipsius Aloysie donatricis, et nihilominus perquirere volui omnes regie Cancellarie libros an invenire potuissem si dicta Aloysia privilegium de dicto feudo in forma larga aut alias taliter obtinuisset, quod de eo cui vel quibus voluisset desponere potuisset. Tamen in dicto regie Cancellarie officio nullum titulum, nullamque scripturam seu privilegium inveni, per quod comprehendere potuissem si dicti feudi concessionis forma stricta vel larga erat. Quamobrem, pro iure sacri regij demanij dilucidando, mihi videtur titulum dicte Aloysie omnino edi et demonstrari oportere, nam certi iuris est quod, si forma erat stricta, dicta Aloysia, absque principis licentia, de feudo ipso Captasi donationem facere non poterat, et precipue personis exteris et de alia genelogia. Et ideo dico quod ipsius feudi possessor ad edendum titulum dicte Aloysie donatricis ut iura volunt, cogi debet et compelli.

---

#### De feudo de Bono Albergo

---

Feudum de Bono Albergo, in regno Sicilie positum et in territorio terre Nichoxie existens, per quondam Blascum de Alagona antiquitus possidebatur. Qui rebellionem in Serenissimos Dominos Reges utrumque Martinum exercens, ob ipsam rebellionem feudum predictum regie Curie devolutum fuit, et deinde per eosdem Dominos Reges de feudo ipso fuit facta donatio quondam Raymundo de Cumbis et suis heredibus de suo corpore legitime descendenti-bus more Francorum, sub debito et consueto militari servicio, ut patet in privilegio dictorum Dominorum Regum utriusque Martini et Marie, dato in terra Leontini XXVIII Septembris, prime Inditionis 1392, notato in libro annorum 1388-1392 fol. 146.

Exinde vero prefatus Raymundus de Cumbis feudum predictum

in manibus eorundem Dominorum Regum utriusque Martini renunciavit. Ipsique Domini Reges feudum ipsum de Bono Albergo quondam Sallimbenio de Marchisio legum doctori et suis heredibus et successoribus, in forma larga, sub consueto militari servicio, et eo modo et forma quibus feudum ipsum quondam Bartholomeus Spatafora tenebat, dederunt et concesserunt; cum reservacione tamen in verbis infrascriptis videlicet: Volumus tamen ac de nostra certa scientia ordinamus, et sub hac conditione iam dicto Sallimbenio donacionem et concessionem facimus supradictam, quod si per Maiestates nostras alia seu alie donacio aut concessio, donaciones aut concessionem de bonis feudalibus et burgensaticis ac redditibus annualibus forsitan facte fuerint, eidem Sallimbenio, preter istam et superius expressatas, eo quia de ipso vel ipsis in presenti privilegio facta mentio non extitit, presens nostra donatio et concessio, tamquam surrepticie impetrata, sit cassa et vana, careatque viribus et effectu etc. Quemadmodum diffusius apparet in privilegio dictorum Dominorum Regum, dato Messane XXII Septembris V Inditionis 1396, notato in libro dicti anni fol. 33. Et sic dico, quod est videndum, si forte dictus Sallimbenius antedictam concessionem aliquam aliam de re feudali vel burgensatica, aut aliis redditibus concessionem habuerit, nam tali casu predictum privilegium esset penitus nullum et dicta concessio esset funditus enervata. Et nihilominus, meo iudicio, inter dicta privilegia contradictio inesse apparet; nam primum privilegium Raymundo de Cumbis concessum continet feudum antedictum regie Curie ob rebellionem Blasci de Alagona fuisse devolutum, in hoc tamen secundo privilegio asseritur feudum ipsum per quondam Bartholomeum de Spatafora fuisse possessum.

Mortuo vero prefato Sallimbenio de Marchisio, sibi in dicto feudo de Bono Albergo successit Marchisius Sallimbenius de Marchisio, eius nepos, et minime in investitura per eum capta fit mentio aliqua cuius fuerit filius dictus Marchisius Sallimbeni de Marchisio, tandem Marchisius ipse oculis officialium qui tunc erant clausis, a Vicerege, qui tunc erat, de dicto feudo pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum, sub dicto militari servicio et cum reservacionibus Constitucionum Domini Regis Jacobi aliorumque retro Regum iuriumque Curie et alterius semper salvis, investituram obtinuit datam Cathanie XIV Marcij, X Inditionis 1431, notatam in libro dicti anni in cartis 188.

Quo quidem Marchisio Sallimbenio de Marchisio defuncto, sibi in eodem feudo successit Ioannes Sallimbenius de Marchisio, eius

filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque imperpetuum hereditibus et successoribus a don Lop Ximen Durrea, tunc in Regno Prorege, de ipso feudo investituram habuit, datam Panhormi XX Julij prime Inditionis 1453, notatam in libro dicti anni II Indicionis fol. 161.

Prefato autem Ioanne Sallimbenio de Marchisio ab hac luce sublato, successit sibi in dicto feudo Sallimbenius de Marchisio eius filius legitimus et naturalis, qui de feudo antedicto a Rev.mo Ioanne de Paterno panhormitano Archiepiscopo, tunc in Regno Preside, investituram consequutus est, datam XV Decembris X Inditionis 1506, notatam in libro dicti anni fol. 292.

In presentiarum autem, currente anno 1510, feudum antedictum de Bono Albergo per dictum Sallimbenium de Marchisio tenetur et possidetur, quod annis singulis reddit ultra . . . 07 . . .

---

#### **Casalia Actilie et Guidomandri et feudum Squitino**

---

Feudum sive Castrum vocatum Actilia, in valle Demmine et in tenimento Messane positum, per Claramontanos antiquitus possidebatur. Qui, cum per tantum temporis spacium regie Corone rebelles fuissent, scilicet Henricus et Federicus de Claramonte fratres, Simon, Matheus et Manfridus de Claramonte et demum Andreas de Claramonte, predicti Actilie casalis et multorum aliorum bonorum, in civitate Messane eiusque territorio positorum, possessor (*sic*) et per annos fere XXXX felicem panhormitanam urbem, Agrigentum, Siracusas, Drepanum, Leontinum, Salem, Marsaliam, Montem sancti Iuliani, Nichoxiam, Corleonum, et alias quamplures Civitates, terras et loca istius Sicilie Regni, violenta tyrannide, indebite occupata tenuissent, ipsorum redditus et proventus in tractis, cabellis et aliis iuribus regij demanij consistentes, ad centuplum et plus bonorum predictorum ascendentes, occupando dictum casale et feudum Actilie, predictaque bona regie Curie penitus devoluta et confiscata fuere. Et sic Reges ipsi feudum et casale memoratum, baiullationem, censualia, domos et alia per dictum Andream de Claramonte possessa, quondam Nicholoso Crisaphi de Messina et suis

imperpetuum heredibus et successoribus in feudum, quodque illa vendere, donare, alienare et pro anima adiudicare posset, concessere, pro ut in ipsorum Regum privilegio, dato Messane XXVIII Julij, XII Inditionis 1404, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 24 notato, continetur.

Preterea, in quodam alio regie Cancellarie libro anni 1399, quoddam inveni privilegium a dicto Rege Martino XVI Aprilis dicti anni concessio, quod, satis ante quam ipsum feudum Actilie per dictum Regem Martinum quondam Nicholao de Crisafi suisque heredibus predictis concessum extitisset, emanavit; per quod late patet ipsa duo casalia Actilie et Guidomandri penes Regium Demanium extitisse; adeo quod dictus Rex Martinus, ad eius regium beneplacitum, quondam Nicholao de Pactis officium Capitaney terre Scalecte et ipsorum duorum casalium Actilie et Guidomandri, sitorum etiam in valle Demmine et districtu Messane, concessit, pro ut inferius in cartis 260, in capitulo Foreste Trayne, de casalibus eisdem dictum est.

Nihilominus, ipsa duo casalia ad quondam Sallimbenium de Marchisio legum doctorem devenerunt, quorum certa pars, ut asseritur, per Hospitale sive Prioratum sancti Ioannis Iherosolimitani Messane possidebatur; quibus quo iure casalia ipsa ac feudum Squitinum nuncupatum pervenerint, regia in Cancellaria nullus reperitur titulus. Considerato tamen quod dictus Sallimbenius de Marchisio de dicta terra Scalecte, Foresta Trayne ac aliis feudis a quondam Nicholao de Pactis, pro ut in capitulo dicte terre Scalecte et Foreste Trayne, tam in magno Capibrevio in cartis..... quam in presenti volumine in cartis..... pertractatur, donacionem consequutus fuit; et allegatur rationesque assignantur qualiter ipsa terra, casalia et feuda ut supra donata, et signanter in aliene persone, non de linea donatoris descendenti, nullo apparente titulo, usurpata et indebite detenta sunt; mihi persuadeo ipsa duo casalia in posse dicti Nicholay de Pactis pervenisse, illaque Nicholaum ipsum prefato Sallimbenio de Marchisio similiter donasse, et ideo illorum possessor ad edendum antiquum et verum titulum, ac etiam ad docendum quo iure ad dictum Sallimbenium dictum Squitinum feudum pervenit compellendus esset.

Persistentibus tamen dictis duobus Casalibus in posse dicti Sallimbenij de Marchisio senioris, ac dicta eorum certa parte in posse dicti Prioratus sancti Ioannis Messane, Sallimbenius ipse de Marchisio cum quondam Roberto de Diana, tunc dicti Prioratus Sancti Ioannis priore, cum interventu nonnullorum fratrum dicti Prio-

ratus, ad convenctionem devenerunt taliter, quod fratres ipsi partem quam communiter pro indiviso tenebant in dictis casalibus, cum feudo predicto Squictino, in eadem valle Demine prope territorium terre Paternionis et secus terras dicti Hospitalis et sancte Marie de Lichodia posito, quod tunc temporis erat redditus usque ad summam unciarum viginti, franco ab omni iure et servicio Curie, instituto militari servicio, dicti feudi Squictino super dictis casalibus permutarunt. Et sic ipsum Squictino feudum eidem Prioratui francum ut supra remansit, ipsa vero casalia Actilie et Guidomandri integritè prefato quondam Sallimbenio de Marchisio seniori cesserunt, pro ut in huiusmodi permutacionis contractu manu quondam notarij Fortugni de Caruso, tunc regij Secretarij, XXI Julij XII Inditionis 1404, continetur; cuius permutacionis contractus virtute, dictus Sallimbenius de Marchisio casalia predicta Actilie et Guidomandri tenuit et possedit.

Mortuo tandem dicto Sallimbenio de Marchisio, sibi in eisdem casalibus successit Marchisius Sallimbenius de Marchisio, eius nepos, filius Sallimbenij de Marchisio iunioris, filij prefati Sallimbenij senioris; qui Sallimbenius iunior premortuus fuerat, de quibus nulla in Cancellaria reperitur investitura.

Defuncto deinde dicto Marchisio Sallimbenio de Marchisio, sibi in dictis casalibus successit Ioannes Sallimbenius de Marchisio eius filius. Qui, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, de casalibus ipsis Actilie et Guidomandri, sub consueto militari servicio, a quondam Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, cum inserto tenore dicti permutacionis contractus, antiquis regaliis regni Constitutionibus iuribusque Curie regie semper salvis, XX Septembris II Inditionis 1453 investituram in regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 171 registratam, reportavit.

Decedente demum dicto Ioanne Sallimbenio de Marchisio, sibi successit Sallimbenius de Marchisio, eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui de terra Scalecte et Foresta Trayne ac nonnullis aliis feudis tantum ob mortem dicti eius patris investituram habuit. De dictis vero casalibus Actilie et Guidomandri investituram capere non curavit; et ideo inquirendum est, quinam illa possideat, et in Rollo ponantur. Que casalia Actilie et Guidomandri anno quolibet reddunt . . . . . 07 . . . .

Nichilominus advertatur quod ista duo casalia Actilie et Guidomandri erat membrum et de membris Regie Curie, ac per hoc inalienabilia; et sic ignoro quomodo permutari poterat et in ecclesias et ecclesiasticas personas transferri regni Statutis et Con-



stitutionibus contrarium disponentibus stantibus, dictum Squictinu feudum, quod contra dictas regni Constitutiones ad dictum Prioratum pervenit, et ideo cogatur possidens ad edendum quo iure dicta casalia ad dictum Sallimbenium de Marchisio seniore pervenerunt.

---

#### Feudum Bubutelli

---

Feudum Bubutelli in valle Castri Ioannis sive Demine positum, per quondam Thebaldum de Bubutello militem antiquitus possidebatur, quo tamen iure nullus in regia Cancellaria titulus apparet. Tamen dictus Theobaldus, ob quandam accusationem contra eum prepositam de nece quondam notarij Philippi de Sancto Marco, e regno secessit, et tamquam exul fuit dictus quod simul cum eius filiis, tunc minoribus, ad partes inimicas Serenissimo Regi Federico tunc regnantis (*sic*) se contulit; Ob quod idem Rex feudum Bubutelli memoratum Rogerio de Suria et suis heredibus concessit. Inter id vero temporis Theobaldus prelibatus absens obiit, sibi Theobaldo de Bubutello eius filio primogenito et herede ac aliis eius filiis superstitibus, qui Theobaldus de Bubutello iunior eiusque fratres tandem reducti, ad dictum Regem Federicum se contulerunt, feudum antedictum Bubutelli aliaque bona ob paternam successionem petendo. Qui quidem Rex Federicus, actendes eosdem fratres dolum non commisisse, illos acceptavit eisque pepercit, ipsique Theobaldo iuniori et suis heredibus, de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, feudum predictum suo cum regio privilegio restituit, in quo inter cetera huiusmodi sunt verba scilicet: Restituimus eidem Theobaldo, tamquam primogenito eiusdem quondam Theobaldi patris sui, et dictis suis heredibus imperpetuum feudum ipsum cum eisdem iuribus, redditibus, proventibus, et limitibus acceptamus, ratificamus, et pleno favore regio confirmamus etc. quemadmodum in ipsius Regis Federici privilegio, dato Policij, V Novembris XII Inditionis 1358, late patet.

Quo quidem Theobaldo de Bubutello iuniore feudum predictum

tenente et iure Francorum ut supra possidente in ultimis quibus decessit suum ultimum condidit testamentum; quo Ioannucium et Belluchiam eius filios, et Diane eius uxoris, suos instituit heredes, volens et mandans quod dictus Ioannucius in dicto Bubutelli feudo succederet. Si vero ipsum Ioannucium in minori etate aut sine liberis de suo corpore legitime descendantibus mori contigeret, ei in dicto Bubutelli feudo succederet Theobaldus de Bubutello filius Rogerij de Bubutello Castri Iaannis. Quodque si dictus Theobaldus tercius sine liberis de suo corpore legitime descendantibus decederet, illi in eodem Bubutelli feudo succederet Belluchia memorata predicti testatoris filia. Si autem Belluchia ipsa sine filiis de suo corpore legitime descendantibus obiret, ipsi in dicto feudo succederet Venecia filia quondam Francisci de Bubutello. Sed si omnes prenominatos filios et nepotes sepredicti testatoris sine filiis de eorum corporibus legitime descendantibus mori contingisset, illis in dicto Bubutelli feudo succederet Raymundus de Montesereno miles, postquam illius obitum sibi in eodem feudo succederent ipsius Raymundi filij masculini generis; sicuti in ipso testamento acto Placie manu notarij Ioannis de Bono Amico, XXVI Marcij prime Inditionis 1363, diffusius continetur.

Cumque exinde prelibatus Ioannucius de Bubutello sine liberis de suo corpore legitime descendantibus decessisset, sibi superstitute predicta Diana eius matre et uxore prefati testatoris, ac asserta herede legitima, premortuis tamen omnibus substitutis memoratis, ipsaque Diana, tamquam mater et heres proximior dicto filio suo, in dicto feudo succedere debere pretenderet, a dicto Rege Federico Diana ipsa pro se et suis heredibus imperpetuum iure Francorum de dicto Bubutelli feudo confirmacionem et investituram obtinuit; excluso penitus Paulo de Suria filio illius Rogerij de Suria, qui de dicto feudo, ob absentiam illorum de Bubutello, ut predicatur, ab ipso Rege Federico concessionem habuerat. Nam Paulus ipse allegaverat dictum feudum ad se de iure spectare: sicuti in ipsa regia investitura data Cephaludi VI Novembris, X Inditionis 1364, et in regie Cancellarie libro anni 1371, in cartis 228, hec et alia latius exarantur.

Convolute postmodum predicta Diana ad secunda vota procreatisque per eam filiis, et inde ad mortem deveniente, sibi in dicto Bubutelli feudo successit Bernardus De Libiano terre Leocate, eius filius primogenitus, legitimus et naturalis. Qui Bernardus pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendantibus, iuxta formam privilegij dicti Domini Regis Federici in personam preli-

bate Diane emanati, sub militari servicio iuribusque Curie et alterius ac regni Constitutionibus semper salvis, a serenissimis Regibus utroque Martino et Maria, cum inserto tenore privilegij memorati, de feudo ipso confirmationem et investituram IV Ianuarij, II Inditionis 1393, in regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 122 notatam, habuit.

Mortuo exinde dicto Bernardo De Libiano, sibi in dicto Bubutelli feudo successit Libianus de Libiano eius filius, qui non apparet de feudo ipso investituram cepisse. Ipsoque defuncto, sibi in dicto feudo successit Mazullus de Libiano, eius filius legitimus et naturalis qui, pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus sub militari servicio, a don Lop Ximen Durrea, tunc Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, XVIII Iulij prime Inditionis 1453 de dicto feudo investituram in regie Cancellarie libro dicti anni. in cartis 381 notatam, consequutus extitit. Qua quidem investitura de dicto iure Francorum, iuxta formam sui privilegij, nulla fit mentio, quod culpa officialium huiusmodi investituram absolvencium evenit.

Dicto vero Mazullo de Libiano defuncto, sibi in dicto Bubutelli feudo successit Libianus de Libiano, eius filius legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum sub militari servicio, iuribusque Curie et alterius semper salvis, a Viceregibus, qui tunc erant in Regno, XXVII Novembris X Inditionis 1476 investituram, in regie Cancellarie libro anni 1477, in cartis 8 notatam, obtinuit.

Decedente postmodum dicto Libiano de Libiano, sibi in dicto Bubutelli feudo successit Anthoninus de Libiano, tunc minor, eius filius primogenitus legitimus et naturalis, ac Blance iugalium. Que Blanca tamquam mater, balia et tutrix dicti Anthonini eius filij, de dicto feudo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum a don Gaspare de Spes, tunc regni Prorege, III Februarij prime Inditionis 1482 investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in carti 378 notatam, reportavit.

Deficiente postmodum dicto Anthonio de Libiano sine filiis, sibi in dicto feudo successit Altabella de Libiano, eius soror tunc in capillo existens, que pro se dictisque suis heredibus, iure Francorum, de feudo ipso a quondam Ioanne de la Nuça, tunc regni Prorege, VII Iulij XIII Inditionis 1495 investituram, in regie Cancellarie libro anni 1494 in cartis 575 registratam, nactus fuit.

Que Altabella cum quondam Ioanne de Amore matrimonium contraxit, ex quibus iugalibus natus fuit Antonius Melchior de Amore.

Mortuis demum dictis Altabella et Ioanne de Amore iugalibus, eis in dicto Bubutelli feudo successit dictus Antonius Melchior de Amore; qui pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de ipso Bubutelli feudo a dicto Ioanne de la Nuça, Prorege, VII Iulij IX Inditionis 1506 investituram, in regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 547 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, currente anno 1513, feudum ipsum Bubutelli per dictum Anthonium Melchiorem de Amore possidetur, quod anno quolibet reddit . . . . . 07 LX.

Et ultra dictus Anthonius Melchior de huiusmodi Bubutelli feudo cepit investituram, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside, die XVI Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 381, et dominus Antoninus Biscardus, eius procurator, in animam constituentis iuravit dictum feudum reddere tantundem, scilicet . . . . . 07 LX.

---

**Bambali sive Bamina et lu Casaloceto Feuda**

---

Feuda nuncupata Bambali sive Bamina et lu Casaloceto, in valle Demine et confinibus territorij terrarum Trippi et Montis Albani sita et posita, per quondam Henricum Statella antiquitus possidebantur; in cuius posse quo iure pervenerint nullus in regia Cancellaria titulus apparet. Exinde vero feuda predicta in posse Agathe illius filie, tunc uxoris quondam Ioannis Stayti militis, in satisfactionem certe partis docium sibi promissarum contemplatione matrimonij inter ipsos iugales contracti, devenere. De qua feudorum assignatione in satisfactionem dictarum docium dicitur extare contractus sub certis modo forma et condicionibus celebratus in civitate Cathanie XIII Augusti, IV Inditionis 1440. Que Agatha, pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure francorum, iuribus Curie et alterius semper salvis, ab Archiepiscopo Panhormitano, tunc in regno Preside, de dictis feudis, cum iuraverit de illis nullum ad eius manus pervenisse privilegium, XV Decembris II Inditionis 1433 investituram, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 689 notatam, reportavit.

Postmodum autem Agatha ipsa de dictis feudis Ioanni Henrico Stayti, eius filio legitimo et naturali ac maior natu, donacionem fecit, sicuti in ipsa donacione acta Messane, manu notarij Thomasij de Aquilono XXV Maij, IX Inditionis 1476, contineri dicitur. Qui Ioannes Henricus dicte donacionis virtute a quondam Guillelmo de Peralta, tunc Prorege, pro se et eius heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, XXV Februarij, X Inditionis 1477, investituram obtinuit; que investitura in regia Cancellaria realiter registrata non invenitur.

Ipsoque Ioanne Henrico defuncto, sibi in dictis feudis successit Anna, eius filia unica legitima et naturalis, uxor Francisci de Marchisio. Que, tamquam illius filia et heres, de ipsis feudis, pro se et eius heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, a don Ugone de Moncada, tunc in regno Prorege, investituram consequuta extitit die XXIII Octobris, XV Inditionis 1511, notatam in libro Cancellarie dicti anni in cartis 64.

In presentiarum autem, dicto anno 1511 currente, dicta Anna feuda predicta Bamina sive Bambali et lu Casalecto tenet et possidet; que anno quolibet reddunt ultra . . . . . 07 L.

Exinde dicta Anna de Marchisio de dictis feudis Bambali et Casalecto, ob mortem domini Regis Fernandi, a don Ioanne de Luna, Preside, cepit investituram die XVI Ianuarij, V Inditionis, notatam in libro anni 1516, fol. 453.

---

**Foresta Porte Bandaci, Cactayno, Triayri, Li Bucti. Foresta Vecha, Mangraniti, Cartulari, Barrili, Aqua Sancta, Saline Nicoxie.**

---

Notissimum est, Catholice Princeps, cunctas huius Regni Sicilie Forestas, tum propter Regni ipsius Constituciones, tum propter antiquissimam et inveteratam possessionem, ad Sacrum Regium Demanium et Patrimonium penitus spectare et pertinere. Nec te latere velim, Sicilie Reges in omnibus feudalium rerum privilegiis per eos concessis, huiusmodi forestas, aliasque regalias, tamquam res privilegiatas et ad ipsum demanium spectantes, sibi

reservare consuevisse; quas eisdem Regni Constitutionibus et Capitulis, ab ipsis Regibus iuratis, actentis, illos absque consciencie nota ab ipso Demanio segregare non posse, certissimi iuris est. In iuramentorum autem conflictu, anteriori iuramento omnino standum esse oportet, quod pro violato aut in aliquo preiudicato numquam habetur, immo expresse iurato et confirmato. Mirari ergo omnino necesse est, qua ex causa potior regni forestarum pars in dicti iuramenti et Regni Constitutionum preiudicium ab ipso demanio segregata reperitur; his omnibus nihilominus Vestre Catholice Maiestatis meliori iudicio et mandato remissis, quod de Foresta Porte Randacii, in territorio terre Randacii vallis Demine posita, sentio, prima fronte, dicendum esse duxi; que Foresta per quondam Guilelmum Raymundum de Moncada, tunc Melivetane insule Marchionem, antiquitus possidebatur, quo iure tamen eius in manibus pervenerat nullus in regia Cancellaria titulus apparet. Tamen Guilelmus Raymundus memoratus, de ipsa Foresta cuidam Petro de Loreto militi, eius sequaci, quandam sub certa forma fecit donacionem. Et tandem cum dictus Gillelmus Raymundus marchio, eius cum sequacibus et coadherentibus, contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuisset, et per magnam Regiam Curiam XVI Novembris, VI Inditionis, de ipsa rebellionem contra ipsorum Marchionem sententiam promulgasset, illius bona universa regie Curie devoluta extitere; Regesque memorati, eorum cum regio privilegio, significantes eundem Petrum de Loreto, donatarium dicti Marchionis eiusque sequacem, in ipsius rebellionis notam incurrisse, feudum ipsum sive Forestam Porte Randacii cuidam Ioanni de Bonacosis mantuano et magistro Blasco Scarnacca, phisico, eorumque heredibus, de eorum corporibus legitime descendentibus iure Francorum, in feudum, sub debito et consueto militari servicio, videlicet eorum cuilibet dicti feudi medietatem pro indiviso, concessere. Quemadmodum duobus in regiis privilegiis, quorum unum, illud videlicet dicti Ioannis de Bonacosis, datum fuit Cathanie IV Aprilis, VI Inditionis 1397, et in regie Cancellarie libro anni 1399, VIII Inditionis in cartis 160 notatum extat, hec et alia diffusius continentur.

Postmodum autem dictus Ioannes de Bonacosis, mantuanus, de licentia et permissu eorumdem Regum, Nicholao de Paterno tunc Secreto Cathanie et Alvire iugalibus, medietatem dicte Foreste illis contingentem certo precio, cuiusdam contractus vigore, manu notarii Laurentii de Notho XXVI Februarii VIII Inditionis celebrato, vendidit et alienavit.

Qua facta donatione, prenominati Nicolaus de Paternione et Alvira, iugales, de dicta Foreste medietate Benedicto de Paternione eorum filio et suis heredibus de suo corpore legitime descendentes, donationem fecere; cum reservacione tamen quod, si dictum Benedictum sive filiis et heredibus mori contigisset, feudi ipsius sive Foreste medietas ad dictos eius parentes donatores, et in ipsorum defectu ad ipsorum donatorum filios et heredes de eorum corporibus legitime descendentes, reverteretur; pro ut tenore publici instrumenti acti Cathanie per notarium Petrum de Aquila VIII Februarij, XIV Inditionis, late patet. Quod donationis instrumentum Reges prefati Martinus et Maria eidem Benedicto et suis heredibus, de suo corpore legitime descendentes iure Francorum, ratificarunt et confirmarunt, cum illa etiam clausula, quod si eum sine filiis mori contigisset eisdem eius parentibus donatoribus vel illorum heredibus legitimis, ut supra, sub consueto militari servicio, reverteretur. Et cum clausula similiter adeo prejudiciali regio Demanio, scilicet, non obstante quod Foreste nostri Regni membra nostri Demanii censeantur, et quod in privilegiis que sunt de concessionibus feudorum Foreste semper in nostro Demanio reservantur; nec non Constitutionibus et Capitulis Serenissimi Principis Domini Regis Iacobi, olim Aragonum et Sicilie Regis illustris, dum eidem regno prefuit editis et aliorum predecessorum nostrorum Regum dicti Regni atque nostris dictoque militari servicio et alterius cuiuslibet iuribus semper salvis etc.: sicuti in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie XVIII Februarij, prime Inditionis 1407, et in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 122 notato, serius enarratur.

Ipsoque Benedicto de Paternione, per nonnulla tempora dictam Foreste Porte Randacii medietatem possidente, et exinde defuncto, sibi in illa successit Nicholaus de Paternione eius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se eiusque heredibus, de suo corpore legitime descendentes iure Francorum, iuribus Curie et alterius ac Constitutionibus Regis Iacobi et aliorum Sicilie Regum semper salvis, a don Lupo Ximen Durrea, tunc Prorege, de dicta Foreste medietate, XIV Augusti prime Inditionis 1453, investituram, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 67 notatam, reportavit.

Cumque cunctos regie Cancellarie codices a dicto anno 1359, quo tempore dicti Reges Martinus et Maria utriusque dicte Foreste medietatis concessores fuere, usque ad annum 1453, diligenter perquisivissem, nullum invenire potui privilegium concessionis me-

dietatis eiusdem Foreste facte prenominato magistro Blasco Scarnacca, nisi tantum verba in precalendato privilegio exposita; minusque inveni aliquam Principis sive eius Presidis licentiam eidem Blasco concessam, qua dictam suam Foreste medietatem vendere potuisset; nec non minus apparet dictum magistrum Blascum eandem medietatem suam dicte Foreste alicui vendidisse, aut modo aliquo alienasse.

Nihilominus eodem in anno 1453, quo tempore (1) Serenissimus Rex Alfonsus regnabat, nonnullae emanarunt provisiones, in favorem Blasci de Sancto Angelo legum doctoris emanate, in quibus huiusmodi inter cetera leguntur verba, videlicet: Tenore presentis medietatem feudi vocati la Porta di Randazzo, siti et positi in Regno Sicilie in territorio terre Randatij suis finibus limitati, quam vigore venditionis de eadem vobis facte per magistrum Blascum Scarnacca, fisicum, pro vobis vestrisque heredibus de vestri corpore legitime descendentibus, in presentiarum, ut asseritur, tenetis et possidetis, ac etiam feudum vocatum lo Cattayno etc. quibus cum regis provisionibus dictus Rex Alfonsus forma dicti feudi eidem Blasco de Sancto Angelo et suis heredibus et successoribus quibuslibet ampliavit, sicuti ipsis in provisionibus datis Valentie 25 Ianuarij 1426 dicitur contineri. Tamen, cum regiam vendendi dictum feudum licentiam ac eiusdem venditionis contractum non invenirem, vereor ne forte in hoc fras aliqua commissa fuerit, presertim per illa verba in privilegio dicti Regis Alfonsi narrata, videlicet: In presentiarum, ut asseritur, tenetis et possidetis etc. ob quod clarissime demonstratur ipsi Regi de dicta venditione et alienatione nisi tantum de nuda possessione non constituisse, tamen quidquid sit per quendam contractum manu Notarij Petri de Medico, XXII Martij XII Inditionis 1449 celebratum, apparet dictum Blascum de Sancto Angelo doctorem, memoratumque Nicolaum de Paternione minorem, ex eorum grata et spontanea voluntate, Principis licentia mediante, per sortis cellulas dictam Forestam Porte Randatij suaque marcata inter se dividisse; adeo quod dicto Blasco de Sancto Angelo pro eius portione hec marcata pervenerunt, videlicet: Tri Ayri, li Bucti, la Foresta vec-

---

(1) Il ms. ha in questo tratto quattro pagine di scrittura moderna, evidentemente sostituita dagli amanuensi della Cancelleria all'originale ridotto in pessime condizioni.



chia et Mangraniti; ipsi vero Nicolao in partem hec marcata cesserunt videlicet: Cartulari, Barrile et Aqua Santa; quapropter inter eos dictam Forestam Porte Randatij sibi communiter dividerunt.

Mortuo deinde dicto Blasco de Sancto Angelo, sibi, tam in dicta medietate Foreste Porte Randatij quam in dicto feudo Cattayni, successit Iacobus de Sancto Angelo eius filius; qui, ex regie provisionis virtute, cum eius executoria data Panormi primo Iunij VII Inditionis 1443, se legitimum, habilem et capace effectum fuisse docuit, ut patet in privilegio notato in libro 1443 fol. 358. Et sic Iacobus ipse, tamquam legitimus ut supra, a quondam Simone Archiepiscopo Panormitano, tunc Preside, de dicta medietate Foreste Porte Randatij ac feudo Cattayni investituram, cum inserto tenore dicte regie provisionis et contractus huiusmodi feudi divisionis, 28 Augusti prime Inditionis 1453 in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 599 notatam, reportavit.

Ipsoque Nicolao de Paternione iuniore defuncto, sibi in dicta Foreste medietate successit Benedictus Antoninus de Paternione, eius filius unicus, primogenitus, legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, a don Lupo Ximen Durrea, tunc Prorege, sub consueto militari servicio, XVIII Iunij V Inditionis 1472, de dicta Foreste medietate investituram, in regie Cancellarie libro Rationum (*sic*) anni 1472 V Inditionis in cartis 483 notatam, obtinuit.

Postmodum autem eodem Benedicto Antonino de Paternione absque filiis migrante, sibi in ipsa feudi sive Foreste medietate ac in terra Castanie et Salinis Nicoxie, de quibus Salinis inferius in cartis. . . non nihil dicam, successit Margarita Tornaimbeni eius soror; cui Margarite deinde successit Nicolaus Tornaimbeni eius filius primogenitus, legitimus et naturalis, ob renunciationem et iurium cessionem ipsi Nicolao, tamquam strictiori in gradu sanguinis predicto Benedicto Antonino, per eandem Margaritam de dicta medietate Foreste factam; et sic idem Nicolaus Tornaimbeni modo et causa antedictis, pro se et suis heredibus iure Francorum, iuribus Curie semper salvis, VII Iulij II Inditionis 1483, a quondam don Gaspare de Spes, tunc Vicerege, de ipsa Foreste medietate investituram in regie Cancellarie libro annorum 1483-1484 consequutus fuit, notatam in cartis 454.

Iacobo de Sancto Angelo memorato decedente, in ipsa Foreste medietate sibi successit Amicus de Sancto Angelo eius nepos, ex Blasco de Sancto Angelo illius filio primogenito. Qui Amicus tam

de eadem Foreste Porte Randacij medietate, quam de proprietate dicti feudi Cattayni tunc, carta gratie redimendi mediante, Gulielmo Bonina concessit in pignus pro se suisque heredibus et successoribus, iuxta formam privilegij ditorum feudorum, ob cessiones per prelibatum quondam Iacobum eius avum, ac renunciationem per prenomiatum Blascum de Sancto Angelo patrem eius, filium primogenitum dicti quondam Jacobi ipsi Amico factas, a Ioanne de la Nuça, tunc Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, IV Decembris, XIV Inditionis 1495 investituram, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 129 notatam, habuit.

Hodie vero, anno 1511 currente, eadem prelibate Foreste Porte Randatij medietas per ipsum Amicum de Sancto Angelo possidetur et reddit anno quolibet. . . . . 07 . . . .

De reliqua vero eiusdem Foreste Porte Randatij medietate, per prenomiatum Nicolaum Tornaimbeni possessa, cum Nicolaus ipse filios non procreasset, Laureamque, eius sororem virginem tunc in capillos existentem, Blasco de Lancea doctori matrimonio copulasset; Blascus ipse, tam suo proprio nomine quam uti maritus et legitimus administrator dicte Lauree eius uxoris iuxta formam contractus matrimonialis, a don Raymundo de Cardona, tunc Prorege, sub debito militari servicio, regie Curie iuribus et alterius semper salvis, penultimo Octobris X Inditionis 1507 investituram, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 170 notatam, obtinuit et reportavit.

In presentiarum autem, eodem anno 1511 currente, ipsa Foreste prenominate Porte Randatij medietas per eundem dominum Blascum de Lancea possidetur, et reddit anno quolibet. 07. . .

---

**Feudum sive Magna Foresta Lignarie**

---

Feudum sive magna Foresta vulgo vocata de Lignaria alias de Castro regie Curie, in valle Demine Sicilie Regum posita, una ex antiquis forestis et principalibus regaliis Regij patrimonij Regie Secrecie nobilis Civitatis Messane annexa et incorporata, tamquam

membrum Sacri Regij Demanij, ab illo nullatenus segregari poterat. Nihilominus nonnullæ Regni ipsius foreste ad ipsam magnam Forestam Lignarie spectantes, contra antiquarum regni Constitutionum et Ordinationum; in Regie Corone ac regalis patrimonij preiudicium et lesionem segregate extitere. Et licet ipsa magna Foresta a predictis forestis ad se spectantibus dismembrata extiterit, fuit tamen per serenissimum Regem Petrum secundum, tunc Regni pro Serenissimo eius Patre generalem Locumtenentem, sub onere unciarum viginti redditus in feudum, sub servicio unius militis, Riccardo de Rubeo et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus concessa. Ita quod, deficientibus ipsius Foreste redditibus, illos dictus Riccardus super aliis gabellis et iuribus Secrecie dicte Civitatis Messane consequi valeret, pro ut in privilegio dicti Regis Petri, in quo huiusmodi verba inter alia leguntur, scilicet: Cum ad humilem supplicationem per Riccardum de Rubeo de Messana factam providimus, quod placeat Maiestati ipsius domini patris nostri et nostre, quod unciarum auri quadraginta octo ponderis generalis solidorum, sub servicio duorum equorum armatorum pro quibus idem Riccardus in quaternis nostre Curie est notatus, quam alie uncie due eiusdem ponderis sibi de abundantiore gratia noviter addite, que quantitas pecunie sunt in summa unciarum quinquaginta, tota ipsius Riccardi vita sub servicio duorum equorum armatorum ut supra, nulla emenda equorum sibi per Curiam exinde fienda et per eum a Curia ipsa propterea postulanda, quodque post ipsius decessum heredibus suis de suo corpore legitime descendentibus imperpetuum uncias auri viginti de summa dictarum unciarum quinquaginta, sub servicio tamen unius militis etc.; sicuti eodem in privilegio dato Messane XX Agusti, IV Inditionis 1336, continetur.

Videatur ergo si prenominatus Rex Petrus Secundus, tamquam Generalis Locumtenens pro dicto Rege Federico eius Patre, eandem Forestam in tam grave preiudicium regiarum regaliarum et proventuum alienare poterat, cum tunc temporis non fuisset in capite Rex, ac si per illa verba « Placeat Maiestati Domini patris nostri et nostre etc. » intelligi potest quod eidem Regi Federico illius patri placuerit eundem eius Generalem Locumtenentem pro dictis unciis viginti redditus Forestam predictam perpetuo alienasse, pro ut ab ipso tempore citra in posse successorum dicti Riccardi semper permansit et permanet.

Mortuo postmodum ipso Riccardo de Rubeo, sibi in dictis redditibus unciarum viginti super introitibus Foreste predicte, et in

eius defectu super proventibus gabellarum dicte regie Secrecie Messane, successit Henricus Rubeus eius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui a Serenissimis Regibus utroque Martino et Maria de eisdem redditibus pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub eodem militari servicio, XI Septembris, prime Inditionis 1392, confirmationem et investituram habuit.

Ipsaque Henrico Rubeo defuncto, sibi in dictis redditibus unciarum viginti super dicta Foresta successit Ioanna, eius filia legitima et naturalis, Dominici Zafarana uxor. Que, cum exposuisset se easdem uncias viginti super certa parte dicte Foreste Lignarie consequutam fuisse, illamque tenuisse et possedisse, de eisdem unciis viginti super ipsa Foresta ab Archiepiscopo Panhormitano, tunc in regno Preside, XIV Decembris, II Indictionis 1453, investituram pro se et suis heredibus, de eius corpore legitime descendentibus, in libro magno Cancellarie dicti anni in cartis 828 notatam, obtinuit.

Perquisitis itaque per me cunctis regie Cancellarie libris, a dicto anno 1453 usque ad annum 1478, per quod temporis spacium annorum XXV est, nullam investituram sive privilegium inveni quibus aliqua de dictis unciis viginti super dicta parte Foreste mencio fieret, sive quis ipsi Ioanne Zafarana filie eiusdem Henrici Rubei successerit.

Verum, quia eodem in anno 1478 quedam apparet investiture notha in regie Cancellarie libro dicti anni, in cartis 171 notata, per Iulium Pancaldum de dicta Foresta pro se et suis heredibus iure Francorum capta, in qua exponitur eundem Iulium per mortem quondam Ioanne eius avie paterne, cui propinquior sanguine repertus fuerat, in dicto feudo successisse, evenire potuisset quod dictum feudum Foreste esset illa pars Foreste magne Lignarie Regie Curie, super cuius redditibus dedicate fuere ille uncie viginti redditus imperpetuum sub feudali servicio unius militis, postquam in ea Ioanna illa nominatur, cui asseritur Iulium Pancaldum eius nepotem successisse ut supra; cumque eadem in investitura de dicta Foresta magna Lignarie regie Curie sive de dictis unciis viginti redditus in illa deputatis nulla facta extiterit mencio, nisi tantum de feudo de la Foresta, iudicare non possum, minusque sensum aliquem dare valeo, si hic Iulius Pancaldus est ille qui prefate Ioanne Zafarana filie Henrici Rubei successit. Nihilominus si idem Iulius ipsi Ioanne successit, surrepticio modo et tacita veritate sibi dictam impetravit investituram; nam Forestam predictam non nominavit Forestam magnam Lignarie regie Curie de iuribus regie Secrecie Messane, sed feudum de la Foresta, illi nomen feudi

tantum imponendo, silens illam regij Patrimonij esse, minusque expressit quomodo dicte uncie viginti super redditibus dicte Foreste, et non ipsa Foresta concessa extitit.

Nihilominus, quicquid sit, in presentiarum, anno 1311 curren-  
te, prelibata Foresta magna Lignarie regie Curie, ut ayunt, per Hen-  
ricum et Jeronymum Pancaldum fratres possidetur; et sicut ex  
relatione Blasij de Trovato percepi Foresta antedicta quolibet anno  
reddit uncias XXX et ultra . . . . . 07 XXX

Et de huiusmodi feudo Foreste patet dictum Henricum cepisse  
investituram a quondam Ioanne la Nuça, Vicerege, pro se et suis  
heredibus de suo corpore etc. iure Francorum, ob mortem Iulij  
Pancaldi eius patris, XI Aprilis II Inditionis 1499, et in regie  
Cancellarie dicti anni libro in cartis 477.

Et sic regia Curia lesa et fraudata reperitur, et propterea ad  
hoc est recte actendum providendumque est, ut ipsius Foreste  
corpus eidem regie Secrecie Messane redducatur; quodque illius  
possessor quod hucusque ultra dictas uncias XX annuales exegit  
restituere cogatur. Quapropter mihi videtur quod Secreto Messane  
in mandatis traderetur, quod recuperata dicta magna Foresta eisdem  
possessoribus de dictis unciis XX annualibus, sub dicto militari  
servicio, responderetur. Et in hoc vestra Regia Maiestas nullam  
possessoribus iniuriam inferret; immo potius eis specialem gratiam  
tribueret cum illos gracia per vestri regij culminis progenitores in  
maximum regni Capitulorum et regalis prehemencie preiudicium  
eis concessa non privaret. Nihilominus cogatur possidens ad eden-  
dum sue titulum possessionis pro Curie cautela.

Dictus vero Henricus Pancaldus de dicto feudo Foreste, ob mor-  
tem domini Regis Ferdinandi, a don Hectore Pignatello Comite  
Montileonis regni Sicilie Locumtenenti generali, cepit investituram  
die XX Iunii, V Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516  
fol. 689; et iuravit reddere. . . . . 07 XV

**Feudum sive Foresta Porte Tauromeni**

---

Feudum sive Foresta Porte Tauromeni, in valle Demine huius Sicilie Regni situm et positum, pro ut alias in Secreciarum Capibrevio diffusius patet, per sacrum antiquum regium Demanium, tanquam de membris regie Secrecie nobilis Civitatis Messane et ad magnam Forestam regie Curie spectans, priscis temporibus possidebatur. Quo tamen iure ab ipso Demanio Foresta ipsa segregata extiterit, percipere nunquam potui; cum presertim universe regni Foreste de regio ipso fuerint et sint Demanio, et ad ipsum penitus spectent et pertineant; nec non et in omnibus privilegiis concessionum regni feudorum Sicilie Reges illas omnino sibi reservaverint, precipientes quod nemo in ipsis Forestis aliquatenus suas manus extendere presumat, iuxta sacrarum Regni Constitutionum et antiquissimarum Ordinationum seriem et tenorem; ne Sacre Regie Corone superioritates, preheminentie et regalie diminuantur, cum forestas ipsas pro conservacione et augmento regij status maxime esse importancie non dubium sit.

Nihilominus, quomocumque sit, inveni Forestam ipsam Porte Tauromeni a Serenissimo Rege Petro secundo eius cum privilegio, dato in anno 1338, Nicholao de Laurea concessam extitisse. Quo quidem Nicholao ab intestato exinde defuncto, illi in dicta Foresta successit Elisabet eius filia, tanquam maior natu, uxor Francisci de Vigintimilio Comitis Geracii et Golisani. Qui quidem Franciscus de Vigintimilio et Elisabet iugales de dicta Porte Tauromenij Foresta quondam Raynaldo Crispo legum doctori Messane, et suis imperpetuum heredibus in feudum sub consueto militari servicio donationem fecere. Quam donationem Serenissimus Rex Federicus eidem Raynaldo et suis heredibus, de eius corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub dicto feudali servicio, suo cum regio privilegio acceptavit et confirmavit hac cum clausula scilicet: quatenus donacio ipsa iuste et rite ac rationabiliter facta est etc. Preterea idem Rex Federicus ad dictam huiusmodi Foreste segregacionem et ipsius alienacionis importanciam actendens, eodem in privilegio huiusmodi verba inter cetera expressit, scilicet: **Et nostre**

Curie tamen reservato, quod eidem Curie sit licitum Forestam ipsam quotiens elegerit et voluerit eidem Raynaldo et dictis eius heredibus in annuis redditibus unciarum quinquaginta quinque, pro quibus dicta Foresta prefato Nicholao de Laurea per dictum dominum Regem genitorem nostrum concessa extitit, super morticiis et excadenciis nostre Curie providere in excambium dicte Foreste, assignato sibi prius dicto excambio de quo se habeat merito contentari etc. quemadmodum eodem in privilegio in regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 198 notato, late patet.

Mortuo tandem eodem Raynaldo Crispo doctore, sibi in dicta Foresta successit Federicus Crispus eius filius, qui post nonnulla tempora, sequuta dicti eius patris morte, quia in regno nondum aliquis tunc temporis fuerat in Regem declaratus, a Serenissimo Ioanne Infante, tunc in Regno Vicario et Prorege, dicta Foresta pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub feudali servicio, investituram cum inserto tenore dicti privilegij Regis Federici, et contractus donacionis Comitis et Comitisse sub clausula et retencionibus in illis contentis, XXV Iulij IX Inditionis 1416 reportavit, pro ut in illa investitura, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 136 notata, continetur.

Ipsoque Federico Crispo defuncto, sibi in dicta Foresta successit Andreas Crispus eius filius, qui non apparet investituram habuisse. Quo Andrea e vita migrante, sibi in eadem Foresta successit Ioannes Crispus eius filius legitimus et naturalis, qui pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus sub dicto militari servicio et cum retencionibus ac clausulis in predictis privilegiis expressis, a don Lop Ximen Durrea, tunc Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, XXV Februarij, X Inditionis 1446 de ipsa Foresta investituram, in regie Cancellarie libro anni 1447 in cartis 482 registratam, consequutus fuit.

Postmodum autem dictus Ioannes Crispus et Elisabeth, iugales, in vim regie licentie date Panhormi VII Novembris, X Inditionis 1477, quondam Ioanni Henrico de Balsamo Forestam antedictam Porte Tauromenii precio unciarum quingentarum, vigore contractus manu notarij Anthonij Sollima celebrati VII Iunij, X Inditionis 1477, vendiderunt. Ipseque Ioannes Henricus de Balsamo pro se et suis heredibus et successoribus, carta tamen gracie reddimendi mediante, sub ea forma et lege quibus venditores prelibati Forestam predictam tenebant et sub illis retencionibus et reservacionibus eisdem in privilegiis contentis, a Comite de Prades, tunc Prorege, II Marcij XI Inditionis 1478, iuribus Curie et

alterius semper salvis, de Foresta premencionata investituram, in regie Cancellarie libro anni 1477 in cartis 212 notatam, obtinuit.

Deinde autem idem Ioannes Crispus Forestam Porte Tauromenij memoratam a posse dicti Ioannis Henrici de Balsamo seu eius heredum redemit, illamque postmodum eadem gracia reddendi mediante Mannuchie de Porco mulieri et suis in perpetuum heredibus, precio unciarum quingentarum, ac pro unciis septem et tarenis XV annui redditus super dicto feudo sibi anno quolibet solvendis, asserti publici contractus vigore vendidit; quem contractum Principis licenciam et investituram in regia Cancellaria hucusque invenire nequivi. Hec tamen ad informacionem per Franciscum de Crispo, fratrem et successorem dicti quondam Ioannis Crispum venditoris ut supra, mihi factam exponere mihi visum est. Et ideo Manuchia ipsa ad dictas edendas scripturas pro Curie cautela cogatur.

In presentiarum autem, anno 1511 corrente, eadem Porte Tauromenij Foresta per ipsam Manuchiam de Porco possidetur. Que, ex relatione oretenus per dictum Franciscum Crispum mihi facta, anno quolibet reddit ultra . . . . . 07 C

Dictaque Foresta Tauromenij venit in posse Beatricis de Marchisio, filie dicte Manuchie, que per eius filium et procuratorem cepit investituram dicte Foreste, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna, Presidente, die XVII Septembris V Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 51; et iuravit dictus procurator reddere anno quolibet . . . . . 07 XX tamen falso iuxta primam informacionem et relacionem.

Quoniam Foreste Porte Tauromenij, ut superius expositum est, tanquam a priscis temporibus de antiquo Regio Demanio et de iuribus Regie Secrecie Messane cum adeo privilegiata regalia ab ipso Demanio segregari non poterat neque debebat, quam vestra Catholica Maiestas eidem regio Demanio et Patrimonio agregare posset. Nihilominus illa clausula sive retentione actenta, scilicet, quod quandocumque regia Curia voluerit super morticiis et regiis excadenciis per equivalens excambium unciis quinquaginta quinque annui redditus consignare, pro quibus Foresta ipsa per Serenissimum Regem Petrum Nicholao de Laurea concessa extiterat, absque dubio Vestra Regia Celsitudo nulli iniuriam inferendo, equivalenti excambio prestito, Forestam ipsam Porte Tauromenij ad se revocare et Sacro Regio Demanio agregare, ac Regie Secrecie memorate tanquam de antiquissimis regaliis applicare potest; quod licet ex debito fieri posset, essetque statui regio eiusque conservacioni valde



profiguum, nihilominus Curia regia anno quolibet augmentum unciarum. . . consequeretur.

Demum autem, presenti informatione composita, ut haberetur titulus prenominatæ Manuchie attendi. Que Manuchia, cum suas obtulisset scripturas, quemdam inter eas contractum dicti quondam Ioannis Henrici de Balsamo. ac actum lucionis ab eius posse per quondam Ioannem Crispum factum, nec non et alium contractum per quem idem Ioannes Crispus feudum predictum prefate Manuchie Porco, modo quo supra, vendidit, inveni; in quibus Vice-regie licencie inserte sunt, cum concessione medietatis iurium decime et tarenî, nec non cum clausula quod ipse Ioannes sive sui heredes feudum ipsum infra quinque annos sibi reddimere possent. Quodque illis decursis et dicta non facta lucione, feudum predictum penitus venditum intelligatur, ut vulgo dicitur, a tutti passati; quemadmodum in quoddam contractu manu notarij Johannis Matthei de Cammarana de terra Tauromenij VII Augusti XV Inditionis 1482 celebrato, continetur; que scripture penes regiam Cancellariam conservantur.

---

#### **Feudum sive Foresta de Plati**

---

Feudum sive Foresta vulgo dicta de Plati terre sancte Lucie Plani Melatij, in Valle Nemorum vallis Demine posita, ac ad magnam Forestam Lignarie regie Curie spectans, tanquam membrum Secrecie nobilis civitatis Messane, de antiquo fuit et erat Sacro Regio Demanio. Que Foresta per Serenissimum Regem Ludovicum, tunc in minoribus constitutum de consensu Serenissime Infantisse Constancie, eius sororis et dicti Regni Generalis Vicarie, Vincentio de Bonagratia et suis heredibus, de suo corpore legitime descendentibus in feudum sub servicio unius equi armati Regie Curie prestando, suo cum regio privilegio concessa extitit. In quo huiusmodi inter alia leguntur verba, scilicet: Forestam nostre Curie dictam de Plati et terre sante Lucie etc. pro ut in ipso privilegio dato Messane XXVIII Iulij, VI Inditionis 1353, in Regie Cancellarie libro anni 1343 in cartis 167 notato, continetur.

Ipsoque Vincentio de Bonagratia exinde defuncto, sibi in dicta Foresta successit Lodovicus de Bonagratia eius filius, qui Forestam ipsam unciarum nonaginta pretio, sub dicto militari servicio, publico contractu mediante manu notarij Petri de Amato Messanensis, XIV Ianuarij VII Inditionis 1383 celebrato, Petro de Vitali et suis imperpetuum heredibus vendidit. Quem venditionis contractum Serenissima Regina Maria eidem Petro de Vitali et suis heredibus de suo corpore legitime discendentibus, cum dicto militari servicio unius equi et cum clausula etiam, scilicet: etiam si ex eodem Aloysio venditore vel suis legitimis et naturalibus liberis, naturales et legitimi deficerent descendentes, quo casu secundum formam concessionis et confirmationis ipsorum feudum sive forestam predictam foret ad manus nostre Curie devolvenda etc.; ac iuribus regie Curie et alterius ac Constitutionibus Regis Iacobi et aliorum Sicilie Regum semper salvis, ratificavit et confirmavit; sicuti in ipsius Regine privilegio dato Cathanie XVI Marcij, VII Inditionis 1383 late patet.

Mortuo postmodum predicto Petro de Vitali, sibi in dicta Foresta successit Henricus de Vitali eius filius legitimus et naturalis, qui pro se et suis heredibus de eius corpore legitime discendentibus ab Episcopo Illerdensi et Anthonio de Cardona, tunc Proregibus, sub dicto militari servicio regni, Constitutionibus iuribus regie Curie et alterius semper salvis, de dicta Foresta, XX Marcii X Inditionis 1416, investituram in Regie Cancellerie libro dicti anni in cartis 217 notatam, reportavit.

Perquisitis itaque per me singulis Regie Cancellarie libris, a dicto anno 1416 usque ad annum 1463, nullum privilegium sive investituram aut aliquam scripturam de dicta Foresta repperi ut percipere potuissem quis in dicta Foresta, morte dicti Henrici de pervitali (*sic*) filij et successoris eiusdem Petri de Pervitali (*sic*), legitime successerit. Nihilominus in dicto anno 1463 quoddam iuramentum sive investituram de dicta Foresta per quondam Nicolaum de Gotto captam inveni, asserens ipsam Forestam de Plati et terre sancte Lucie de Plano Melacii ad magnam Forestam Lignarie Regie Curie in territorio dicte terre spectantem tenere et possidere, ut in ipsa nota investiture data Panhormi XXVI Ianuarij XIII Inditionis 1464, et in Regie Cancellarie libro anni 1463 in cartis 252 registrata, demonstratur. Tamen in illa nulla fit mencio quo iure idem Nicholaus Gottus in memorata Foresta successerit.

Quo quidem Nicholao Gotto decedente, sibi in ipsa Foresta An-

thorius Gottus eius filius successit. Qui similiter de eadem Foresta pro se et ejus heredibus de suo corpore legitime descendenti-  
qus a tunc Vicerege, XXII Maij VII Inditionis 1488, investituram,  
in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 445 registratam, con-  
sequutus fuit; minusque in ea ratio redditur quo iure prefato Ni-  
cholao Gotto patri eiusdem Anthonii, ac ipsi Anthonio Foresta  
memorata devenerit; que tunc temporis erat redditus unciarum.....

Et hodie, anno 1511 currente, Foresta ipsa que per predictum  
Anthonium Gottum possidetur reddit anno quolibet. 07 XXXX

---

*Allegatio*

---

Cum clarissime demonstratur, Catholice Princeps, Forestam  
de Plati antedictam de regaliis antiquis fuisse, et adeo regni Fo-  
reste privilegiate existant, quod in omnibus regiis feudorum con-  
cessionibus Foreste ipse antique saline et pascua reservantur, nec  
non ipsa de Plati Foresta Regie Secrecie Messanensis annexa fue-  
rit, non dubium est Regiam Curiam antiquis regni Ordinacionibus  
et Capitulis in Regij Demanij favorem editis, actentis Foresta de  
Plati ipsam sibi revocare et eidem Secrecie Regie restituere posse,  
quod penitus fieri deberet, ne sacri Regij Demanij iura diminuantur.

Preterea ipsius Foreste possessor interea compelli posset ad  
edendum quo iure Foresta ipsa, que Regie Curie est, in posse dicti  
Nicholai Gotto et tandem ipsius Anthonij Gotto illius filij deve-  
nerit, ut veritas in lucem adducatur.

---

**Foresta de Revocato seu Jardinelli et Mancusa**

---

Foresta seu feudum vulgo dictum de Revocato seu Jardinelli et la Mancusa prope Rocellam, in valle Nemorum seu valle Demine sita et posita, de Regiis regaliis fuit et est, sicut alie antique Foreste antiqui Regii Demanij. Que Foresta de Revocato, antiquis regni Ordinationibus, Consuetudinibus et Capitulis obstantibus, nullo pacto alienari poterat. Tamen, quomodocumque sit, Foresta de Revocato memorata per regales personas in quondam Manfredum de Lancea fuit alias alienata, quam retroprincipes quodam equivalenti exambio Regie Curie revocarunt. Inde vero ad certum tempus Serenissimus Rex Ludovicus, tunc in minori etate constitutus, de sciencia et plena noticia, ut dixit, Infantis Ioannis eius patru, dicti regni generalis Vicarij, Forestam ipsam Damiano Spatafora et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub militari servicio unius equi alforrati Regie Curie prestando, suo cum Regio privilegio inadvertenter concessit. In quo privilegio exponitur ipsam Forestam Regie Curie esse per hec verba scilicet: Forestam nostre Curie que dicitur de Revocato; sicuti ipso in privilegio dato Cathanie XVII Maij XI Inditionis 1343, et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 4 notato, continetur.

Sed quia de hujusmodi Revocato feudo sive Foresta inferius in capitulo feudorum Bonvassallo, Pictari, Petra Intossicata et Revocato in cartis 636 amplissime et genelogia ac successio possessorum eius late exponitur, illi relatio omnino habeatur.

---

**Foresta terre Trayne  
Aptilia et Guidomandri Feuda**

---

Foresta terre Trayne, in valle Demine et territorio vallis Nemorum et dicte terre sita et posita, de membris et iuribus Regie Secrecie eiusdem terre fuerat; una etiam ex reservatis et privilegiatis antiquis regni Forestis in conservacionem status regalis Co-

rone. Que Foresta Trayne, sicuti alio in Capibrevio regni Secretiarum exponitur, una cum terra Scalecte per quondam Nicholaum de Pactis antiquitus possidebatur; quo tamen iure ad eum pervenerit nullus in regia Cancellaria titulus apparet. Et sic rationem dare non valeo si eandem Forestam et terram in forma stricta vel larga idem Nicholaus de Pactis tenebat. Immo, ut eodem in Capibrevio dictum est, Serenissimi Reges Martinus et Maria eidem Nicholao de Pactis officium Capitaneatus prelibate terre Scalecte et casalis Aptilie ac Guidomandri concessere, de quibus Nicholaus predictus ad ipsorum Regum beneplacitum baro dicebatur, pro ut in quadam Regia provisione data in anno 1399 XVI Aprilis VIII Inditionis, et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 116 notata, continetur. Quapropter per ipsam Capitaniatus concessionem clare demonstratur eundem Nicholaum dictarum terre casalium et foreste conditionaliter fuisse baronem. Quodque Regia Corona in illis aliquam iurisdictionem tenebat, nihilominus eodem tempore dictus Nicholaus de Pactis in ultimis quibus decessit suo cum testamento Sallimbenium de Marchisio in dicta terra Scalecte et Foresta Trayne ac in cunctis eius bonis heredem universalem instituit. Quam testamentariam dispositionem prenominali Reges eidem Sallimbenio et suis imperpetuum heredibus et successoribus, iuxta tenorem predictorum privilegiorum, acceptarunt et confirmarunt, cum hac tamen clausula, scilicet: Et si nostra Curia ius aliquod in illis bonis seu eorum altero forsitan haberet, ius illud prefato Sallimbenio ex ampliori munificencie nostre dono gratiose conferimus et donamus cum illis iuribus et rationibus, proprietatibus, directibus, vassallagiis, immunitatibus, privilegiis, usibus et consuetudinibus et gratiis quibus tam predictus quondam Nicholaus quam omnes alij sui predecessores in castro, feudis et bonis supradictis habere tenere uti frui et gaudere consueverunt, et cum omnibus aliis iuribus, rationibus, proprietatibus et pertinenciis ad bona ipsa et ipsorum quolibet spectantibus iuxta seriem et tenorem privilegiorum eorundem etc.; sicuti in ipsa Regia confirmatione data Panhormi XV Februarij VII Inditionis 1396, in Regie Cancellarie libro anni 1397 VI Inditionis in cartis 142 notata, continetur.

Quamobrem non modica admiratione adducor quo iure Nicholaus de Pactis predictus, nullo per eum ostenso titulo sive privilegio forme concessionis dicte terre Scalecte et Foreste, in illis memoratum Sallimbenium de Marchisio heredem instituerit, qui Sallimbenius non erat de genere sive descendencia ipsius Nicholay te-

statoris. Cumque exinde eodem in anno illam regiam provisionem concessionis officij Capitaneatus Scalecte et casalium predictorum ad regium beneplacitum concessam invenissem, quasi confusus permansi. Perquisitis itaque per me dicte Regie Cancellarie registris ut viderem si aliqua extarent privilegia dicto Nicholao de Pactis concessa, ad que privilegia dicti Reges Martinus et Maria se referunt per illa verba scilicet: iuxta formam privilegiorum suorum etc., et nihilominus aliquid invenire nequivi. Et sic cum formam percipere non puterim qua Nicholaus predictus dicta feuda et Forestam possidebat, ac qua ex causa Foresta predicta a sacro Regio Demanio segregata fuerit; compositis utriusque Capibreviis, illisque per sacrum Regium consilium vestre Catholice Maiestatis examinatis, vestra Regia Celsitudo consulto deliberando suis cum regiis instructionibus providit, quod possessor eiusdem Foreste ad edendum titulum dicti Nicholay de Pactis testatoris compelleretur, ut veritas pro Curie cautela videatur. Nam non sine quare Nicholaus antedictus eundem Sallibenium de alia genologia et descendencia oriundum in heredem instituit; similiter non sine causa tunc temporis in dictis terra, foresta et casalibus Regia Corona iurisdictionem tenebat cum dictum Nicholaum in Capitaneum creaverit, illumque baronem, ut predicitur, invocaverit. Preterea memini Nicholaum Sollima, doctorem et in presentiarum hoc in Regno magne Regie Curie iudicem, mihi notificasse quod feuda ipsa, terra et foresta pro unciis centum et non ultra detencta sunt et usurpata, quodque huiusmodi negocij scripture latent et occulte detinentur.

Nihilominus, quicquid sit, ne longus videar satis est vestre Catholice Maiestati notum esse quod dicta Foresta demanialis et adeo privilegiata non potuit neque potest alienari, neque alienata detineri. Et sic aliquid inveniri debet expediens honestum, quo Foresta ipsa eidem Regie Secrecie terre Trayne pro ut erat reduceretur.

Cum autem de descendencia dicti Sallimbenij de Marchisio in utroque Capibrevio diffusius verba fecerim, aliud dicendum esse non duxi, nisi quod in presentiarum, anno 1511 currente, dicta Foresta Trayne per Sallimbenium de Marchisio a prenominato Sallimbenio descendente possidetur; que annis singulis reddit 07. . .

**Solacia Regia terre Trayne, Salamuni et Ambula**

---

Solacia terre Trayne, vulgo Salamuni et Ambula nuncupata, in eiusdem terre Trayne territorio vallis Demine sita et posita, tanquam de regaliis et regiis solaciis, Regie Secrecie eiusdem terre annexa et incorporata fuerant.

Deinde autem Solacia ipsa quondam Ioannis de Bonacolsis mantuani, civitatis Cathanie habitatoris, posse devenere. Et perquisitis per me Regie Cancellarie codicibus, ad titulum sive privilegium ipsorum solaciorum inveniendam, ut percipere qua ex causa Solacia ipsa alienata fuere et eidem Ioanni Bonacolsis mantuano alienigene, contra Regni Constitutiones et Ordinationes, concessa extitere. Et tandem in ipsa Regia Cancellaria nullus titulus nullumque privilegium in ipsius Ioannis de Bonacolsis personam alteriusve inventum est. Nihilominus dictus Ioannes de Bonacolsis Solatia Trayne predicta unciarum viginti precio quondam Andriane, tunc relicte quondam Ioannis de Taranto civis Cathanie, et suis imperpetuum heredibus et successoribus vendidit, dicens ab annis fere triginta Solacia predicta, vigore privilegiorum suorum, tenuisse et possedisse: sicuti de huiusmodi vendicione puplico contractu manu notarij Laurencij de Notho XXI Augusti IX Inditionis 1404 facto patet. Quo in contractu nulla fit mencio, quo iura dictus Ioannes de Bonacolsis Solatia Regia predicta sub militari servicio Curie regie prestando, ut decet, tanquam de regaliis, et solaciis regiis tenebat, minusque quod illa Ioannes predictus, sine Principis licentia super huiusmodi vendicione Solaciorum necessaria cum Capituli « Volentes », aliorumque iurium super dismembracione feudorum et regiarum regaliarum reservacione seu dispensacione, vendiderat. Que Andriana, dicti contractus solius vigore, nulla per eam capta investitura, nullaque a Regia Curia scriptura obtenta, per multa tempora et annos Solatia antedicta tenuit et possedit.

Qua quidem Andriana exinde defuncta, illi in predictis Solatiis successit Ioanna eius filia, relicta quondam Gucterre de Nava, que minus de ipsis solaciis investituram obtinere, debitumque iuramentum, pro ut in feudalibus decet, prestare curavit. Immo, quod peius est, nulla apparente Principis licentia carta gratie redimendi

mediante, Solacia predicta quondam Ade de Asmundo, legum doctori, vendidit. Qui Adam debitum iuramentum et homagium, ut moris est, sicut ceteri feudatarij in posse dum (*sic*) Lupi Ximenis Durrea, tunc Proregis, VII Iulij VII Inditionis 1444. in regie Cancellarie anni libro 1444 in cartis 26 notatum, prestitit atque fecit.

Postmodum autem, ut opinor, prenominata Ioanna de Nava sibi dicta Solacia redemit, et a predicto Vicerege pro se et suis imperpetuum heredibus et successoribus, sub debito militari servicio, de illis investituram cum inserto tenore dicti contractus iuxta formam regni Capituli Regis Alfonsi reportavit, hac cum clausula scilicet: nullo tamen Regie Curie iuribus preiudicio generato per hanc confirmacionem, et si in futurum de solaciis predictis seu territoriis privilegium reperiri contingerit sub illis forma, condicionibus, obligacionibus et serviciis fore nunc confirmatas censi volumus; iuxta illorum seriem pleniorum in ipsis primevis privilegiis expressis etc. Nec non cum clausula iuribus Curie et alterius ac regni Constitutionibus semper salvis: quemadmodum in ipsa investitura expedita Panhormi X Augusti, prime Inditionis 1453, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 505 notata, continetur.

Mirandum tamen est quare investitura predicta ipsi Ioanne pro se et suis heredibus imperpetuum et successoribus ita, scilicet in forma larga, concessa fuerit cum supplicaverit investituram prelibatam iuxta dicti regni Capitulum habere, cuius virtute nullo ostenso privilegio eidem Ioanne et suis heredibus, de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, in forma stricta investitura ipsa concedi debebat. Et sic ad hoc est recte attendendum, et Regie Curie indemnitati super ostensione tituli dicti Ioannis de Bonacolsis mantuani venditoris providendum; nec non ad tenorem dicti contractus nullam de servicio militari, ut supra, mencionem facientis, ut predictur, et ad licentiam Principis super dismembracione dictorum Solaciorum a dicta Regia Secrecia et patrimonio segregatorum, considerandum est.

Mortua deinde eadem Ioanna de Nava, Solatia antedicta Trayne in posse Margarite de Castello pervenerunt. Que cum non inveniantur de ipsis Solaciis investituram accepisse, percipere non valeo, si eiusdem Ioanne de Nava Margarita ipsa filia fuit et quo iure in eis posse Solatia antedicta pervenerint.

Tandem Margarita de Castello memorata de Solaciis Trayne antedictis Ioanni de Castello militi, eius filio secundo genito legitimo et naturali, donacionem fecit. Qui Ioannes, tam ob dictam donacionem quam ob eiusdem Margarite eius matris obitum, a don



SOLATIA REGIA TERRE TRAYNE SALAMUNI ET AMBULA

Raymundo de Cardona, tunc Prorege, IX Maij XI Inditionis 1508, de dictis Solaciis investituram pro se et suis imperpetuum heredibus et successoribus, sub militari servicio iuribus Curie et alterius semper salvis, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 423 notatam, consequutus extitit.

In presentiarum autem, anno 1511 currente, dicta Solatia terre Trayne per prenominatum Ioannem de Castello possidentur; que annis singulis reddunt sive (?) . . . . . 07 LXXXX

Et mortuo dicto Ioanne lu Castello, successit Gulielmus lu Castello eius filius, qui, ob mortem patris et domini Ferdinandi Regis, a don Ioanne de Luna cepit investituram de dictis Solatiis die VII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 365, et Bernardinus Periconi, eius procurator, iuravit in animam constituentis reddere. . . . . 07 XXX

---

**Feudum Prothonotarij**

---

Feudum Prothonotarij nuncapatum, in Plano Melacij vallis Demine positum, per quondam Petrum de Falconibus de Messana antiquitus possidebatur, quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Nihilominus Petrus de Falconibus predictus feudo ipso Napolioni de Falconibus eius filio donacionem fecit inter vivos irrevocabilem. Qui Napolionus, exinde contra Serenissimum Regem Federicum rebellionem patravit, ob quam illius bona et signanter dictum Prothonotarij feudum Sacro Regio Demanio apertum fuit et devolutum, et sic Rex antedictus feudum prelibatum nonnullis personis, et presertim Guidoni Manjavaca concessit.

Postmodum autem idem Rex Federicus dictum Prothonotarij feudum prelibato Petro de Falconibus, patri eiusdem Napolionis rebellis, et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, non obstantibus concessionibus de dicto feudo aliis et precise eidem Guidoni Manjavacca factis, iterum concessit; quemadmodum de huiusmodi concessione in ipsius Regis privilegio in Regie Cancellarie libro anno 1360-1366 in cartis 342 notato, continetur.

Quoddam etiam privilegium datum Cathanie VIII Marcij III Inditionis 1394, et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 113 notatum apparet, per quod Serenissimi Reges Martinus et Maria feudum Prothonotarii antedictum Anthonie de Falconibus, Nicholay Carta medici tunc uxori, et suis heredibus iure Francorum sub consueto militari servicio, concesserunt; quo in privilegio exponitur feudum ipsum certis ex causis Regie Curie apertum fuisse et devolutum.

In anno autem 1395 quoddam aliud ab eisdem Regibus Martino et Maria apparet emanasse privilegium, per quod narratur, quod tempore regiminis predicti Regis Federici, prenominata Regine Marie genitoris, Rex Federicus ipse feudum Prothonotarij precontentum, tunc temporis a Petro de Falconibus et successive a Neapoliono de Falconibus eius filio antedictis detentum, et certis iustis ex causis ad Regiam Curiam devolutum, quondam iudici Bartholomeo de Papalcone et suis imperpetuum heredibus et successoribus concessit. Et deinde pro dicti iudicis Bartholomei serviciis Regina Maria prelibata eidem Bartholomeo et suis heredibus et successoribus omnia iura realia et personalia, mixta, directa et utilia ac quaecumque alia quovis nomine censeantur ratione morticiorum et excadenciarum quomodocumque et qualitercumque Regie Curie pertinentium et spectantium, vel que sue Regie Curie spectare et pertinere seu competere possent, in feudo predicto Prothonotarij concessit, exponendo dictum Bartholomeum usque ad sue vite finem feudum predictum tenuisse et possidisse et in ultimis quibus decessit eius publico et solemni testamento illud Pagane mulieri eius uxori et suis imperpetuum heredibus et successoribus legasse.

Quo quidem iudice Bartholomeo de Papiliono sub eadem ultima dispositione decedente, sibi in dicto Prothonotarij feudo successit prenominata Pagana, que dum vitam egit in humanis illud tenuit et possedit, et in ultimis quibus decessit suo cum ultimo et solemni testamento Genoygium de Porco eius consobrinum in ipso feudo sibi heredem instituit; cuius testamenti virtute Genoygium prelibatus de ipso Prothonotarij feudo possessionem nactus fuit, quod quidem feudum exinde dicti Reges Martinus et Maria tam de iure quam ex gratia eidem Genoyno de Porco et suis imperpetuum heredibus et successoribus, iure Francorum sub consueto militari servicio, regni Constitutionibus ac iuribus Curie et alterius semper salvis, rathificarunt et confirmarunt; sicuti in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie XXIX Aprilis III Inditio-

nis 1395, et in Regie Cancellarie libro anni 1394 II Inditionis in cartis 136 notato, seriusius enarratur.

Nihilominus mirari non desino, quare huiusmodi in privilegio nulla extitit facta mencio de illis duobus privilegiis, uno scilicet super eodem feudo per dictum Regem Federicum pretato Petro de Falconibus patri prelibati Neapolionis asserti rebellis concessio cum omnium et singularum aliarum concessionum revocatione; altero vero super eiusmodi feudo per ipsos Reges Martinum et Mariam prenominatae Antonie de Falconibus et suis heredibus etiam concessio. Que quidem concessio per annum vel circa per eosdem Reges Martinum et Mariam ante concessionem Genoysij de Porco prelibati facta extitit, et sic est recte attendendum si utraque testamentaria dispositio, que videlicet per dictum iudicem Bartholomeum eidem Pagane eius uxori de transversalibus et non de descendentibus facta fuit, ac que per ipsam Paganam prelibato Genoysio eius consobrino, qui de eius descendentibus non fuerat, facta extitit, alicuius est efficacie, sive teneat et tenere possit. Nam omnia antiqua privilegia et precise illud Genoysii, preterquam privilegium a dicto Rege Federico eidem iudici Bartholomeo, quod in Cancellaria non apparet, concessum ius Francorum exponunt et decantant; ac per hoc nullam dare valeo rationem si in ipso clausula subest iuris Francorum, et sic provideri omnino debet quod huiusmodi privilegium habeatur.

Quo quidem Genoysio Porco feudum Prothonotarij antedictum usque ad ultimum vite sue possidente et inde nature satisfaciente, sibi in eodem feudo successit Nicolaus de Porco eius filius maior natus, pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus, a tunc Regni Proregibus, ultimo Octobris X Inditionis 1416 de dicto feudo investituram reportavit, in qua de dicto iure Francorum iuxta formam privilegij dictorum Regum Martini et Marie nulla facta est mentio, quod officialium inadvertentia sive errore aut malitia evenisse opinor.

Mortuo tamen predicto Nicolao Porco, sibi in dicto Prothonotarij feudo successit Genoysius Porcus eius filius legitimus et naturalis ac maior natus, qui pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus sub consueto militari servicio, a Nicolao de Speciali, tunc Prorege, XIV Augusti III Inditionis 1425, iuribus Curie et alterius semper salvis, de ipso feudo investituram in Regie Cancellarie libro anni 1424, in cartis 522 notatam, obtinuit. In qua similiter nulla de dicto iure Francorum, culpa et defectu officialium illam concedentium, mentio facta extitit.

Quo quidem Genoysio Porco defuncto, sibi in eodem Prothonotarij feudo successit Nicolaus Porcus eius filius, qui de feudo ipso, XVIII Augusti IX Inditionis 1431, a tunc Regni Proregibus de dicto feudo investituram in Regie Cancellarie libro anni 1430, in cartis 289 notatam, reportavit.

Defuncto demum prelibato Nicolao Porco, sibi in dicto feudo Prothonotarij successit Hieronimus Porcus eius filius legitimus et naturalis ac mayor natu, qui pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus a tunc in Regno Proregibus, IX Novembris V Inditionis 1471, de ipso feudo investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni, in cartis 474 notatam, consequutus fuit. Qua quidem in investituram similiter de dicto iure Francorum, iuxta formam privilegij dicti Regis Martini, nulla facta extitit mentio.

Prelibato autem Hieronimo Porco nature satisfaciente, sibi in dicto Prothonotarij feudo successit Nicoletta (?) Porcus eius filius legitimus et naturalis qui pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus, iuxta formam sui privilegij, a Ioanne de la Nuça, tunc regni Preside, iuribus Curie et alterius semper salvis, primo Decembris IV Inditionis 1500 de dicto feudo investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni, in cartis 131 notatam, habuit.

---

#### Feudum Venetici

---

Feudum Venetici, Messane sive Melacii territorio et valle Demini consitum, quod terrarum feudaliū tenementum antiquitus intitubatur, una cum quadam taberna et quatuor villanis in eo existentibus, per quondam Simonem de Venetico et Raynerium de Venetico patrem et filium possidebatur. Quibus, Simone et Raynerio de Venetico defunctis, ipsum terrarum tenementum in posse Simij de Venetico, prelibati Raynerij filij ac prenominati Simonis de Venetico nepotis, devenit. Quo tamen iure illis devenerit nullus in Regia Cancellaria titulus apparet; et ideo nullam de titulo, forma et natura feudi ipsius dare valeo rationem. Nihilominus prefatus Simius de Venetico et Razuna iugales, tunc terrarum ipsarum pos-

possessores, de illis quondam iudici Aldoyno civi Messane cum omnibus iuribus, rationibus et pertinentiis suis, ac quatuor familias sive capita villanorum, donacionem fecerunt inter vivos irrevocabilem, quemadmodum in ipsius donacionis instrumento, quod in Cancellaria non reperitur, contineri dicitur. Quam tandem donacionem Serenissimus Rex Manfridus eidem iudici Aldoyno et suis imperpetuum heredibus, salvo tamen debito Curie servicio ac mandato et ordinacione Regia, acceptavit et confirmavit; sicuti in ipsius Regis Manfridi huiusmodi confirmacionis privilegio, dato apud Sanctum Gervasium, IX Marcij II Inditionis 1259, hec et alia diffusius exprimuntur.

Post ipsius autem iudicis Aldoyni obitum, dictum terrarum tenementum in trium personarum posse pervenisse asseritur: que an rite et recte successerint, vel ab ipso iudice Aldoyno legitime descenderint, nulla dari potest oportuna ratio, cum de hoc nullus in ipsa Regia Cancellaria actus sive scriptura demonstratur.

Tandem Jacobus de Aldoyno, qui prelibati iudicis de Aldoyno donatarij abnepos dictus est, sola cum ostensione privilegij dicti Regis Manfridi et cum illius insertione in anno quo Serenissimus Rex Alfonsus, vestri Regij culminis patruus, in regnis Aragonum et Sicilie successit, sub consueto militari servicio pro se eiusque imperpetuum heredibus ab Episcopo Illerdensi et Anthonio de Cardona, tunc in Regno Proregibus, de dicto tenimento terrarum feudalium Venetici, cum clausula Constitutionibus Regni, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, confirmacionem et investituram datam Cathanie XXVII Ianuarij X Inditionis 1416 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 79 notatam, reportavit.

Quo quidem Iacobo de Aldoyno defuncto, sibi in dicto terrarum feudalium tenemento Venetici successit Aldoynus de Aldoyno eius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio iuribusque Curie et alterius semper salvis, a quondam Nicholao Speciali tunc in Regno Vicerege de dicto feudo, XVI Octobris II Inditionis 1423 investituram, in libro Cancellarie anni 1424 in cartis 485 notatam, obtinuit.

Ipsoque Aldoyno de Aldoyno sine filiis decedente, sibi in dicto Venetici feudo successit Federicus de Aldoyno, eius frater, filius secundogenitus dicti quondam Jacobi de Aldoyno. Qui Federicus pro se eiusque imperpetuum heredibus sub consueto militari servicio, regni Constitutionibus, iurisbusque Curie et alterius semper salvis, de dicto Venetici feudo a don Lupo Ximenen Durrea, tunc in

Regno Preside XX Februarij 1448 investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 202 notatam, consequutus extitit.

Defuncto postmodum, ut asseritur, sine liberis dicto Federico de Aldoyno, sibi in dicto Venetici feudo successit Geraldus de Aldoyno eius frater, filius terciogenitus prenominati Iacobi de Aldoyno, de quorum genelogia successione et possessione nullus in Regia Cancellaria actus sive scriptura apparet. Tandem idem Geraldus de Aldoyno sine filiis defecit, et sic de iure feudum ipsum Venetici Regie Curie devolvi debebat; cum antiquus titulus et privilegium non nisi ad heredes tantum se extenderet: ob quod cum quondam Petrus de Porco Messanensis ut assertus testamentarius heres dicti quondam Geraldus de Aldoyno pretenderet in dicto Venetici feudo succedere debere, peteretque de feudo ipso confirmationem et possessionem, discusso tandem negotio in sacro Regio Consilio ipsius Regis Alfonsi cum omnium titulorum inspectione provisum fuit, ipsum Venetici feudum simul cum aliis tribus feudis prout infra dicitur, ob extinctam dicti Geraldus de Aldoyno illorum possessoris genelogiam, ad ipsam regiam Curiam devolutum esse. Et tandem dictus Rex Alfonsus, ob regias necessitates tunc sibi occurrentes, quatuor feuda, scilicet Veneticum, Mazarram, Longarinum, et Ius thoni, per prefatum quondam Geraldum de Aldoyno possessa et ob illius extinctam genelogiam ipsi Regie Curie devoluta, pro ut infra dicitur, vendidit scilicet feuda Venetici et Mazarre quondam Corrado de Spatafora et suis imperpetuum heredibus et successoribus in forma larga pro unciis tricentis sub militari servicio, videlicet feudum Mazarre sub servicio unciarum viginti annualium monete currentis in dicto Sicilie ultra Farum Regno pro uno equo armato; feudum vero Venetici sub consueto militari servicio, quociens militare servicium seu feudale in dicto Regno generaliter incideret, regnique Constitutionibus et Capitulis super demanialibus et feudalibus editis, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis; ac cum aliquibus aliis retentionibus et reservationibus contentis, et extensius declaratis quodam in Regio instrumento sive privilegio dicti Regis Alfonsi, per quod etiam dictus Rex Alfonsus per se et suos heredes eidem Corrado de Spatafora suisque heredibus promisit de evictione qualibet teneri. Et casu quo feuda ipsa sibi evincerentur, illis equivalens excambium in bonis feudalibus seu burgensaticis Regie Curie in eodem Regno traddere et assignare. Et in huiusmodi excambij defectu, ad dictarum unciarum tricentarum restitutionem pro precio ipsorum duorum feudorum Venetici et Mazarre una cum expensis, tam pro impetracione ipso-

rum feudorum, quam pro prosecutione iusticie Regie vel ipsius partis emptricis factis et faciendis teneri voluit, pro ut ipso in Regio privilegio dato in civitate Tiburis de pertinenciis urbis Rome, X Iunii X Inditionis 1447, serius exaratur.

Prelibato autem Corrado de Spatafora emptore nature satisfaciente, sibi in dictis Venetici et Mazarre feudis successit Federicus de Spatafora, illius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se eiusque heredibus et successoribus quibuscumque iuxta formam privilegij dicte vendictionis, a quondam don Lop Ximen Durrea, tunc in regno Prorege, de dictis duobus feudis cum reservatione iurium Regie Curie et alterius cuiuslibet ac regni Constitutionum, XXIII Septembris VI Inditionis 1457 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro. in cartis 235 notatam, habuit et consequutus fuit.

Mortuo tandem dicto Federico Spatafora, sibi in dicto Venetici feudo successit Franciscus Spatafora eius filius primogenitus, legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus et successoribus more Francorum, a tunc regni Presidentibus de ipso Venetici feudo ac de feudo sancti Martini, iuribus Curie et alterius semper salvis, VII Novembris XIII Inditionis 1509 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 215 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, ipsum Venetici feudum per prelibatum Franciscum Spatafora possidetur, et anno quolibet reddit . . . . . 07 LXXXIV

Qui etiam cepit investituram a don Ugo de Moncada Vicerege, ob mortem domini Ferdinandi Regis, die XXVII Iulij IV Inditionis, notatam in libro anni V Inditionis 1516 fol. 63, et iuravit redere tantumdem.

Et tamen inconveniens non esset, si Fiscus regius habere et intelligere primum titulum procuraret, scilicet quando dictum Venetici feudum Simoni et Raynerio de Venetico concessum extitit, de quibus Simone et Raynerio ille Simius Veneticus, qui sua cum coniuge Razuna de ipso feudo iudici Aldoyno Messanensi donacionem fecit, descendisse asseritur. Et hoc ut videri possit si huiusmodi concessionis forma ea est, ut ipsi iugales donacionem ipsam prefato iudici Aldoyno, de alia genelogia et agnatione, facere potuissent. Nihilominus, quicquid sit, tam vigore Pragmatice *Post Bella Regni Sicilie citra Farum* vocate, que in huius voluminis principio in cartis. . . notata est, quam per illam clausulam, qua promittitur, quod in casu evictionis amborum feudorum, Venetici, scilicet, et Mazarre, Reges post dictum Regem Alfonsum in Regno succeden-

tes in bonis feudalibus seu burgensaticis ad equivalens excambium, et in illorum defectu ad dictarum unciarum tricentarum restitutionem teneantur, Vestra Catholica Maiestas, pro eodem equivalenti excambio sive dictarum unciarum tricentarum restitutione, eadem duo feuda ad se revocare facillime potest.

---

#### Feudum Mazarre

---

Feudum Mazarre, in valle Demine et Plano Melacij districtus civitatis Messane ac territorio Trippi positum, cum cabellis terrarum Zuppe et Cavallarie, de quo quidem feudo non nihil in precedenti capitulo Venetici feudi in cartis 578 dixi, per progenitores quondam Iacobi de Aldoyno senioris possessum fuisse asseritur, quo tamen iure nullus in Regia Cancetlaria titulus apparet. Tandem feudum ipsum in posse Henrici Sardini, tamquam filij legitimi et naturalis quondam Ioannis Sardini, gradatim devenit; qui pater et filius, dum vixerunt, dictum feudum et cabellas, ut asseritur, tenuerunt et possiderunt. Mortuo postmodum prefato Henrico Sardino, illius ultimo possessore, sibi in dictis feudo et cabellis Iacobus de Aldoyno, tanquam eius consobrinus legitimus et naturalis, ac descendens, ut dixit, a predictorum possessorum linea, successit. Qui Iacobus de Aldoyno hac de causa de dicto feudo se investire intendens, sollemni iuramento, in manibus Illerdensis Episcopi et Anthonij de Cardona tunc in Regno Proregum prestito, nullum de dicto feudo titulum sive privilegium suas ad manus devenisse affirmavit. Sed tantum constito per eum de possessione, parentela et possessione predictis, pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, ac cum clausula, scilicet, si et pro ut eodem feudo dictus Iacobus melius usus fuerit, et quod vivant iure Francorum, videlicet quod maior natu minoribus fratribus et coheredibus suis ac masculus feminis preferatur etc.; nec non et cum aliis retencionibus in favorem Regie Curie, XVII Februarij XII Inditionis 1418, ab ipsis Proregibus investituram, in



Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 203 notatam, reportavit.

Defuncto insuper prelibato Iacobo de Aldoyno, sibi in dictis Mazarre feudo et cabellis successit Aldoynus de Aldoyno, eius filius legitimus et naturalis, qui cum inserto tenore precalendate Viceregie investiture ipsi Iacobo in forma stricta, ut supra concessa, a quondam Nicholao de Speciali tunc in Regno Vicerege, XVI Octobris II Inditionis 1424, de dicto feudo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio iuribus Curie et alterius semper salvis, iuxta formam dicte investiture confirmacionem et investituram, in Regie Cancellarie libro, II Inditionis 1424 in cartis 495 notatam, obtinuit.

Deficiente autem eodem Aldoyno de Aldoyno sine liberis sibi in dicto Mazarre feudo et cabellis antedictis successit Federicus de Aldoyno eius frater, filius legitimus et naturalis prenotati Iacobi de Aldoyno. Qui Federicus pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, a don Lupo Ximen Durrea tunc in regno Vicerege XX Februarij 1448 investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 199 notatam, assecutus extitit.

Decedente deinde prenominato Federico de Aldoyno absque filiis, percepi feudum Mazarre prenominatum Geraldo de Aldoyno pervenisse; qui Geraldus dicti quondam Iacobi de Aldoyno filius dictus est, et per consequens frater ipsius Federici; ipseque Geraldus non apparet de feudo huiusmodi investituram accepisse. Cumque idem Geraldus absque filiis postea nature satisfecisset, Corradus de Spatafora coram Serenissimo Domino Rege Alfonso comparens, se testamentarium heredem dicti quondam Gerardi esse asseruit, et per consequens eiusdem feudi ac aliorum feudorum per ipsum Geraldum de Aldoyno possessorem investituram reportare debere allegavit; ob quod, discusso necocio in ejus Sacro Regio Consilio, declaratum fuit dictum Mazarre feudum ac feuda Longarini et Iuris thoni Melazij, tam ob dictam strictam formam, quam quia dictus Geraldus absque liberis obiit. Regie Curie aperta esse et devoluta. Et sic idem Rex Alfonsus ob regiam necessitatem, qua tunc temporis premebatur, dictum Mazarre feudum, cum eisdem cabellis, ac feudo Venetici, de quo precedenti in capitulo verba facta sunt, eidem Corrado Spatafora et suis heredibus et successoribus ac quibus voluerit imperpetuum, sub consueto militari servicio, pro precio unciarum tricentarum monete huius Sicilie ultra farum Regni, ac cum illis etiam clausulis, retentionibus et cautelis, de quibus in ipso feudi Venetici capitulo mentio facta est, nec non et cum illa etiam obligacione, quod, in

casu evictionis, ad equivalens excambium in feudalibus seu burgensaticis, et in illius defectu ad restitutionem dictarum unciarum tricentarum teneretur, vendidit et alienavit; pro ut in quodam eiusdem Regis Alfonsi privilegio dato in civitate Tiburis, de pertinentiis urbis Rome, X Iunii X Inditionis 1447 diffusius continetur; de quo Viceregia emanavit executoria, que in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 30 notata est.

Quo quidem Corrado de Spatafora emptore nature satisfaciente, sibi in dictis duobus feudis Mazarre et Venetici successit Federicus de Spatafora eius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus quibuscumque, iuxta formam privilegij dicte venditionis, a quodam don Lupo Ximenes Durrea, tunc in regno Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, XXIII Septembris VI Inditionis 1457 de ipsis feudis investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 235 notatam, obtinuit.

Ipsaque Federico de Spatafora vitam cum morte commutante, pro ut in precedenti capitulo feudi Venetici dixi, eodem in Venetico feudo successit Franciscus Spatafora eius filius primogenitus, legitimus et naturalis.

In dicto vero Mazarre feudo ex dicti Federici Spatafora dispositione, Ieronymus de Spatafora, dicti Federici filius secundogenitus et prenominali Francisci frater, successit. Qui Ieronymus hodie, anno 1512 currente, dictum Mazarre feudum tenet et possidet; sicuti in quodam privilegio a vestra Celsitudine impetrato, quod in illo habitationem facere posset, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie anni 1507 libro in cartis 256 notata. Nec non in nota investiture feudi eiusdem per quondam Ioannem de la Nuça, tunc in Regno Proregem, ipsi Ieronymo Spatafora et suis heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegij, servicio militari iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, concessit; quam in sui propria forma vidi et in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 330 notata est, diffusius continetur.

Mortuo tandem prefato Ieronymo de Spatafora, successit sibi in dicto Mazarre feudo Bernardina de Spatafora eius filia et heres universalis, que de dicto Mazarre feudo a don Ugone de Moncada, moderno Prorege, pro se eiusque heredibus et successoribus, XVII Maii XV Inditionis 1511, militari servicio iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 590 notatam, reportavit.

Hodie vero, anno predicto 1512 currente, dictum Mazarre feudum  
BARBERI — *Capibrevi* — Vol. II. 9

dum per dictam Bernardinam possidetur et reddit anno quolibet . . . . . 07 XXXVI

Hoc in Mazarre feudo et cabellis Zuppe ac Cavallarie, eaque in prenominati Venetici feudi capitulo precedenti allegantur, allegari possunt, videlicet quod illius possessor cogi deberet ad edendum titulum quo iure ad Iacobi de Aldoyno eiusque progenitorum manus devenerint, ut vera forma stricta, scilicet, vel larga, feudi eiusdem pro Curie cautela cerni posset. Nihilominus, quicquid sit, vestra Catholica Maiestas in vim Regie Pragmatice *Post Bella Regni Sicilie citra Farum* vocate, et in huius libri principio notate, nec non et propter retentiones et clausulas in huiusmodi privilegio venditionis dictorum duorum feudorum Mazarre et Venetici appositas, scilicet quod in casu cuiuscumque evictionis ultimo loco precium unciarum tricentarum pro quo feuda ipsa ut predicatur vendita fuere, restitueretur, absque lite et contradictione aliqua, soluto prius et satisfacto dictorum feudorum possessoribus precio prenotato, feuda ipsa sibi de iure revocare potest, et eius sacro Regio Demanio iterum reducere.

Preterea attendendum est prenotatas duas cabellas, Zuppe scilicet et Cavallarie, fuisse et esse membra seu feuda de per se, ab ipso Mazarre feudo separata et extra illius territorium posita, de quibus cabellis possessores eorumque successores se investire debent, ac pro illis debitum ligium et homagium Principi prestare. Et nihilominus nec prelibatus quondam Ieronymus de Spatafora, neque prenominata Bernardina eius filia in eorum investituris dicti feudi Mazarre easdem duas cabellas Zuppe et Cavallarie, que in primo titulo sub militari servicio concessae fuere, exprimere curarunt; ob quod Regia Curia ob non captas investituras lesa et in iuribus suis defraudata reperitur.

Dictumque feudum Mazarre exinde venit in posse Ioannis Petri Spatafora quondam Federici, de qua successione non apparet investitura. Tamen ipse Ioannes Petrus cepit investituram de dicto feudo a don Ugone de Moncada Vicerege, ob mortem domini Regis Ferdinandi, die VII Iulii IV Inditionis 1516, notatam in libro anni V Inditionis 1516 fol. 64; et iuravit reddere . . . . 07 XXXVI

**Feuda Longarini et Thoni Amanfaragij Melacij.  
sive Iura Naufragij**

---

Feudum Longarini in valle Nothi et territorio Siracuserum existens, et feuda iuris Thoni ac Amanfaragij planicie Melacij valis Demine nuncupata, per quondam Gemmam mulierem quondam Federici de Jordano coniugem, antiquitus ex suorum progenitorum successione possidebantur; de qua successione nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem ipsa Gemma defuncta, sibi in dicto Longarini feudo Geraldus de Jordano, eius filius, successit. Ipsoque Geraldo de Jordano absque filiis suo de corpore legitime descendentibus mortuo, sibi in dicto Longarini feudo successit Constantia mulier eiusdem Geraldi soror, et dicte Gemme filia, tunc uxor Jacobi de Aldoyno. Que quidem Constantia, seu dictus Jacobus de Aldoyno eius vir illius nomine, prestito prius per eum iuramento in manibus tunc Regni Viceregum, quod suas ad manus nullum devenerat de dicto feudo privilegium; pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum sub consueto militari servicio, ab eisdem tunc Proregibus, regni Constitutionibus antiquis et Capitulis, iuribusque Curie et alterius cuiuslibet semper salvis, de ipso Longarini feudo, X Ianuarij XII Inditionis 1418 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 152 notatam, cum nonnullis aliis retentionibus in ipsa Vicerugia investitura expressis et declaratis, reportavit.

Postremo vero dictum Longarini feudum una cum aliis tribus feudis, scilicet Venetico et Mazarra ac iure Thonii Melacij, in posse Geraldi de Aldoyno, dictorum quondam Jacobi et Constancie de Aldoyno iugalium filii, pervenit. De qua successione dictorum quatuor feudorum in dictum Geraldum nullus in Regia Cancellaria titulus apparet sive scriptura.

Deficiente tandem absque filiis prelibato Geraldo de Aldoyno, ac exclusis per Serenissimum Regem Alfonsum eiusque Sacrum Regium Consilium, Corrado Spatafora et Petro Porco assertis testamentariis heredibus dicti quondam Geraldi de Aldoyno, quia forma stricta ipsorum feudorum actencta, deficientibus ex recta linea heredibus ipsorum de Aldoyno, de quibus fuit novissimus heres dictus

Geraldus, dicta quatuor feuda Regie Curie aperiebantur, feuda ipsa ipsi Regie Curie aperta fuere et devoluta. Et nihilominus ipse Rex Alfonsus, ob regias necessitates tunc illi occurrentes, feudum Longarini ac feudum iuris Thoni Melacij antedictum, pro unciarum quatringerarum precio, eidem Petro Porco suisque imperpetuum heredibus et successoribus sub consueto militari servicio, ac cum obligatione evictionis, quodque quando forte questio temptaretur in iudicio vel extra, Fiscus Regius Regie Curie exponentis, litem eandem in se assumeret: et si Fiscus ipse succumberet vel devictus esset, ad equivalens excambium in bonis feudalibus vel burgensaticis sue Regie Curie, et in excambij huiusmodi defectu ad restitutionem dictarum unciarum quatringerarum teneretur; nec non et cum aliis clausulis, retentionibus et cautelis in eius regio privilegio, dato in civitate Tiburis de pertinentiis urbis Rome X Iunij X Inditionis 1447, appositis vendidit et transtulit; de quo regio privilegio Viceregia emanavit executoria data Panhormi, XI Septembris XI Inditionis 1447. Qua facta venditione, inde ad certum tempus prefatus Rex Alfonsus prelibatum Petrum Porcum eiusque imperpetuum heredes ab ipso militari servicio dictorum duorum feudorum exemit et liberavit. Statuendo tamen et declarando, quod ipse Petrus Porcus, sui que imperpetuum heredes, anno quolibet ultimo Augusti par unum chirotecarum corei, sive eorum valorem tantum, ipsi Regie Curie pro unoquoque dictorum duorum feudorum exsolvent; quemadmodum quadam in eius Regia provisione data Neapolis VIII Octobris III Inditionis 1454, de qua Viceregia emanavit executoria, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 60 notata, serius declaratur. De quo venditionis privilegio a quondam don Lupo Ximenen Durrea, tunc in regno Prorege, executoria data Panhormi XXIV Aprilis VII Inditionis 1459, in Regie Cancellarie libro annorum 1458-1459 in cartis 564 notata, emanavit.

Decedente deinde eodem Petro Porco, sibi in dictis feudis successit Petrus Porcus iunior, eius nepos, filius quondam Bartholomei Porcu, filij predicti quondam Petri de Porco senioris, eidem Petro Porco iuniori premortui. Qui Petrus Porcus iunior a don Lupo Ximenen Durrea, tunc in regno Prorege, de feudis ipsis VII Marcij IV Inditionis 1470 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 213 notatam, obtinuit.

Ipsaque Petro Porco iuniore defuncto, sibi in dictis duobus feudis successit Bartholomeus Porcus, eius filius et quondam Mannelle iugalium, qui pro se suisque heredibus et successoribus quibuscumque sub consueto militari servicio, ana, videlicet, unciarum viginti

pro quolibet equo armato, secundum annuos redditus feudorum antedictorum, sub qua forma et servicio feuda ipsa dicto Petro Porco seniori per dictum Regem Alfonsum in eodem anno 1447 vendita fuerant, a tunc Vicerege de feudis prelibatis primo Decembris VII Inditionis 1474 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 313 notatam, reportavit.

In hoc autem est attendenda causa sive respectus, quare dictus Bartholomeus Porcus de dictis feudis investituram accipere voluerit sub illo consueto militari servicio, pro quo feuda ipsa ut supra vendita fuerant, et gratiam relaxationis dicti servicij militaris ad unum par chirotecarum pro singulo feudo, anno quolibet in fine mensis Augusti, Regie Curie solvendum reducti tacuerit. Nam mihi persuadeo eundem Bartholomeum hoc tacuisse, ne feuda predicta Regie Curie confiscarentur, cum possessores ipsorum feudorum dictum annuale ius non exsolverint, et per consequens ipsam regiam defraudaverint et in penam puplicacionis illorum incurrerint.

Mortuo exinde prefato Bartholomeo Porco absque liberis, sibi in dictis feudis Longarini et iuris Thoni successit Jheronimus Porcus eius frater, filius dicti Petri de Porco, sed hucusque mihi non constitit dictum Jeronymum de illis investituram accepisse.

Quo Jeronymo e vita migrante, sibi in ipsis feudis successit Mannuchia de Porco eius filia legitima et naturalis, que pro se eiusque heredibus et successoribus de feudis predictis a don Raymundo de Cardona, tunc in regno Preside, servicio militari iuribusque Curie et alterius semper salvis, XXIV Aprilis X Inditionis 1507 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1506 in cartis 623 notatam, consequutus extitit.

Hodie vero, anno 1512 decurrente, dicta Longarini et iuris Thoni Melacij feuda per ipsam Mannuchiam Porcu in presentiarum uxorem Comitis de Ayello possidentur; que feuda annis singulis reddunt. . . . . 07 LVIII

Unde vestra Catholica Maiestas, tam in vim Regie Pragmatice *Post Bella*, in huius voluminis principio notate, quam propter clausulas in privilegio dicti Regis Alfonsi venditionis feudorum ipsorum appositas, restituto prius possessoribus pretio dictarum unciarum quatringerarum, quandocumque feuda prelibata recuperare valet et Regie Curie redducere.

Ipsaque domna Mannuchia, uxor Comitis Ayelli, de dicto feudo Longarini ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die VIII Februarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 408, et iuravit reddere tantumdem.

**Feudum Thoni Melacij**

---

Cum alias de feudo iuris Thoni Melacij, de quo superius in precedenti capitulo in cartis.... mentio facta est, in Capibrevio Regni huius Secreiarum in cartis 221 diffusius verba fecerim, quod largiflue constat de iuribus Regie Secrecie terre Melacij antiquitus extitisse, quodque in vim regni Capitulorum et precise Siracusani colloquij nullo pacto ab ipsa Secrecia Regia segregari poterat, de illo hoc in loco nil aliud dicendum esse duxi; nam ad ea, que eodem in regni Secreiarum Capibrevio exprimuntur et declarantur, omnino me referre visum est.

Dictumque feudum Thoni Melacij venit in posse domne Manuchelle Porcu Comitisse Ayelli, que ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna, Preside, cepit investituram die VIII Februarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 509, et iuravit reddere . . . . . 07 LV

---

**Feudum Sancti Martini et Casalia sua, scilicet  
Sancte Anne, Paterniti, Grippari, Pichuli et Floccari**

---

Feudum Sancti Martini in valle Demine et Plano Melacij tenimenti Messane positum, cum illius Casalibus predictis, per quondam Raymundum Romeo messanensem antiquitus possidebatur, cui sub certa forma et servicio per Sicilie Reges concessum extiterat. Tempore autem, quo Serenissimus Rex Lodovicus regnabat, ob rebellionem per nonnullos barones et feudatarios messanenses contra regiam Coronam patratam, Rex ipse cuncta feuda baronum predictorum sue Regie Curie revocavit; inter que feudum Sancti Martini prelibatum cum eisdem Casalibus suis, per eundem Raymundum

Romeum, unum ex dictis rebellibus, tunc possessum, connumeratum fuit. Quod quidem Sancti Martini feudum, eiusque Casalia, Rex Ludovicus ipse, ut plus offerenti venderetur, subhastari fecit. Et tandem per iudicem Franciscum Spina, legum doctorem, unciis quadraginta pro eisdem feudo et Casalibus oblatis, idem Serenissimus Rex Ludovicus feudum predictum eisdem cum Casalibus prefato iudici Francisco Spina, eiusque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio Regie Curie prestando, ac cum renunciatione beneficii restitutionis in integrum ac omnis legum auxiliij legisque ultra dimidiam iusti precij; nec non et cum clausula, scilicet, quod si aliquo processu temporis quacumque ratione vel causa seu forte aliquibus Constitutionibus et Capitulis huic forte adversantibus, quibus omnino in hac parte volumus derogari, hec venditio possit infringi, seu modo aliquo irritari, predictis omnibus omnimodam roboris habeat firmitatem etc. vendidit et alienavit; sicuti in ipsius Regis Lodovici vendicionis dicti feudi Sancti Martini cum Casalibus suis privilegio, dato Cathanie XI Iunij XIV Inditionis 1343, in quo illorum confinia per extensum denotantur, late patet.

Mortuo postmodum eodem iudice Francisco Spina dictorum feudi et Casalium emptore, sibi in eisdem successit Constantia illius filia legitima et naturalis ac uxor Raynaldi de Lancea. Qua deinde defuncta, sibi in eisdem feudo et casalibus successit Franciscus Lancea illius filius legitimus et naturalis. Ipsoque Francisco deficiente, sibi eodem in feudo successit Raynaldus de Lancea eius filius legitimus et naturalis, de quibus successione nullus apparet in Regia Cancellaria actus sive investitura. Tandem Raynaldus ipse, pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus sub consueto militari servicio, regnique Constitutionibus et Capitulis ac iuribus Regie Curie et alterius cuiuslibet semper salvis de dictis feudo et casalibus a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc in Regno Preside, primo Octobris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 270 notatam, reportavit.

Exinde autem prefatus Raynaldus Lancea feudum ipsum Sancti Martini cum eius Casalibus, nemoribus, baiuliis, dohanis, mansionibus, habitationibus, et aliis iuribus, quondam Federico Spatafora suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, precio unciarum ducentarumvi gintisix monete huius Sicilie ultra Farum Regni, ac cum multis clausulis condicionibus et cautelis in quoddam pupplico venditionis instrumento II Marcij VII Inditionis 1459, manu notarij Leonardi Camarda de Messana



celebrato, viceregia mediante licentia, vendidit. De quo venditionis contractu quondam don Lupus Ximen Durrea, tunc in regno Prorex, eidem Federico Spatafora suisque imperpetuum heredibus et successoribus de dicto Sancti Martini feudo et cum eius Casalibus iuxta formam dicti privilegij Regis Lodovici investituram concessit; quod privilegium de verbo ad verbum ipsa in viceregia investitura data Panhormi IV Maij VII Inditionis 1459, et in Regie Cancellarie libro annorum 1458-1459 in cartis 540 notatam, insertum est.

Postea vero Federicus Spatafora prelibatus feudum Sancti Martini predictum, Corrado Spatafora eius filio suisque imperpetuum heredibus masculis in dotem dedit, cum pacto tamen quod ipso Corrado sine filiis masculis legitimis et naturalibus dicto eius patri premoriente, feudum sepedictum ad filios masculos eiusdem Federici illius patris reverteretur. Et tandem prefatus Corradus dicto Federico eius patri premortuus fuit, et sic feudum ipsum in eiusdem Federici Spatafora donatoris posse devenit. Qui de ipso Sancti Martini feudo a don Ioanne de la Nuça, tunc in regno Preside, XIII Iunij prime Inditionis 1498 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 544 notatam, reportavit.

Deficiente autem eodem Federico Spatafora, sibi in dicto Sancti Martini feudo successit Franciscus Spatafora eius filius primogenitus legitimus et naturalis, qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iure Francorum, a tunc Regni Proregibus VII Novembris XIII Inditionis 1509 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 215 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, dictum Sancti Martini feudum per eundem Franciscum Spatafora possidetur, et annis singulis reddit . . . . . 07 . . . .

Et nihilominus Regia Curia feudum ipsum Sancti Martini cum eius Casalibus, restitutus prius eius possessori dictis unciis quatragesima pro quibus prima facie venditum fuerat a Rege Lodovico prenominato iudici Francisco Spina, ad se revocari potest, nullo habito respectu secunde venditioni per Raynaldum Lanceam Federico Spatafora pro unciis ducentis viginti sex facte; pro ut per Pragmaticam *Post Bella* vocatam, et in huius operis principio notatam, provisum statutum et ordinatum, quo casu Vestra Catholica Maestas nullam feudi ipsius possessori iniuriam inferret.

Est etiam recte attendendum quod dictus Raynaldus Lancea feudum predictum Sancti Martini cum illius Casalibus prefato Federico Spatafora cum iuribus dohanarum, baiuliarum, mansionum et aliorum directuum vendidit: de quibus recordari videor nullam in privilegio dicti Regis Lodovici, ad quod me refero, mencionem fieri.

**Casale Carboni, Feudum Miraglia, Casalocum  
Canachia**

---

Casale Carboni et feudum Miragle prope territorium terre Trahine posita, ac Casalocum Canachia nuncupatum, de eiusdem casalis Carboni pertinenciis, in posse Regie Curie antiquitus extitisse apparet. Nam illa Serenissimus Rex Federicus, cum noticia et assensu inclite Infantisse Euphemie eiusdem Regni generalis Vicarie, quondam Perrono de Iuenio, illiusque imperpetuum heredibus et successoribus, pro illius serviciis iure Francorum sub consueto militari servicio, Serenissimique Regis Iacobi Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, concessit, sicuti in eiusdem Regis privilegio dato XXVI Augusti IX Inditionis 1356 late patet.

Ipsoque Perrono de Iuenio defuncto, sibi in eisdem Casali Carboni, Casalocum Canachie, et feudo Miragle successit Bartholomeus de Iuenio illius filius et heres, qui a Serenissimis Regibus utroque Martino et Maria de privilegio antedicto cum illius inserto tenore confirmationem obtinuit, hac tamen cum clausula scilicet: Si dictus supplicans hactenus inconcussa usque ad nostrum adventum felicem in hoc regnum predicta Casale, Casalocum et feudum possedit, huius serie confirmamus iuribus regiis et aliorum semper salvis etc. Quemadmodum in ipsorum Regum utriusque Martini et Marie privilegio dato Cathanie XVI Iulij XV Inditionis 1392 continetur.

Mortuo postmodum prefato Bartholomeo de Iuenio, sibi in dictis Casali Carboni, Casalocum Canachia et feudo la Miraglia Perronus de Iuenio eius filius successit. Quo Perrono deficiente, sibi in eisdem Bartholomeus de Iuenio illius filius successit.

Deficiente tandem Bartholomeo de Iuenio prelibato, sibi in eisdem feudo et casalibus successit Perruchius de Iuenio illius filius legitimus et naturalis, ac maior natu. Qui pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, Constitutionibus Serenissimi Regis Iacobi et Regni iuribusque Regie Curie ac alterius semper salvis, de eisdem feudo et casalibus, sub consueto militari servicio, a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc

in regno Preside, cum inserto tenore supradictorum privilegiorum, XXVII Augusti prime Inditionis 1453, confirmationem et investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 691 notatam, consequutus fuit.

Qua quidem Viceregia in investitura non nominatur in aliquo feudum la Miragla, nisi tantum casale et feudum Carboni, cum quodam alio feudo Canachia nuncupato. Preterea dictus Perruchius de Iuenio, ut in dicta investitura continetur, informavit; qualiter quondam Bartholomeus de Iuenio filius primogenitus Perroni de Iuenio primi acquisite, dum vixit, casale Carboni cum dicto Canachia Casaloceto tenuit et possedit, minusque eadem in investitura dictum feudum la Miragla nominatur. Quod feudum la Miragla non est de membris dictorum casalium, sed feudum de per se et antiquum, ut per privilegium prime concessionis Regis Federici constat.

Decedente tandem prefato Perruchio de Iuenio, sibi in dicto casali Carboni successit Bartholomeus de Iuenio eius filius, qui a Vicerege qui tunc preerat, de dicto Carboni casali pro se et suis successoribus iure Francorum XIII Februarij XIII Inditionis 1494, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 544 notatam, habuit et recepit: in qua etiam de dicto Miragle feudo et Canachia Casaloceto nulla mentio facta reperitur.

Et exinde dictus Bartholomeus de Iuenio iunior de dicto casale Carboni, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XIX Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 479, et iuravit reddere. 07 . .

Feudum vero la Miragla antedictum prenominatus Bartholomeus de Iuenio iunior, eius cum ultimo testamento manu notarii Ioannis de Marco in anno 1448 celebrato, quondam Raymundo de Iuenio etiam eius filio legavit. Qui Raymundus, pro se eiusque heredibus et successoribus iure Francorum sub consueto militari servicio de dicto feudo a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc in regno Preside, regni Constitutionibus iuribusque regis et alterius semper salvis, XXVIII Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 645 notatam, reportavit.

Exinde vero cum dictus Raymundus de Iuenio rebellionem, ut asseritur, perpetrasset, illiusque bona omnia propterea Fisco regio devoluta fuissent; quondam Andreas Navarra Regius Algozarius, in vim cuiusdam gratie sibi eiusque heredibus utriusque sexus et successoribus universalibus et particularibus quibuscumque in recompensam servitorum suorum, per Serenissimum Regem

Alfonsum de tot feudis seu bonis feudalibus, in quibuscumque et apud quoscumque consistencia hoc in Sicilie regno, ad Regiam Curiam spectantia et quomodocumque tunc devoluta, seu in posterum devolvenda; quorum annui redditus ad summam unciarum quinquaginta ascenderent, illis cum prerogativis omnibus favoribus et gratiis, iurisdictionibusque ac emolumentis cum quibus predictorum feudorum seu bonorum possessores illa tenebant et possidebant concessa, de qua regia gratia privilegium regium emanavit datum in Castris apud Campum Latronem in anno 1453 propria auctoritate possessionem dicti feudi di la Miragla cepit, et inde a tunc regni Proregibus confirmacionem obtinuit, ut eius in privilegio dato Panhormi in anno 1458 contineri dicitur. Et ultra idem Andreas Navarra, Viceregi qui tunc in regno preerat, quoddam Sere-  
nissimi Infantis don Petri, tunc regni Proregis et generalis Locum-  
tenentis, privilegium venditionis meri et mixti imperij in ampla forma, prefato quondam Bartholomeo de Iuenio patri eiusdem Ray-  
mundi de Iuenio rebellis et suis in perpetuum heredibus et suc-  
cessoribus super terris, castris, et locis, Castellionis, Aydonis, No-  
harie, Rocelle, Petre taglate, Valliscurrentis, Carboni et aliorum  
nonnullorum feudorum per dictum Bartholomeum de Iuenio pos-  
sessorum, pro precio unciarum centum quinquaginta, carta tamen  
gratie reddimendi mediante, scilicet, in et super omnibus homini-  
bus masculis et feminis, incolis et habitatoribus dictorum castro-  
rum, terrarum, locorum et feudorum, ac eorum territoriorum,  
etiam provenientibus, sive per ea transeuntibus et forsitan delin-  
quentibus sive ibidem contrahentibus, venditi cum clausula, quod  
dictus Bartholomeus et sui possent in contumaciam forjudicare,  
habendo tales inforbannitos et forjudicatos in toto Regno, ac si  
Vicerex illos forjudicasset, cum publicatione bonorum eidem acqui-  
rendorum presentavit, ut in ipsius Infantis Petri privilegio prenar-  
rato, dato in Castronovo Neapolis XVI Decembris 1423, continetur.  
Petendo propterea provisionem declaratoriam sibi concedi an ipse  
Andreas Navarra in dicto feudo di la Miragla eodem mero et mixto  
imperio cum illis iurisdictionibus et auctoritatibus cum quibus  
dictus quondam Bartholomeus de Iuenio prefati Raymundi de Iue-  
nio pater illo utebatur, uti posset. Et sic Vicerex ipse ex magne  
Regie Curie provisione declarando providit, quod dictus Andreas  
Navarra et sui in feudo predicto di la Miragla iuxta formam pri-  
vilegij eiusdem Infantis don Petri dictum merum et mixtum im-  
perium exercere posset, quemadmodum in quadam Viceregia pro-  
visione data Panhormi XXI Ianuarij, VII Inditionis 1458, et in Re-

gie Cancellarie libro annorum 1458-1459 in cartis 103 notata, late patet.

Unde quoddam mihi dubium insurgit, an dicta Viceregia declaracio in vim expectative per dictum Andream de tot bonis feudalibus Regie Curie usque ad summam unciarum quinquaginta redditus obtente cum omnibus illis prerogativis, favoribus, graciis, iurisdictionibus, et emolumentis dictorum feudorum per possessores detentorum fieri poterat, nec ne. Nam ipsum merum et mixtum imperium eidem quondam Bartholomeo et suis heredibus non graciose concessum extitit. sed illi in pignus datum fuit, et sic non intelligitur gracia vel prerogativa annexa et coniuncta prime concessioni facte Perrono de Iuenio seniori per prefatum Regem Federicum, sed veri pignoris concessio quousque sibi dicte uncie centum quinquaginta restituerentur; minusque mihi persuadere valeo, quod verba, in eadem expectativa generaliter ut supra posita, Regiam iurisdictionem civilem et criminalem comprehendere possint, nisi forte eodem in privilegio expressum fuisset iurisdictionem ipsam, cum eximie sit excellentie et potestatis, de causa scientie motu proprio et de Regie potestatis plenitudine concessa esse, nihilominus ad ea que iura dictant me remitto.

Postmodum autem dictum Miragle feudum in Andree Gulielmi de Iuenio prelibati Raymundi de Iuenio filij, qui rebellis dictus est, posse devenit; et a quondam don Gaspare de Spes, Vicerege, de feudo eodem ob eiusdem Raymundi eius patris mortem investituram consequutus fuit; pro ut in ipsa investitura data Termis XXI Ianuarii II Inditionis 1483, et in Regie Cancellarie libro annorum 1483-1484 in cartis 277 notata, continetur.

Et tamen nullus Regia in Cancellaria actus sive privilegium remissionis et in integrum restitutionis eiusdem Raymundi de Iuenio reperitur.

Quo Andrea Gulielmo de Iuenio absque filiis deficiente, sibi in dicto Miragle feudo successit Federicus de Iuenio eius frater, prelibati quondam Raymundi de Iuenio filius. Qui pro se eiusque heredibus, iuxta formam privilegiorum suorum, de dicto feudo sub consueto militari servicio, a quondam Ferdinando Dacuña, tunc Prorege, IX Ianuarij X Inditionis 1491 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 303 notatam, obtinuit.

Et in presentiarum, anno 1512 currente, feudum Miragle antedictum per eundem Federicum de Iuenio possidetur, et reddit anno quolibet. . . . . 07 LX

Qui quidem Federicus de Iuenio, ob mortem domini nostri Re-

gis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna, Preside, de dicto feudo Miragle cepit investituram die XIX Ianuarij V Inditionis, notatam in libro dicti anni 1516, fol. 434, et iuravit reddere tantumdem.

---

**Casale et Feudum Sancti Theodori**

---

Casale et feudum Sancti Theodori in valle Demine iuxta terram Chisaro, aliosque confines existens, in vim privilegii Serenissimi Regis Federici tercii dati Messane XXIII Maij, VI inditionis 1303, quod in Regia Cancellaria non invenitur completum, in feudum per quondam Iordanum de Romano antiquitus possidebatur. Tamen, quia titulus incompletus reperitur, de illius forma, larga an stricta, nullam valeo dare rationem. Verum eodem in privilegio tantummodo apparet et legitur quod Rex ipse ius minerarum, salinarum, solaciorum et defensarum antiquarum, ac iactus balistae, a mare infra terram, sibi reservavit, legiturque etiam hec clausula scilicet: et quod ad ea omnia et singula et etiam ad magnam forestam nostram Lignarie occasione huius confirmacionis et nove donacionis non extendant aliquatenus manus suas etc. Que quidem reservationes clarissimam afferunt noticiam, casale predictum Sancti Theodori fuisse feudum paternum et antiquum, ac militari servicio obligatum et subiectum.

Mortuo abintestato postmodum prefato Iordano de Romano, superstibus sibi Ysolda et Florecta eius filiabus legitimis et naturalibus ex se et Margarita eius coniuge procreatis, prefata Ysolda, tanquam maior natu, in dicto feudo eidem Iordano patri suo successit. Que Ysolda in ultimis quibus decessit, constituta suum condidit testamentum, per quod in omnibus bonis suis et presertim in dicto Sancti Theodori feudo, suas sibi heredes instituit universales prefetas Margaritam et Florectam, eius matrem et sororem, volens et mandans, quod si forte dictam Florectam eius sororem, alteram ex heredibus suis, ab intestato mori contigisset, eo casu in omnibus eius bonis mobilibus et stabilibus prelibata Margarita eius mater, tanquam eius etiam heres universalis, sibi succederet. pro ut eodem in testamento contineri asseritur.

Et sic quia prefata Ysolda non fuit feudi predicti prima acquisitrix, nisi tantum filia prelibati Iordani de Romano et Margarite iugalium, non poterat Ysolda predicta prenotatum Sancti Theodori feudum eidem Margarite matri sue legare, que de alia fuerat agnatione, et non de legitimis descendantibus prefati Iordani primi acquiritoris; de quo, cum non appareat titulus, formam strictam seu largam feudi eiusdem in se continens, iuxta iuris et regni Constitutionum dispositionem, forma feudi ipsius comprehendi debet in forma stricta iure Francorum: et sic Margarita predicta, prefate Ysolde mater, a dicta testamentaria dispositione exclusa esset.

Tandem, quicquid sit, prefata Florecta in minori etate defuncta, sibi in bonis dicti Iordani de Romano eius patris, et presertim in dicto Casali Sancti Theodori, Margarita prenominata, tanquam mater et heres ipsarum filiarum suarum, successit. Quam testamentariam dispositionem Serenissimus Rex Federicus ultimus eidem Margarite suisque heredibus imperpetuum, cum clausula absque alicuius prestatione servicij pro ut dictus Nicholaus seu prefatus quondam Iacobus eius pater, priusquam rebus humanis fuisset exemptus, iddem Casale et alia supradicta iusto titulo tenebat et possidebat, ac tenere debuit et etiam possidere iuxta predicti privilegij dicti domini Regis Fratris nostri continentiam et tenorem etc. sicuti in dicti Regis Federici privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1343-1375 in cartis 267 notato continetur, acceptavit et confirmavit.

Defuncta tamen absque filiis prefata Margarita, sibi in dicto feudo, hereditario et testamentario iure, successit Bella mulier messanensis vidua, eius soror, olim uxor quondam Petri de Marino. Que Bella VI Octobris X Inditionis 1401 de dicto Sancti Theodori casali et feudo quondam Paulo de Campulo messanensi eius nepoti, filio quondam Raynerii de Campulo fratris sui, puplico instrumento mediante manu notarij Philippi de Maiore messanensis celebrato, donationem fecit. Quam donationem Serenissimi Reges Martinus et Maria eidem Paulo de Campulo suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iure Francorum Regni Constitutionibus et Capitulis ac Regie Curie et alterius iuribus semper salvis, acceptavit et confirmavit. Quemadmodum in ipsorum regum privilegio, dato Cathanie XIV Octobris X Inditionis 1401, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 VIII Inditionis in cartis 221 notato, late patet.

Cumque antiquus et legitimus titulus forme et nature dicti

feudi non appareat, dici non potest donationem feudi eiusdem per dictam Bellam prefato Paulo Campulo, eius nepoti, filio dicti quondam Raynerij Campuli fratris sui, factam, legitimam fuisse et validam. Nihilominus quia prelibati Reges Martinus et Maria eorum cum privilegio Regie Curie iura sibi reservarunt, oportet possessorem feudi eiusdem ad edendum dictum antiquum titulum compelli, ut videatur forma, cuius virtute tam prenominata Ysolda, quam ultimo loco predicta Bella de feudo ipso Sancti Teodori ad eorum libitum voluntatis disposuerunt.

Tandem, defuncto Paulo Campulo predicto, sibi eodem in feudo successit Ioannes Campulus eius filius maior natus. Quo Ioanne absque filiis mortuo, sibi in dicto feudo successit Pinus Campulus eius frater, filius secundogenitus eiusdem quondam Pauli. Qui Pinus, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum de dicto feudo et casali Santi Theodori a quondam Episcopo Illerdensi et Antonio de Cardona tunc in regno Proregibus, de feudo ipso, iuribus Curie et alterius semper salvis, X Maij XII Inditionis 1419 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 351 notatam, reportavit.

Decedente deinde Pino Campulo predicto, sibi in prelibato Sancti Theodori feudo successit Iacobus Campulus eius filius. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, sub consueto fidelitatis iuramento, de dicto feudo a quondam Adamo de Asmundo tunc in Regno Preside IX Decembris XI Inditionis 1433 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 114 notatam, obtinuit.

Ipsaque Iacobo Campulo nature satisfaciente, sibi in dicto feudo successit Ioannes Franciscus Campulus eius filius, a quo apparet fuisse captam investituram ob mortem dicti eius patris notatam in libro anni 1501, fol. 499.

Quo Ioanne Francisco absque liberis vitam cum morte commutante, sibi in ipso Sancti Theodori Casali et feudo successit Ieronymus Campulus, eius frater, filius secundogenitus dicti quondam Iacobi Campuli. Qui Ieronymus pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum de dicto feudo a don Ugone de Moncada in presentiarum dicti regni Prorege, XXIII Iunij XIV Inditionis 1510 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 651 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, feudum predictum Santi Theodori per prefatum Ieronymum Campuli possidentur, et reddit anno quolibet . . . . . 07 . . . .



**Rasicali alias Rasvara, Murra, Caropipi, Feuda**

---

De feudis Rasicali sive Rasvara et Murra, in valle Nemorum ac territorio terre Assari, nec non et feudo Caropipi in territorio terre Castri-Ioannis vallis Demine sitis et positus, quid sentiam inferius explanabo.

Feudum enim Rasicali per quondam Vinchiguerram de Aragonia antiquitus possidebatur, quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem Serenissimus Rex Federicus eidem Vinchiguerre licentiam vendendi predictum feudum, cui voluisset, concessit: sicuti per suam Regiam provisionem in Regie Cancellarie libro anni 1347 in cartis 30 notatam videri potest.

Deinde autem prelibata terra Asari cum prenominatis feudis Rasicali et Murra in posse quondam Anthonij de Montecatheno pervenit. Tamen quo iure ad illius manus devenerit non apparet, minusque instrumentum vendicionis dicti feudi facte per prelibatum Vinchiguerram, primum feudi ipsius possessorem, demonstratur. Tandem idem Anthonius de Montecatheno contra Serenissimos Regis Martinum et Mariam rebellionem perpetravit, ob quam dicta Asari terra cum eisdem feudis Rasicali et Murra Regie Curie aperta fuit et devoluta ipsique Reges Martinus et Maria terram ipsam Asari cum sepedictis feudis Rasicali et Murra quondam Simoni et Vitali de Valguarnera fratribus ipsorumque heredibus eorum de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, eorum cum privilegio dato Cathanie XX Ianuarij VI Inditionis 1397, et in Regie Cancellarie libro anni 1398 VI Inditionis in cartis 179 notato, concessere.

---

### Caropipi feudum

---

Feudum autem Carupipi per quondam Constanciam filiam Lamberti de Carupipi antiquitus possidebatur, quo tamen iure aliquis non apparet titulus. Tandem ob ipsius Constancie mortem absque legitima prole, nec non et propter rebellionem per Lodovicum de Pamplona et Constanciam iugales commissam, feudum predictum Carupipi Regie Curie devolutum extitit, prenominatque Reges Martinus et Maria illud Petro Mironi Algozirio concesserunt. Qui Petrus minori precio sepedictum Carupipi feudum Muchio de Affermo vendidit. Et tandem Muchius prefatus contra eosdem Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuit; iterumque feudum ipsum Regie Curie devolutum fuit, et Reges ipsi feudum prelibatum prenominato Petro Mironi suisque legitimis heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, iterato concessere. Quemadmodum in eorum Regio privilegio dato Minei XXVI Decembris II Inditionis 1393 et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 121 notato, continetur.

Deinde autem Reges antedicti Martinus et Maria eidem Petro Mironi nonnulla bona in regno Aragonie existentia, pro equivalenti excambio feudi ipsius Caropipi, tradiderunt. Et sic revocato ipso Regio privilegio, Reges predicti quondam Thome de Crispo messanensi, legum doctore, suisque heredibus et successoribus feudum ipsum Carupipi, sub consueto militari servicio et cum clausula, quod illud posset vendere, permutare, alienare et suas de eo facere omnimodas voluntates alias concesserunt, pro ut in eorum Regio privilegio dato Siracusi XVIII Novembris V Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 41 notato, diffusius exponitur.

Qui Thomas de Crispo exinde feudum ipsum Carupipi prelibatis Simoni et Vitali de Valguarnera fratribus pro certo precio vendidit. Quibus eorumque imperpetuum heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, dicti Reges Martinus et Maria vendicionem eandem, iuribus Curie et alterius semper salvis, acceptarunt et confirmarunt; sicuti in alio eorum Regio privilegio dato

Cathanie VI Octobris XIII Inditionis 1404, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 112 notato, seriusus declaratur.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, eadem tria feuda Rasicali, Murra, et Carupipi per don Vitalem de Valguarnera a prenominitis Simone et Vitali de Valguarnera primis acquirentibus descendente possidentur, de quorum linea sive genealogia et successione tam in dictis feudis quam in terra Asari, magno in Capibrevio, in capitulo dicte terre Asari in cartis 1040, diffusius verba protuli; et reddunt annis singulis. . . . 07 . . .

De istis feudis fit mentio in investitura capta ob mortem Domini Regis Ferdinandi, in capitulo terre Asari notata in magno Capibrevio.

---

**Cartularo, Comitayo alias Abiglaturi feuda**

---

Cum de feudis Cartularo et Comitayo, alias Abiglaturi, nuncupatis, in valle Demine positis, hoc in loco disserendum esse proposuerim, de eodem Cartularo feudo, in territorio Castriregalis posito, prius dicendum esse statui. Quod per quondam Nicholaum de Lamia antiquitus possessum extitisse asseritur, de quo tamen Regia in Cancellaria nullus apparet titulus sive privilegium. Ipsaque Nicolao de Lamia contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercente, feudum ipsum Regie Curie apertum fuit et devolutum. Quod exinde Reges ipsi quondam Henrico Rubeo messanensi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, iuribus Regie Curie et alterius cuiuslibet semper salvis, concessere; sicuti in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie XVIII Decembris VI Inditionis 1397, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 88 notato, late patet.

Nihilominus per annos fere quatuor ante, in anno videlicet 1393, quoddam emanavit privilegium ab ipsis Regibus Martino et Maria concessum, datum Cathanie XIV Novembris II Inditionis 1393, et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 102 notatum, in quo.

expresse exponitur ipsos Reges dictum Cartularo feudum, tanquam feudum quondam Nicholay de Lamia rebellis et ob illius rebellionem, concessum prefato Henrico Rubeo, post ipsius Henrici Rubei rebellionem contra eosdem Reges patratam, notario Nicholao de Abbate messanensi concessisse, ad quod tamen maximam video contradictionem et in tempore errorem. Nam dicti feudi concessio in personam dicti Henrici de Rubeo per eosdem Reges facta per annos fere quatuor post concessionem dicti notarij Nicholay de Abbate facta extitit; quomodo ergo potuit feudum ipsum, ob rebellionem dicti Henrici Rubeo, prefato Nicholao de Abbate notario concedi. Et sic per utrumque privilegium maxima generatur auditoribus notissime surreptionis suspicio.

Unde, quicquid sit, post menses fere tres et dies quinque post factam concessionem predictam eidem Henrico Rubeo, a XIX scilicet Decembris dicte VI Inditionis 1397 usque ad XXIV Martij eiusdem anni numerando, quedam alia ab eisdem Regibus ad petitionem donne Luce de Palitio emanavit provisio, in effectu continens, quod cum ipsa dictum Cartulari feudum tenuisset et possedisset, et nonnullae persone, et presertim dictus Henricus Rubeus, feudum ipsum tacita veritate sibi impetrassent feudum predictum, utique ipsi Luce restitueretur; sicuti in ipsa Regia provisione, in Regie Cancellarie libro anni 1397 in cartis 80 notata, continetur. Et sic quas dare possim huiusmodi contradictionibus rationes ignoro.

---

#### Comitayu alias Abiglaturi feudum

---

Feudum autem Comitayo, alias Abiglaturi, pariter asseritur per prenominatam Luccam de Palitio possessum fuisse, minusque de hoc Regia in Cancellaria titulus apparet, neque privilegium, ut percipi possit qua sub forma sibi concessum extiterit.

Tandem dicta donna Lucca, in ultimis quibus decessit, suum in utroque feudo, Cartularo scilicet et di lo Comitayu alias Abiglaturi. quondam Ioannem de Moncada instituit heredem, licet ipso-

rum feudorum donne Ysabelle de Montecatheno et donne Alienore uxori quondam Vincij de Aragonia, dum tamen in Regno habitarent, usufructum legaverit. Et quod post ipsarum mortem, eodem usufructu cum proprietate consolidato, dicta feuda pleno iure dicti Ioannis de Montecatheno et filiorum suorum masculorum essent, quibus deficientibus ad filios masculos Comitis Mathei de Montecatheno devenirent, et in eorum defectu filios donne Ioanne uxoris Augerij de Archadio traderentur; prout in ipsius donne Luce testamento facto manu notarij Jacobi de Guirrerio olim die VI Iulij VII Inditionis 1414 contineri asseritur; sub qua dispositione Lucca ipsa decessit.

Cuius quidem testamenti virtute, idem Ioannes de Montecatheno, prius per eum iurium cessione habita a prenominitis, preterque a prefata donna Leonora, que regnum relinquens et alio se conferens, in eius personam legatum predictum cessasse dictum fuit, de ipsis Cartularo et Comitayo feudis possessionem assequutus extitit.

Postmodum autem, Serenissimo Rege Alfonso regnante, predictus Ioannes de Montecatheno ipsa duo feuda, a cunctis censibus et iuribus preter Regio Fisco debitis exempta, quondam Nicolao de Crisaphi et suis imperpetuum heredibus precio unciarum centum sexaginta vendidit puplico contractu penes acta Clementis de Maiore de Messana, die XXV Maij XIII Inditionis 1420 celebrato, et quibusdam clausulis et conditionibus roborato mediante. Tandem de huiusmodi feudorum venditione nulla reperitur, ut in talibus requiritur, Principis licentia. Nihilominus, quondam Antonius de Cardona et Ferdinandus de Velasquez, tunc regni Proreges, eidem Nicolao Crisaphi et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, vel uni ex filiis masculis Ioannis de Crisaphi eius fratris et heredibus legitimis et naturalibus dicti filij ipsius Ioannis suo de corpore legitime descendentibus iure Francorum, vel cui sive quibus dictus Nicolaus de Crisaphi emptor ordinandum duxerit, feudorum ipsorum confirmationem et investituram, sub consueto militari servicio, ac si et pro ut dictus Ioannes de Montecatheno feudis ipsis melius usus fuerit, et cum clausula regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, concesserunt; sicuti in ipsorum Viceregum provisione data Panhormi XV Decembris XIV Inditionis 1420, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 70 notata, continetur.

Perquisitis itaque Regie Cancellarie Codicibus, ab ipso anno 1420 usque ad annum 1474, per quod tempus anni fere quinquaginta

connumerantur, nulla inventa est ipsorum feudorum investitura, ob quam aliqua dari possit ratio de vera et legitima eorum successione.

In ipso autem anno 1474 Culosus de Crisaphi, tanquam filius Thome de Crisaphi ob dicti Thome eius patris mortem, de dicto feudo Comitayo alias Abiglaturi, iure Francorum a tunc Prorege, prestito tamen prius per eum iuramento, nullam suas ad manus devenisse de ipso feudo scripturam, XVII Marcij VII Inditionis dicti anni 1474 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1473 in cartis 149 notatam, reportavit.

In libro vero anni 1484 in cartis 539 quedam apparet investiture nota, data Panhormi penultimo Iulij II Inditionis dicti anni 1484, Ioanni Michaeli de Crisaphi filio Philippi de Crisaphi et Gentilis iugalium super feudo eodem de Cartularo concessa, in qua narratur eum ipso in feudo, ob mortem dicti Philippi eius patris, successisse, tamen in ea nulla fit mentio de dicto Comitayi feudo, quemadmodum in illa exprimitur.

Exinde vero Culosus antedictus pro ipso Abiglaturi feudo cum Luca de Crisaphi ad quandam devenit concordiam et transactionem, unde feudum predictum eidem Luce de Crisaphi cessit. Qui Lucas, pro se eiusque heredibus iure Francorum, de prelibato Abiglaturi feudo a Ioanne de la Nuça, tunc in Regno Vicerege, XVI Octobris prime Inditionis 1497 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 134 notatam, consequatus fuit.

Alia nec minus inventa est huiusmodi feudi Abiglaturi transactio per dictum Nicolosum de Crisaphi cum domina Catherinella de Gregorio celebrata, ob quam Catherinella ipsa pro se suisque heredibus, iure Francorum, de illo ad eodem Ioanne de la Nuça Prorege XXVIII Ianuarij V Inditionis 1501 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 289 notatam, obtinuit. In posterum autem Catharinella antedicta feudum de lo Abiglaturi alias Comitayo prelibato Nicholoso de Gregorio eius filio renunciavit. Qui Nicholusius de eodem pro se eiusque heredibus, iure Francorum, a tunc Regni Presidentibus eiusdem renunciationis virtute, XXVIII Septembris XIII Inditionis 1509 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 150 notatam, habuit.

Hodie autem, anno 1512 currente, prenommatum Abiglaturi alias Comitayo feudum ab ipso Nicoloso de Gregorio pessidetur et reddit anno quolibet. . . . . 07 . . . .

### Cartularo Feudum

---

Feudum autem Cartularo in prelibatum Ioannem Michaellem de Crisaphi, prefati Philippi et Gentilis de Crisaphi iugalium filium, traductum reperitur, quo tamen iure suas devenerit ad manus non invenitur. Tandem eodem Ioanne Michaelle defuncto, sibi in dicto feudo Cartularo successit Ioannes Vincentius de Crisaphi eius frater et prenominatorum iugalium filius. Qui Ioannes Vincentius pro se et suis heredibus iure Francorum de feudo ipso a quondam Gaspare de Spes, Regni Vicerege, XVI Decembris IV Inditionis 1485 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 233 registratam, obtinuit.

In presentiarum autem, dicto 1512 anno decurrente, ipsum Cartularu feudum per eundem Ioannem Vincentium de Crisaphi possidetur, et reddit anno quolibet. . . . . 07 LXXVII

Dictusque Ioannes Vincentius cepit de dicto feudo investituram, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Presidente, X Septembris V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni fol. 72; et iuravit reddere tantumdem.

---

### *Allegatio feudorum Cartularo et Comitayo alias Abiglaturi*

---

In feudis vulgo lu Curtularo et lo Comitayo, alias lu Abiglaturi, nuncupatis, est prima facie attendendum ad privilegium sive titulum donne Luce de Palicio; quod privilegium est omnino videndum, ut percipiatur sub qua forma, larga vel stricta, feuda ipsa eidem concessa fuerant. Nam si forma ea erat per quam in suos

heredes, eius de corpore legitime descendentes, pheuda ipsa transire poterant eadem personis alienis et suo ex corpore non venientibus legare nequisset; immo Fiscus regius in illis evidentissima iura haberet, et pheuda huiusmodi sibi revocare posset. Et ideo cogatur possidens ad dictum eiusdem Luce titulum edendum ad dilucidandam veritatem.

Et licet in ipsorum feudorum vendicione, per prenominatum Ioannem de Montecatheno dicte Luce de Palicio testamentarium heredem, Nicolao de Crisaphi et suis heredibus facta, Principis intervenisset licentia. Nihilominus huiusmodi alienatio intelligi debet iuxta titulum ipsius donne Luce testatrix, quod titulus cum non appareat prout Regni dictat Capitulum, ipsorum feudorum formam intelligendum est stricte et iure Francorum concessam fuisse. Unde Anthonius de Cardona et Ferdinandus Velasques, tunc Proreges, vendicionem et alienacionem predictam ipsi Nicolao Crisaphi confirmare non poterant ampliando formam ad unum ex filiis ipsius Ioannis de Crisaphi, eius fratris, ac heredibus legitimis dicti Ioannis, nec non cui vel quibus Nicolaus ipse disponere voluisset, cum hoc in non modicum Regie Curie et regaliarum ac ex-cadenciarum eius tendat preiudicium.

Sed quia de ipsis feudis multe investiture per plures ex istis de Crisaphi successivis temporibus capte reperiuntur; ex quibus clare percipitur, feuda ipsa transversaliter separata extitisse, et ad plurium manus devenisse, licet de Crisaphibus cognominentur; tamen non ex recta linea dicti Nicholay Crisaphi emptoris illos descendisse apparet. Et propterea pro Curie cautela ipsorum feudorum possessores ad iura reddendum, quo titulo ad illa successerint cogi et compelli necesse est.

---

#### **Feudum Chisaro**

---

Feudum Chisaro nuncupatum, in valle Demine et tenimento terre Trayne positum, de feudis minutis, ut ita dicam in feudorum, comitatum, et regni baroniarum repertorio, in Regie Cancellarie archivio recondito notatis habetur. Quod, tanquam feudum per



excadenciam Regie Curie devolutum, quondam magnifico Christoforo Romano militi, messanensi, et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, in feudum, sub militari servicio unius balistarij, per Serenissimum Regem Federicum concessum extitit; sicuti in quoddam ipsius Regis Federici privilegio dato in Casale Odogrilli IX Ianuarij III Inditionis 1334 continetur. Quo quidem in privilegio nulla fit mentio de castro et terra Chisaro, menibus ornata, nec de vassallis cristianis vel iudeys, cabellis, iurisdictionibus, furnis, nec domibus, quemadmodum in similibus villarum privilegiis, per Principes concessis, omnino requiritur et reperitur. Et ideo non dubium est cum in privilegio et primo titulo dicti Regis Federici castrum, terra, et vassalli dicti feudi non exprimentur; solum Chisaro feudum, non habitatum, in tenimento Trayne existens, et nil aliud comprehendi debere. De terra autem Chisaro cum eius castro et iurisdictione, ac vassallagiis, furnis, molendinis, aquarum decursibus, illiusque pertinentiis omnibus, nullum invenitur privilegium, nisi tantum precalendatus dicti Regis Federici titulus de feudo Chisaro in tenimento Trayne posito mentionem faciens. Quod Chisaro feudum semper fuit de Regio Demanio, devolutum Regie Curie ob mortem quondam Iacobini de Putheolo, interfecti culpa et defectu laquinte uxoris Asnari de Ayn, et inde uxoris Raymundi de Montecatheno, ipsius Iacobini sororis. Qui quidem magnificus Christofarus per multa tempora feudum ipsum de Chisaro tenuit et possedit. Post cuius obitum, ut asseritur, sibi in ipso feudo successit Thomas de Romano eius filius, qui non apparet de feudo eodem investituram habuisse.

Mortuo tandem prelibato Thoma Romano, sibi in dicto Chisaro feudo successit Christoferus Romanus, eius filius, et prenominati magnifici Christoferi primi acquisiteoris nepos. Qui Christoferus iunior, de ipso Chisaro feudo a tunc Proregibus, iuribus Curie et alterius semper salvis, XIV Maij XIII Inditionis 1420 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 370 notatam, obtinuit.

Ipsoque Christofero Romano iuniore vita casso, quondam Ioannes Anthonius Romanus eius filius a don Lupo Ximenen Durrea, tunc Prorege, de terra et fortificio Chisaro investituram, cum inserto tenore dicti privilegij Regis Federici, quod est primus titulus concessionis, dicti feudi Chisaro reportavit. Quo in privilegio in aliquo non nominatur neque conceditur terra et castrum Chisaro, nisi tantum feudum, quod iuxta regni Statuta comprehendi

debet inhabitatum et feudum burgensaticum ac minutum. Miror ergo, quare dictus don Lupus prefato Ioanni Anthonio de terra et castro cum feudo Chisaro investituram concesserit, cum in privilegio, super quo idem Vicerex fundamenta cepit, dicta terra et castrum nullatenus expressetur. Tamen, quicquid sit, quia tantum de possessione sibi constitit, et non de vero titulo, eadem in investitura Regie Curie iura reservantur, ut in eadem investitura data Panhormi XX Iulij prime Inditionis 1453 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 61 notata, late patet.

Defuncto demum prefato Ioanne Anthonio Romano, Thomas Romanus eius filius pro se et suis heredibus, iure Francorum, de dicta terra et Chisaro castro a Panhormitano Archiepiscopo, tunc Preside, cum inserto tenore dicti privilegij regis Friderici, quod est verus titulus, iuribus Curie et alterius semper salvis, X Octobris, IV Inditionis 1455, investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 134 notatam, obtinuit. Et tamen in illa nulla fit mentio de feudo Chisaro, ut titulus dictat, nisi tantum de terra et castro Chisaro.

Deinde autem, eodem Thoma Romano mortuo, sibi in dicta terra et castro Chisaro successit Ioannes Anthonius Romanus eius filius, qui non apparet de dictis terra et castro et feudo Chisaro investituram habuisse.

Et in presentiarum, anno 1512 currente, dicta terra et castrum Chisaro per eundem Ioannem Anthonium Romanum possidetur. et reddit anno quolibet. . . . . 07 . . . .

---

*Allegatio feudi Chisaro*

---

Licet magno in Capibrevio Regni comitatum et baroniarum de predictis terra et castro Chisaro diffusius verba protulerim rationes, assignando quo iure dicta terra cum castro tamdiu contra Regie Curie ius occupata extiterit; in presentiarum nihilominus, cum de dicto Chisaro feudo tractetur, hoc in loco aliquid de eo dicendum esse proposui.

Cum enim privilegium Serenissimi Regis Federici, quod de ipso tantum Chisaro feudo in terre Trayne tenimento existenti mentionem facit; cunctis in investituris per magistri Christoferi Romani primi acquisite successores captis, insertum reperiatur, de quo semper letari ipsius feudi possessores visi sunt, facillime percipi potest eosdem nullum aliud habuisse nec habere privilegium sive concessionem terre Chisaro cum vassallis et castro. Unde notissimi iuris est, sicuti eodem magno in Capibrevio dictum est, ipsam Chisaro terram cum eius castro, tanquam rem absque titulo, diu detentam et occupatam, cum eius redditibus fructibus et omni causa, sacro Regio Demanio iterum restitui.

---

#### Lando et Sancti Basilij Feuda

---

Feuda Sancti Basilij et Lando appellata, in valle Nemorum et tenimento Plani Melacij messanensis districtus existencia, per quondam Vassallum Chicari messanensem, in vim concessionis per Siciliae Reges dicti Vassalli progenitoribus de dicto feudo (pro ut Vassallus ipse asseruit) facte, antiquitus possidebatur; de huiusmodi tamen concessione nullus titulus, nullumque privilegium seu scriptura demonstratur. Tandem Vassallus ipse de huiusmodi feudis devoto hospitali divi Ioannis Iherosolimitani, Messina in civitate existenti, sive fratri Nicholao de Oliva, nomine et pro parte ipsius hospitalis stipulanti, donationem fecit, ipsorum tamen feudorum usufructu sibi eiusque uxori, eorum vita durante, penitus reservato.

Postmodum autem idem Vassallus Chicari de usufructu predicto ipsi hospitali aliam fecit donacionem, quemadmodum in ipsis donacionibus, manu notarij Iuliani de Musco messanensis celebratis, contineri asseritur.

Cumque deinde Vassallus Chicari donator antedictus comperisset (prout dixit) quod feuda et feudales res, et presertim hoc in Regno in ecclesias et ecclesiasticas personas alienari de iure comuni omnino prohibentur, quo casu donacio ipsa esset

nulla, eius decrepita etate actenta, consideratoque quod natos non habebat, minusque filios habiturum se sperabat, de feudis Landi et Sancti Basilij prelibatis quondam Bergo de Cirino, eius affini, suisque imperpetuum heredibus, si et in quantum de iure in Curia et per Curiam fieri deberet, donacionem inter vivos fecit irrévocabilem. Cedendo in ipsum Bergum, eiusque heredes, omne ius et actionem, quod et quam Vassallus ipse ad predicta tenebat prelibatas donaciones alias penitus revocando, cui etiam Bergo utile ipsorum feudorum dominium, sub militari servicio Curie Regie prestando, pro ut ipse tenebat, contulit et concessit; sicuti in ipsa donacione per notarium Ioannem de Leopardo XXIV Ianuarij VI Indictionis 1397 facta late patet. Quamquidem donacionem Serenissimus Rex Martinus eidem Bergo Cirino illiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XII Ianuarij VI Indictionis 1397, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 143 notato, acceptavit et confirmavit.

Mota exinde super dictis feudis lite et questione inter prefatum Bergum actorem et Nicolaum Grisaphi iuniorem conventum, pretendentem habuisse a dicto Vassallo Chicari aliam donacionem de dictis feudis, ut patet in provisione dicti Regis Martini data XXV Ianuarij VI Indictionis 1397, ac causa eadem in nonnullos iuris peritos delegata, prenominati Bergus Cirinus et Nicolaus Crisaphi iunior ad concordiam devenientes, feuda predicta Landi et Sancti Basilij inter se diviserunt, adeo quod feudum Sancti Basilij ad dictum Bergum devenit, Landi vero feudum prelibato Nicholao Crisaphi concessit; ipsamque concordiam et transactionem dictus Rex Martinus acceptavit et confirmavit, et ad ipsorum Bergi et Nicolay uberiolem cautelam feuda predicta utrisque dedit; et sub debito militari servicio iuxta Regni Constituciones, iuribus Curie et alterius semper salvis, de novo concessit; pro ut in quadam ipsius Regis provisione data Cathanie VIII Aprilis VIII Indictionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 VIII Indictionis in cartis 56 notata, continetur.

In anno vero 1416, quo tempore Serenissimus Rex Alfonsus vestre Catholice Maiestatis patruus, Regno potiebatur, prenominato Bergo Cirino defuncto, sibi Anthonius Cirinus eius filius legitimus et naturalis ac maior natu successit. Qui Anthonius coram tunc Proregibus comparens, illisque demonstrans privilegium dicti Regis Martini, cum inserto tenore donacionis per prefatum quon-

dam Vassallum Chicari eidem Bergo Cirino patri facte, super iure revocandi aliam donacionem per eum prelibato hospitali Sancti Ioannis, ut predicatur, factam, ac super dominio dictorum feudorum ut supra ipsius donationis virtute pro se eiusque heredibus, suo de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio ab ipsis Viceregibus iuribus Curie et alterius semper salvis, de ipsis duobus Sancti Basilij et Landi feudis confirmationem et investituram reportavit; sicuti in ipsa Viceregia investitura, data Cathanie IV Febrarj X Inditionis 1416 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 91 notata, diffusius enarratur. Qua quidem in investitura de concordia sive transactione et divisione ipsorum feudorum inter prenomatos Bergum Cirinum et Nicolaum Crisaphi firmata, et per dictum Regem Martinum, ut predicatur, approbata et confirmata, nullum est expressum verbum; unde mirari contingit, quare eadem in investitura de iuribus eiusdem Nicholai Cirini nulla facta fuerit mentio.

Mortuo postmodum prefato Anthonio Cirino, sibi Henricus Cirinus eius filius legitimus et naturalis ac maior natu successit. Qui pro se suisque heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, a Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, de ipso Sancti Basilij feudo X Septembris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 286 notatam, reportavit: in qua de feudo Sancti Basilij tantum et non de feudo Landi fit mentio.

Ipsoque Henrico Cirino absque filiis decedente, sibi in dicto Sancti Basilij feudo successit Ioannes Cirinus eius frater, prenominati Anthonij filius secundogenitus. Qui pro se suisque heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, de feudo eodem Sancti Basilij a don Lupo Ximenen Durrea, Prorege, XX Aprilis VII inditionis 1459, investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1458, 1459 in cartis 577 notatam, obtinuit.

Defuncto preterea dicto Ioanne Cirino, sibi eodem in Sancti Basilij feudo successit Paulus Cirinus eius filius primogenitus, legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus, iure Francorum, ab eodem don Lupo Vicerege XVI Martij VI Inditionis 1473 de ipsomet Sancti Basilij feudo investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1471, 1472 in cartis 385 notatam, habuit

Prefato autem Paulo Cirino vitam cum morte commutante, sibi in eodem Sancti Basilij feudo successit Ioannellus Cirinus eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus iure Francorum, a don Iuliano Centelles, Regni Preside, de ipso feudo

XIII Octobris VII Indictionis 1488 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 230 notatam, assequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, feudum predictum Sancti Basilij per Ioannellum Cirinum prefatum possidetur, et reddit anno quolibet . . . . . 07 . . . .

---

**Landi feudum**

---

Quo vero ad feudum Landi dico, quod in posse Philippi de Crisaphi devenit, de quo, cum nulla reperiaturo investitura, rationem dare nequeo si filius pronominati Nicholay de Crisaphi fuit, cum quo prelibata concordia et feudorum divisio cum Bergo Cirino antedicto facta extitit.

Post cuius Philippi Crisaphi obitum, sibi Ioannes Michael Crisaphi eius filius et Gentilis iugalium successit. Qui pro se eiusque heredibus, iure Francorum, de ipso Landi feudo a tunc Presidentibus penultimo Iulij II Inditionis 1484 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 539 notatam, obtinuit.

Decedente demum ipso Ioanne Michaele Crisaphi absque prole, sibi in eodem Landi feudo successit Ioannes Vincentius Crisaphi, eius frater, filius secundogenitus prelibati Ioannis Michaelis et Gentilis jugalium. Qui Ioannes Vincentius a don Gaspare de Spes, tunc regni Prorege, de ipso Landi feudo iure Francorum, XVI Decembris IV Inditionis 1485 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 233 notatam, reportavit.

Hodie vero, anno 1512 currente, ipsum Landi feudum per eundem Ioannem Vincentium Crisaphi possidetur, et reddit anno quolibet . . . . . 07 . . . .

---

*Allegatio feudorum Sancti Basilij et Landi*

---

Actendendum est, Catholice Princeps, quod Vassallus Chicari donator ipsorum duorum feudorum, Landi scilicet et Sancti Basilij, primus acquisitor non fuit, pro ut in sue donationis narrativa exponitur. Et ideo, cum sui tituli forma non expressetur, minusque privilegium aliquod reperiatur, certi iuris est, formam ipsorum feudorum in stricta forma iure Francorum comprehendere debere. Preterea Vassallus nullos habuit filios sive heredes eius de corpore legitime recta linea descendentes; quod cum ita sit, quomodo dictus Vassallus donationem memoratam, absque licentia Principis, facere poterat hospitali Sancti Ioannis Messane de ipsis duobus feudis servitio militari obligatis? Et ideo, tum quia regio non intervenit consensus, tum quia prohibitum est a jure comuni feuda ecclesiis et ecclesiasticis personis concedi, firme sum opinionis illa Regie Curie devoluta esse. Pari modo, quia Vassallus predictus sue mortis tempore filios sive heredes non habuit, in regiarum excadenciarum et regaliarum vim Vestra Catholica Maiestas feuda ipsa habere poterat et potest. Et sic alia donatio per ipsum Vassallum prelibato Bergo Cirino, eius affini et de alia agnatione et genelogia, de iure revocande supradictam donationem per Curiam etc. facta, in Regie Curie prejudicium fieri non poterat. Item, licet appareat privilegium Serenissimi Regis Martini, confirmatorium eiusdem secunde donationis ipsi Bergo facte, cum inserto tenore contractus huiusmodi donationis, tamen per dictum privilegium tantummodo confirmatur donatio iuris revocandi donationem in ecclesiam ut supra per Curiam, et non apparet aliquam exinde fuisse latam sententiam, sive actum extitisse factum, quibus prima donatio fuerit servatis servandis, scilicet Regij Fiscii procuratore citato et audito, revocata et annullata. Actento ergo quod dictus Rex suo in privilegio eius tantum Regia iura, et non alterius sibi reservavit, et legibus disponentibus non posse feuda ecclesiis concedi non dispensavit, minusque motu eius proprio et Regie potestatis plenitudine primam donationem dicte ecclesie sive hospitali factam annullavit; firme teneo, ultimam donationem dicto Bergo factam, esse nullam ipsique

Regie Curie predictis ex causis. tum etiam quia prefatus Vassallus donator prolem non habuerat, in dictis feudis maxima competere iura. Tamen est omnino perquirendus et videndus titulus dicti Vassalli pro veritate dilucidanda, ut percipi possit, si is erat idem titulus quod ad sue libitum voluntatis de feudis ipsis disponere poterat, ad Curie cautelam.

---

### **Pirago et Bitonti Feuda**

---

De Pyrago et Bitonti feudis, in valle Demine et territorio Castri Regalis ac civitatis Messane positis, in Regie Cancellarie codicibus nullus invenitur titulus, nullumque privilegium, aliave scriptura, quibus aliquatenus appareret Sicilie Reges, vestri Regij Culminis progenitores, feuda ipsa a sacro Regio Demanio segregasse, et alicui antiquitus concessisse. Verum in anno 1479 demonstratur quondam Thomam de Thurtureto de feudo Bitonti prelibato, ac de medietate pro indiviso feudi Pyrago; que feuda possedisse asserebatur, pro se suisque heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, ob Serenissimi Regis Ioannis mortem et filicissimam vestre Catholice Maiestatis successionem, VII Ianuarij XIII Inditionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 193 notatam, reportasse. Et nihilominus ipsa in investitura nulla fit mentio quomodo Thomas ipse de Turtureto ipsis in feudis successerit.

Reliqua vero prefati Pyrago feudi medietas per quondam Philippum Crisaphi possidebatur. Sed quia ipsa in Cancellaria nullus de his titulus reperitur, nullam dare valeo rationem, quo iure eius ad manus dicta feudi medietas devenerit. Quo Philippo defuncto, prefata feudi Pyrago medietas Ioanni Michaeli de Crisaphi illius filio cessit. Qui pro se eiusque heredibus, iure Francorum, de eadem penultimo Iunnij II Inditionis 1484, investituram in Regie Cancellarie libro annorum 1483, 1484 in cartis 541 notatam, assecutus extitit.

Defunto postmodum absque filiis prefato Ioanne Michaeli Cri-



saphi, sibi in dicta feudi Pyrago medietate successit Ioannes Vincentius Crisaphi eius frater, filius secundo genitus prenominati Philippi. Qui Ioannes Vincencius a quondam don Gaspare de Spes tunc Prorege, de dicta feudi Pirago medietate iure Francorum, XVI Decembris IV Indictionis 1485, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 233 notatam habuit.

Hic vero Ioannes Vincentius Crisaphi deinde prelibatam dicti feudi Pyrago medietatem, cum carta tamen gratie quandocumque reddimendi, Vincentio Alaman vendidit. Qui Vincentius Alaman de ipsa feudi medietate, pro se suisque heredibus iure Francorum, a Ioanne de la Nuça, tunc Vicerege, iure Francorum, XII Iulij VII Inditionis 1503 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 555 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, ipsa feudi Pyrago medietas per eundem Vincencium Alaman possidetur, et reddit anno quolibet . . . . . 07 VIII

---

**Feudi Pyrago medietas**

---

Reliqua vero feudi eiusdem Pyrago medietas per heredes prenominati Thome de Turtureto possideri assertitur, nullam tamen ipsa in Cancellaria investituram, actumve possessionis feudi ipsius invenire potui. Que quidem feudi medietas hodie, dicto anno 1512 currente, per eosdem heredes ut predicatur possidetur, et reddit anno quolibet. . . . . 07 . . . .

---

### Bitonti hospicium sive feudum

---

In hospicio autem sive feudo aut fundaco Bitonti appellato, infra Messana posito, postquam prefatus Thomas de Turtureto absque prole suum diem clausit extremum, successit Matheus de Turtureto eius frater. Qui pro se eiusque heredibus iure Francorum a Ioanne de la Nuça tunc Prorege, de eodem hospicio sive feudo, XXI Aprilis VI Inditionis 1502 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 397 notatam, reportavit.

Hodie vero, anno eodem 1512 currente, ipsum feudum Pyrago et hospicium Bitonti, sive feudum, per prefatum Matheum de Turtureto possidetur. et reddit anno quolibet. . . . 07 XXV

---

### Feudum Aragonie

---

Feudum Aragonia nuncupatum, in valle Demine existens, Ioanna de Modica, uxor relicta quondam Perrelli de Modica. antiquitus possidebat; quo tamen titulo, cum in Regie Cancellarie codicibus nullum appareat privilegium aliave scriptura, nullam dare valeo rationem. Tandem prefata Ioanna de Modica ipsum Aragonie feudum, carta tamen gratie reddimendi mediante, certo precio quondam Artali Mignia secretario vendidit. Cuius emptionis virtute idem Artalis, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servitio iuribus Curie et alterius semper salvis, a tunc Prorege, IV Iulij XI Inditionis 1477, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 319 notatam, consequutus extitit.

Postmodum vero ipsum Aragonie feudum ad Ioannellam de Paternione devenit. Tamen an illa fuerit Ioannella de Modica que

feudum ipsum cum carta gratie reddimendi ipsi Artali de Mignia prius vendiderat ignoro; nam evenire potuisset quod ipsa Ioannella de Paternione predicti Perrelli de Modica uxor fuisset, et inde ad secunda vota convolans cum illis de Paternione matrimonium contraxisset, et feudum predictum a posse prefati Artalis Mignia deinde redemisset.

Tandem, quomodocumque sit, ipsa Ioanna de Paternione de ipso Aragonie feudo Angelo Francisco de Paternione, eius filio, publico contractu, in actis notarij Philippi de Panicardo, II Ianuarij IX Inditionis 1505 celebrato mediante, donacionem fecit. Cuius virtute prefatus Angelus Franciscus de ipso Aragonie feudo, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iuxta formam sui privilegij sub consueto militari servicio; ultimo Aprilis IX Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 388 notatam, reportavit.

Sed quia in prima investitura, de qua in capitulo verba facta sunt, de forma stricta iure Francorum mentio facta est, miror quare hac in ultima sive posteriori investitura de eodem Francorum iure nulla expressetur mentio, quod in maximum sacri regij Demanij preiudicium valde tendit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, predictum Aragonie feudum per Angelum Franciscum de Paternione possidetur et reddit anno quolibet . . . . . 07 XXXX

Et etiam ob mortem domini Regis Ferdinandi cepit investituram a don Ioanne de Luna, Preside, die XIX Ianuarij V Inditionis, notatam in libro 1516 fol. 388, et Bartolomeus de Castrovovo, eius procurator, iuravit in animam constituentis dictum feudum reddere anno quolibet tantumdem.

---

#### Albanum Feudum

---

Feudum vulgo Albanum appellatum, in valle Demine et territorio terre Trayne positum, terrarum tenementum antiquitus fuerat et per quondam Sanctium Royz de Liori tunc Galeani Vicecomitem possessum. Quod quidem terrarum tenementum Serenis-

simus Rex Alfonsus, vestri regij culminis patruus, ad predicti Vicecomitis supplicationem infeudavit, et in nobile feudum imperpetuum elegit, ipsique Vicecomiti suisque heredibus cum omnimoda Regie Curie debiti et consueti servicij militaris obligatione confirmavit; sicuti in ipsius Regis privilegio dato in Castello Novo Neapolis X Novembris III Inditionis 1454, diffusius continetur, de quo Viceregie executorie, date Panhormi V Februarij IV Inditionis et in Regie Cancellarie anni 1455 libro in Cartis 216 notate, emanarunt. Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie Codicibus a dicto anno 1455 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nullam de ipso Albani feudo investituram per successores prefati Sanctij Royz de Liori, aliasve personas detentrices ipsius feudi seu in illo succedentes, captam inveni. Unde tenendum est, quod ipsi feudi possessores, ad occultandum et sibi usurpandum militare servicium regiosque directus marcarum argenti, iuris relevij decime et tarenii, aliorumque iurium Regie Curie, regisque officialibus spectantium, credentes forsitan dictum privilegium nullo tempore ad notitiam devenire debere, investituras, ex forma Regni Constitutionum omnino capiendas, capere neglexerunt. Et ideo ad Regie Curie interesse est attendendum.

---

#### **Asterij et Crimasta Casalia**

---

Casalia Asterij et Crimaste vulgo appellata, in valle Demine existentia, per aliquos Regni Barones possidentur; sed quia de Crimaste Casale magno in Capibrevio in cartis 807 non nihil dixi, ad ea que exposita sunt me refero.

De casali autem Asterij cum incertus sim in cuius posse existat, quid dicendum sit ignoro; tamen cum Serenissimus Rex Federicus regnaret ipsorum casalium capitaniam cum causarum criminalium cognitione ad ejus regium beneplacitum Ioanni Manjavacca messanensi, eius cum Regia provisione data Chathanie V Octobris II Inditionis, et in Regie Cancellarie libro annorum 1360 1366 in cartis 312 notata, concessit. Ex qua clarissime percipi

potest, utrumque casale, Asterij scilicet et Crimaste, de antiquo Regio Demanio fuisse. Unde ad vestre Chatolice Maiestatis notitiam hec exponere mihi visum est.

---

#### Albiri Feudum

---

Feudum Albiri nuncupatum, in valle Demine et territorio utriusque Petralie positum, per quendam Franciscum de Vingtimitiliis, tunc Girachij Comitem ac Golisani, antiquitus possidebatur; quo tamen iure ad ipsius Comitum manus venerit, nullus apparet titulus, minusque constat, an feudum ipsum de membris sit fortasse et pertinentiis ipsorum Comitatum aut baronie ipsarum utriusque Petralie terrarum, quin immo cum Comes predictus illud appellaverit feudum suum in territorio Petralie positum, et non expresserit illud de membris iuribus et pertinentiis eisdem fuisse; apparet hoc feudi nomine tantum importare ut fides sit adhibenda, illud esse feudum antiquum et ab alterius cuiuslibet feudi annexione separatum, et per consequens feudum esse de per se et servitio militari obnoxium.

Tandem, quomodocumque sit, dictus comes Franciscus de Vingtimitiliis de ipso Albiri feudo franco libero et ab omni census et cuiuslibet alterius servitij iure exempto, pro toto tenimento et castro Rocelle apud civitatem Cephaleditanam posito, franco et ab omni servitute exempto, ut vulgo dicitur ala cabali, absque refectione aliqua, cum tunc Episcopo et canonicis cephaleditane sedis in forma amplissima pro heredibus et successoribus imperpetuum permutacionem fecit, sicuti in quodam publico instrumento manu notarij Bartholomei de Sancto Bartholomeo messanensis, XXVII Decembris IX Inditionis 1385 acto, hec et alia diffusius disseruntur. Quod quidem permutationis instrumentum Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria ejusdem permutatoribus exinde simpliciter acceptarunt, et cum clausula iuribus Curie Regie et aliorum in omnibus semper salvis, confirmarunt, prout in eorum Regio privilegio in quo dictum permutationis instrumentum insertum

fuit, dato Cathanie XIII Novembris prime Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in folio primo notato, continetur.

Unde cum mecum considerarem, quare prefati permutatores per annos fere septem distulerint ad habendum et obtinendum dictam Regiam confirmationem Regie Cancellarie repertorium, in quo omnia privilegia et Regni feudorum investiture denotata sunt, a dicto anno scilicet 1392 usque ad odiernum. anno 1512 decurrente, revidere curavi, et tandem nullum actum, investituramve inveni de ipso feudo Albiri per cephaleditanos Episcopos, successores prefati episcopi permutatoris, captam. Nam cum dictum Albiri feudum de alterius baronie pertinentiis fuisset, et modo quo supra exinde permutatum extitisset, quilibet Episcopus, in dicto Episcopatu succedens, ipsius ecclesie nomine, de illo investituram capere merito tenebatur, ne videretur illud occupativo modo cum usurpatione Regij militaris servitij detinere; cum presertim ipsi Reges in eorum confirmatione militare servitium sibi reservaverint, quodque hoc sit verum patet. Nam quantumcumque Episcopus ille, qui dictam fecit permutationem, castrum et tenementum Rocelle francum, liberum et exemptum a quolibet onere census et alterius servitij concesserit, nihilominus dicta Rocella semper pro feudo militari servitio subiecto habita fuit, et successores prenominati Comitis Francisci permutatoris superioritatem et comune dominium huius Sicilie Regum pro ipsa Rocella semper recognoverunt et recognoscunt, prout in magno Capibrevio in capitulo dicte Rocelle diffusius exponitur. Et sic ad premissa est recte attendendum et precipue quisnam ipsum Albiri feudum possideat et quare de illo investiture per tantum temporis intervallum capte non fuerint.

---

#### Castellionis Terra

---

Iubsisti, Catholice Rex, ut huius Sicilie ultra Farum Regni feuda a sacro Demanio contra Regni eiusdem Statuta et Ordinationes segregata tue notificarem Maiestati; quod cum tibi serviendi avidus efficere peroptarem, regaliarum ab ipso demanio disiun-

tarum Capibrevium componere curavi. In quo, que sunt Ville, queque sint res. que de eodem alias fuerant Demanio, et in baroniam sub feudali servitio in presentiarum reperiuntur, declaravi. Quorum una est Castellionis terra cum castro in valle Demini consita; que Regni Constitutionibus Serenissimique Regis Jacobi Capitulis super demanialibus non alienandis editis, obstantibus ab ipso demanio diveli (*sic*) et in baroniam ac perpetuum feudum concedi nullatenus poterant. Sed tunc ut innoteat Celsitudini, ipsam Castellionis terram de regio mere fuisse demanio, que inferius describuntur, perlegere non didigneris per ea; namque hoc facile percipies cum enim Serenissimus Rex Federicus regno potiebatur, ipsamque Castellionis terram in demanium regium observaret, iura quedam Regie Secretie terre eiusdem nonnullis eius familiaribus ad vite sustentacionem Rex ipse concessit; quemadmodum quodam in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 326 haec et alia late patent: ipsoque in libro folio 336, quedam eiusdem Federici Regis provisio contra Berardum de Spatafora tunc rebellem, regali Curia instante, emanata reperitur, in qua inter cetera huiusmodi leguntur verba scilicet: ut castrum et terram nostram Castellionis suis manibus et dominio subiugaret.

Quandam aliam nec minus Regis eiusdem provisionem liber ipse continet, in qua verba hec demonstrantur, scilicet, unde patet argumento fortissimo quod si terra nostra quam habemus in posse temptavit auferri etc.

Preterea eodem sub demanio Villa ipsa persistente, Rex Federicus antedictus illius capitaniam cum causarum criminalium cognitione, ad eius tamen regium beneplacitum, quondam Blasco de Alagona concessit, sicuti in illius regia provisione, in libro annorum 1365, 1366 in cartis 5 notata, continetur.

Concessit similiter Rex idem Bernardo de Fassari vineam quandam in ipsius Ville territorio existentem, pro ut in alio Regie Cancellarie libro anni 1371, in cartis 175 diffusius exponitur.

### Feudum Picati

---

Rogerioque de Spatafora Roccelle baroni eiusque imperpetuum heredibus feudum Picati, de membris et territorio Castellionis, Rex antedictus concessit, ut in eius regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 117 notato seriusus exponitur.

Fecit nec minus Rex prelibatus super xare cabella Regie Curie terre ipsius Castellionis unciarum vigintiquatuor anni redditus absque servicio concessionem, sicut eodem in libro anni 1371 in cartis 171 diffusius enarratur.

Alia quam multa patent, Serenissime Princeps, quibus luce clarius demonstratur ipsam Castellionis terram ab antiquo de regali fuisse Demanio, ea tamen brevitatis causa obmittenda esse duxi, nam minime legitur, post regni acquisitionem per serenissimum Rogerium Comitem Normandum factam usque ad eiusdem Federici Regis regimen, de ipsa Castellionis terra aliquam fuisse in baroniam factam concessionem.

Iura redditus et proventus ac castellaniam et acathapaniam terre eiusdem cuidem Perrono de Iuenio de Thermis, Regni Prothonotario, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, Rex idem similiter concessit.

Quo non obstante, ipse Rex Federicus Serenissime Anthonie Regine, eius consorti, pro sui Cammera et dodario super Siracusane civitatis ac terrarum Leontini, Bizini, Castellionis et Franceville proventibus, uncias duas mille annui redditus dedit et assignavit. De quo cum Perronus ipse valde conquereretur, prius per eum renunciatis terre Calaxibette redditibus, ac territoriorum Calaxibecte et Castris Ioannis excadentiis Regie Curie et Fisco regio obvenerant, que per ipsum Regem alias sibi et suis concessa extiterant, queque in terre predictae Castellionis excambium ad ipsam Reginam Anthoniam transferri voluit, et pertinere mandavit. Perronus ipse non tantum de regia prenominata provisione sibi super eisdem redditibus, castellania et acathapania Castellionis concessa, confirmacionem habuit; verum etiam pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio. Constitutionibus Regis Iacobi. iuribusque Curie et alterius



semper salvis, de ipsa Castellionis terra concessionem reportavit; quemadmodum in ipsius Regis Federici privilegio, dato Messane XVII Decembris XII Inditionis 1373, clarius exaratur.

Ipsa tandem Perrono de Iuenio defuncto, Bartholomeus de Iuenio eius filius successit. Qui a serenissimis Regibus utroque Martino et Maria, pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, prenotati privilegij Regis Federici confirmationem et investituram obtinuit. Cum hoc tamen, ut Bartholomeus ipse vi armorum, aut machinatione aliqua terram eandem a cuiuslibet illam occupantis et occupatam detinentis manibus recuperaret, illamque recuperatam, iuxta ipsius principalis privilegij continentiam, exinde libere et licite retineret; sicut in ipsorum Regiis privilegiis, uno videlicet dato Cathanie ultimo Septembris, altero vero etiam dato Cathanie primo Novembris III Inditionis 1394, et in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 74 et 76 notatis, continetur.

Nihilominus etiam inveni quoddam aliud privilegium ab ipso Rege Martino emanatum, et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 191 notatum, per quod apparet Regem ipsum post mortem dicti Perroni de Iuenio dictam Castellionis terram nec non etiamque Franceville vere demaniales quondam Calcerando de Villanova suisque imperpetuum heredibus sub consueto militari servicio concessisse, quo in privilegio nulla fit mentio de concessione terre eiusdem Castellionis prelibato Perrono de Iuenio facta. Preterea, nulla facta mentione de dicto privilegio concesso prefato Calcerando de Villanova per ipsummet Regem Martinum, prelibatus Bartholomeus de Iuenio filius et heres dicti quondam Perroni de terra eandem Castellionis prenotatam confirmationem ab ipsomet Rege Martino, ut predictur, reportavit.

Mortuo postmodum ipso Bartholomeo de Iuenio, sibi in dicta Castellionis terra successit Perronus de Iuenio eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se eiusque heredibus, suo de corpore legitime descendentibus, iuribus Curie et alterius semper salvis, dictorum privilegiorum confirmationem reportavit; ut in quadam regia confirmatione, data Cathanie VII Marcij VIII Inditionis 1414, latius enarratur.

Decedente deinde Perrono de Iuenio predicto, sibi in eadem Castellionis terra successit Bartholomeus de Iuenio eius filius legitimus et naturalis, de quo nulla apparet in Regia Cancellaria investitura.

Deficiente demum Bartholomeo de Iuenio prelibato, sibi ea-

dem in terra successit Perruchius de Iuenio eius filius, legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se eiusque heredibus predictis iure Francorum a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, de terra ipsa, Constitutionibus Regis Iacobi ac iuribus Curie et alterius semper salvis, VII Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 697 notatam, consequutus fuit.

Postremo, ipso Perruchio de Iuenio sue vite finem imponente, sibi in dicta Castellionis terra successit Bartholomeus de Iuenio eius filius primogenitus, legitimus et naturalis. Qui de terra ipsa a quondam Ferdinando Dacuña, tunc regni Preside, investituram habuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, ipsa Castellionis terra, per eundem Bartholomeum de Iuenio possidetur; que anno quolibet reddit unc . . . . .

Licet per Serenissimi Regis Iacobi Constitutionem *ceterum advertentes* incipientem, aliasque quamplurimas Constitutiones et regni Capitula per Sicilie Reges super non alienandis Demanialibus edita, terra ipsa Castellionis, tanquam vere demanialis, ab ipso demanio disjungi non poterat, ob quod patet prenominatum Regem Federicum suo cum privilegio Constitutiones easdem iuraque regie Curie sibi reservasse; tamen Regibus ipsis utroque Martino et Maria in Regno succedentibus, universalis terre eiusdem Castellionis populus, coram illis comparere non dubitavit, querelis ingentibus asserens terram ipsam a Regio demanio illicite segregatam extitisse. Ipsisque inter cetera capitula quedam obtulere, que huiusmodi sunt serieij scilicet: Universitas terre Castellionis supplicat humiliter et devote Sacre Regie Maiestati, quatenus sibi dignetur sequentes petitiones concedere; primo quod non alienentur a dominio et Corona regia, sed semper sint de dicto dominio, pro ut hactenus fuerunt et sunt et habent privilegia sua—Placet dominis Regi Regine et Duci iuribus, regiis et alterius semper salvis—Item quod eorum privilegia, libertates, immunitates et rationabiles consuetudines auctoritate regia confirmentur—Placet predictis Dominis—Que quidem Capitula Reges ipsi in eorum vim perpetui privilegij, in libro anni 1392 in cartis 25 notata, ratificarunt et confirmarunt.

Cumque exinde bellis in regno vigentibus, illius proceres contra regiam coronam rebellionem perpetrassent, per eosdem terram ipsam Castellionis diu occupatam fuit. Iterque Universitas ipsa Regibus predictis per hec verba supplicarunt, scilicet: Item sup-

plicat et petit la dicta Universitati chi la ditta terra di Castigluni sia et digia essiri reducta et agregata a lo regio Demanio si como era di primo, et chi non digia esseri ne si poza concediri in baronia a persuna nixuna di qualsivogla condicioni, non obstanti donacioni concessioni oy alienacioni (chi sia stata facta tanto per lo Serenissimo Signuri Federico bone memorie, quantu per li Serenissimi Signuri Re predicti Aragonum et Sicilie—Placet regiis Maiestatibus—Quam ob rem terra ipsa sub Sacri Regij Demanij iugo diu permansit. Quo quidem tempore Reges predicti Martinus et Maria Galvagno et Gulielmo de Taranto feudum lo Moyo nuncupatum in eiusdem terre termino situm concessere; sicuti in eorum regia provisione in regie Cancellarie libro anni 1396 V In-ditionis, in cartis 23 notata, continetur.

Exemit nec minus Castellionis Universitatem Rex ipse Martinus sua cum regia provisione, in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 52 notata, a quibuscumque dohanis Regie Curie debitis et debendis in terra Placie eiusque territorio tantum. Unde facilius comprehendendi potest ipsam Castellionis terram vere demanialem extitisse, et in Perronum de Iuenio contradictarum regni Constitutionum et terre ipsius privilegiorum formam, alienari non potuisse, licet Siracusano in colloquio per illos duodecim electos celebrato, quorum sex regiam partem, reliqui vero sex totius regni Universitatem fovebant, provisum et statutum sub forma sequenti scilicet: Item de dicta terra et castro Castellionis, que dictus nobilis Bartholomeus de Iuenio tenet in baroniam « licet sit determinatum, quia ipse nobilis obtulit se paratum ad servicium regie Maiestatis predictae restituere et resignare eidem Maiestati ipsam terram et castrum Castellionis, recuperatis prius per eum a Regia Curia florenis tribus milibus, cum interesse quos extitit consequutus pro habitatione florenorum predictorum ad provisionem et declarationem magistrorum Rationalium, quod si ipsa regia Maiestas eidem nobili Bartholomeo dicta tria milia florenorum et interesse hinc per totum mensem Marcii proximi venturi. Et si infra idem tempus dicta regia Maiestas non solverit dicto nobili Bartholomeo ipsa tria milia florenorum, eo casu dicta regia Maiestas debeat declarare, et nunc pro tunc declarat dictam terram et castrum Castellionis fore et esse debere baroniam iuxta sententiam inde latam per magnam Regiam Curiam. Et sic dicto mense Marcii decurso, cum Regia Curia dictos florenos tres mille cum interesse solvere non potuisset, quod interesse, ut assseritur, summam florenorum mille cepit, et sic in summa florenos quatuor mille solvere debe-

bat, Rex Martinus antedictus cum sui Sacri Regij Consilij deliberatione declarando dimisit terram ipsam Castellionis prelibato Bartholomeo de Iuenio et suis heredibus tantum, et non aliis, in baroniam perpetuam, in his sempiternum silentium imponendo, pro ut in eius regio privilegio dato Cathanie XX Maij VII Indictionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 151 notato, continetur.

Et licet accordium prenotatum cum ipsius Consilij deliberatione factum extiterit, inter ipsos Regem Martinum et Bartholomeum de Iuenio, illa cum conditione, quod si Rex terram predictam suo pro Regio demanio voluisset, infra trimestre tempus dictos tresmille florenos solvere debuisset. Nihilominus huiusmodi accordium in ipsius Demanij ac privilegiorum Universitatis Castellionis preiudicium, que in vim perpetui contractus sub fide regia et juramento firmati transierunt, tenere non deberet, cum presertim possibile esset easdem pecunias per ipsam Curiam fuisse jam exsolutas. Et quando forte allegaretur pecunias easdem solutas non extitisse, dicendum est culpa et defectu ipsius Bartholomei hoc processisse. Nam trimestri termino decurso, Bartholomeus ipse Regem eundem ad ipsas solvendas pecunias, publica preeunte scriptura, requirere debuerat; cumque huiusmodi facta non reperiantur, apparet dictum Bartholomeum de Iuenio pecuniarum earumdem petitionem fraudolenter ut ipsam demanialem terram, usurpativo modo, minimo precio sibi retinere, pretermisisse. Nam terra ipsa valoris florenorum ultra quinquaginta milium extimatur; dum quia huiusmodi requisicionis scriptura non apparet licet tempus decursum sit, Regie Curie non prescribitur, quin per eam, solutis prius dictis florenis tribus milibus, terram ipsam recuperari possit. Et nihilominus firme teneo ipso Rege Martino defuncto, pactum predictum invalidum remansisse. Unde dicendum est, quod Siracusanum colloquium obstare non potest, quoniam stipulacio seu pactum quod restituatur, solutis dictis tribus mille florenis, est in favorem Regni ac etiam in favorem Regij Fisci et Demanij, prefixio vero temporis trimestris ad reddendum fuit in favorem dicti baronis de Iuenio. Et quia Universitas dicte terre et totius Regni ac etiam Regius Fiscus gaudent beneficio restitutionis, tam adversus lesionem contractus, et sic ipsius Parlamenti, quam adversus prescriptionem et lapsum temporis, ideo saltem via restitutionis in iutegrum posset venire et adimplere de novo, facto dicto deposito florenorum trium milium, et reluere dictam terram et castrum.

**Noharie terra**

---

Memini, invictissime Princeps, tue me alias notificasse Celsitudini, ac per hoc te ignorare non debere, quascumque Regni demaniales terras et feuda, Civitatibus dumtaxat exceptis, ex Regni natura et antiqua consuetudine ac constitutionibus in regales consanguineos ex recta regali linea descendentes, pro eorum hereditate et status sustentacione licite transferri posse, illisque donari aliter; namque qui ex regali provenirent stirpe, primogenito excepto, cui Regnum competit, tanquam illegitimi haberentur et tractarentur, quod equidem absurdum videtur. Cum igitur de Noharie terra in valle Nemorum et Demine huius Sicilie Regni posita, quid sentiam tuo regio jussu exponere oporteat, dico: quod illam sub Regij Demanij jugo persistentem, Serenissimus Rex Federicus quondam Vinchiguerre de Aragonia Regni Cancellario, sua ex regali progenie genito, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, cum bellorum anfractibus ad ipsius manus iam devenisset, concessit; sicuti in ipsius regio privilegio dato Cathanie XVIII Februarij III Inditionis 1364, et in regie Cancellarie dicti anni libro foleo primo notato, continetur.

Cumque Rex idem mox mente conciperet terram ipsam et castrum Noharie, ob illorum situm, cum in Plano Melacij existant a Messana civitate in qua moram trahere, ut plurimum consueverat, non distare; eandemque terram suo regali animo conversacionique valde gratam esse, eiusque oblectacionibus aptissimam, in qua ob loci vicinitatem et venacionis commodum, defessum animum venatu reficere et recreare facilius poterat, illam recuperare et suo Regio Demanio iterum restituere curavit. Unde de eadem pro Turtureti terra, que nonnullis de causis ipsi Regio Demanio devoluta fuerat, cum prenominato Vinchiguerra de Aragonia, non obstante quod ipse Rex terram Turtureti eandem ad eiusdem Universitatis supplicacionem prelibato Demanio reduxisset et applicasset, permutacionem fecit; ad quod peragendum sanguinis nexu se astrictum et obligatum extitisse asseruit: quemadmodum in eius Regio privilegio in Regie Cancellarie libri anni 1371 in cartis 47 notato, hec et alia diffusius exprimuntur.

Ipsa demum Rege Federico defuncto, ac Serenissimo Rege Martino eodem in Regno postmodum succedente, quo tempore Regnum ipsum bellorum discriminibus a nonnullis tyrannice occupatum detinebatur, quondam Guillelmus Raymundus de Montecatheno, tunc Meliveti Marchio, coram eodem Rege Martino comparens, illique exponens quondam Matheum de Palicio, comitatum terre Noharie antedictae ac terram Tripi aliaque feudalia et burgensatica tenuisse, illisque bellorum revolucionibus aliquando destitutum fuisse, eodemque inter id temporis a quibusdam eius emulis invidia obcecat, nequiter interfecto, sui testamenti vigore ipsum Noharie comitatum, terramque Tripi, ac cetera illius bona ad eiusdem comitis filios et filias eorumque legitime descendentes, et inter alios ad quondam Elisabeth ipsius Guillelmi Raymundi marchionis socrum devenisse, ex qua et Ioannem de Lagona iugalibus quondam Beatricem ipsius Guillelmi Raymundi marchionis uxorem natam et procreatam fuisse etiam assereret, ex quibus Gulielmo Raymundo et Beatrice consortibus plures filios, et inter alios Matheum et Ioannem de Montecatheno genitos extitisse, similiter enarraret. Quibus Matheo et Ioanni, tam virtute dicti testamenti per prelibatum comitem Matheum de Palicio facto, quam ex titulo donationum et iurium cessionum per Mariam et Luccam de Palicio prefati comitis Mathei filias de ipsis comitatu Noharie et terra Tripi competere etiam exponeret, ab ipso Rege Martino, nulla alia exquisita informacione, de ipsis Noharie et Tripi terris ad eius vitam, et post ipsius mortem pro eisdem Matheo et Ioanne filiis suis et dicte Beatricis, illorumque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio concessionem reportavit; pro ut in ipsius Regis Martini privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1396 V inditionis in Cartis 92 notato, latius exaratur.

Nihilominus ipsa in Cancellaria titulus non apparet aliquis, quo percipi possit eandem Noharie terram ad illos de Palicio cecisse. Quamobrem, cum per nulla publica et legitima documenta constiterit dictum comitem Matheum de Palicio legitimum concessionis dicte Noharie terre titulum habuisse, nec etiam reperitur prefatam Beatricem, ipsius Guillelmi Raymundi marchionis coniugem, ab ipso comite Matheo de Palicio legitime descendisse; minusque appareat de recta linea et genealogia dicti comitis Mathei de Palicio usque ad prelibatam Beatricem, dico, concessionem ipsam in regij demanij prejudicium fieri non potuisse, nec debuisse. Acteneta tamen regni procerum infidelitate quam contra

dictum Regem Martinum perpetrare non dubitarunt, necessitateque ipsius Regis considerata, opinor ipsum Regem Martinum ad dictam concessionem faciendam, non ei constituto de titulo dicti comitis Mathei de Palicio, ac de vera eius genologia usque ad dictam Beatricem ut supra, facile condescendisse. Quodque hoc sit verum patet; nam Rex idem Martinus prefato Guillelmo Raymundo de Montecatheno ultra terram ipsam Noharie. marchionatum predictum Melivetanum, ac terras Nari, Sutere, Delie, Mussumellis, Gibillinorum, Fabarie, Muxari, Montis clari, Guastanelle, Misirmenij, Minei, Munjalini et Ferule, concessit et dedit; ut in eius regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1396 V Inditionis in cartis 158 notato, exponitur.

Preterea idem Gulielmus Raymundus de Montecatheno, eiusque filij, contra ipsum Regem Martinum rebellionem deinde patrarunt; ob quod per magne Regie Curie sententiam, in Cathaniensi castro XVI Novembris VI Inditionis 1397 latam, in rebelles declarati fuere. Quam ob rebellionem, cum illorum bona et terre prenotate devoluta Regie Curie extitissent, Rex Martinus ipse quondam Bartholomeo de Iuenio, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, terram ipsam Noharie concessit; sicuti suo in regio privilegio, dato Cathanie XVI Ianuarij VI Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 183 notato, late patet.

Ipsoque Bartholomeo de Iuenio defuncto, sibi eadem in Noharie terra successit Perronus de Iuenio eius filius, qui a tunc Proregibus, XVI Marcij VIII Inditionis 1414, de terra ipsa investituram obtinuit.

Deficiente exinde eodem Perrono de Iuenio, sibi in eadem Noharie terra successit Bartholomeus de Iuenio illius filius, de quo investitura non apparet. Quo Bartholomeo decedente, sibi eadem in terra successit Perru hius de Iuenio eius filius, qui a tunc Proregibus de illa XXIV Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 684 notatam, reportavit.

Eodemque Perruchio de Iuenio sue finem vite imponente, sibi in dicta Noharie terra successit Bartholomeus de Iuenio eius filius, qui de illa a Ferdinando de Acuña, tunc regni Prorege, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1494 in cartis 341 notatam, habuit.

Et in presentiarum, anno 1512 decurrente, ipsa Nhoarie terra per eundem Bartholomeum de Iuenio possidetur, et reddit anno quolibet . . . . . 07 . . .

Pretermictendum tamen non censui, inclite Rex, quin esponam, quod cum regnum variis bellorum tumultibus concitaretur, terra ipsa Noharie, per prenominatum Regem Martinum, regio fuit reducta demanio; quemadmodum per eius amplissimum privilegium, in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 94 notatum, videri potest, cuius tenor est huiusmodi scilicet: Martinus Dei gratia Rex Aragonum et Martinus eadem gratia Rex Sicilie etc. Presentis privilegij serie notum fieri volumus universis, tam presentibus quam futuris, quod in nostri presentia constituti Sindici et ambaxiatores universitatis nobilis Civitatis Messane exposuerunt humiliter; quod olim, imminente rebellionem aliquorum baronum et aliquarum terrarum et locorum regni nostri predicti, nostra Maiestas commisit officialibus et universitati civitatis eiusdem, quod velerent et possent terras et castra predicta et potissime terras et castra Plani Melacii ad nostram fidelitatem reducere; cum potestate libera et auctoritate plenaria omnia et singula faciendi, que pro reductione ipsarum et statu pacifico regni nostri predicti fuerint et esse potuerint oportuna, ut in regiis nostris litteris inde confectis continetur. Cumque pridie quondam Guillelmus Raymundus de Montecatheno, olim marchio Meliveti, debite fidelitatis immemor se contra nostras Maiestates rebellaverit, una cum suis filiis, specialiter cum Ioanne de Montecatheno eius filio; qui in terra Noharie infrascripta pretendebat ius habere, et castrum cum terra Noharie, que tunc per eum vel dictum Ioannem eius filium possidebantur, in suum fatum concesserit eadem Universitas civitatis predictae, virtute et auctoritate antefacte concessionis per nos sibi facte, curans eandem terram Noharie ad nostram fidelitatem reducere, intervenientibus probis viris eiusdem terre, hominibus et habitatoribus ipsius, pactum et sollemnem promissionem fecerunt, secundum quod eis visum extitit expedire in hoc negotio oportunum quod sint et esse debeant semper et imperpetuum de demanio regio et in libera eorum potestate, secundum quod sunt et esse consueverunt alie terre regie et sacri regij demanij; et nullo unquam futuro tempore in feudum vel baroniam alicui concederetur, per quem quidem pacta et promissiones se ad fidem et fidelitatem regiam se redduxerunt, alias non ita de facili reducendos cognoscentes baronorum gravamina et supplicaverunt humiliter ut eandem promissionem per ipsam universitatem Civitatis Messane factam predictis hominibus terre Noharie acceptare, ratificare et confirmare, ipsamque terram Noharie, castrum homines et abitatores ipsius in regio demanio recipere, et de ipso



demanio facere et constituere benigniter dignaremur. Nos vero quia de omnibus et singulis antedictis nobis plene et legitime constitit, tam per eiusdem nostre commissionis litteras quam testes probationes et infrascripta que et quas per magnam nostram Curiam propterea inspici iussimus et videri eandem promissionem, factam per Universitatem civitatis predictae hominibus dicte terre, ratificamus, acceptamus, et pleno favore regio confirmamus, ac de plena et matura deliberacione nostri Consilij pro bono universali puplico et comuni dicti regni, ac pro certa et rationabili causa, ex certa nostra scientia, ex libera suprema et plenaria potestate legibus absoluta, eandem terram Noharie cum castro, hominibus, habitatoribus, feudis, terris, territoriis, forestis, nemoribus, herbagiis, vineis, terragiis, censualibus, molendinis, aquis, aquarum saltibus et decursibus, et iuribus omnibus quibuscumque, quovis nomine nuncupentur, in nostro regio demanio ac in sinu et brachiis nostri dominij et favoris recipimus gratiose facientes et constituentes de cetero imperpetuum et omni futuro tempore eandem terram cum castro et suis pertinentiis antedictis de nostro demanio et dominio antedictis. Cui nostro demanio et numero terrarum et locorum nostrorum eandem terram cum castro et iuribus suis agregamus, unimus et copulamus; exhimentes et liberantes proinde eandem terram cum castro et iuribus prelibatis ab omni servicio obligatione et promissione quorumcumque baronum et feudatariorum, qui ad ipsam terram cum castro quocumque modo, titulo sive causa, jus habere pretendunt. Promittimus etiam Universitati et hominibus dicte terre ad gratiam pleniorum, sub nostra regia fide, quod eandem terram cum castro et suis pertinentiis nullo tempore in futurum a potestate et manibus nostris et nostri demanij abdicabimus et separabimus, vel alienabimus, nec in baroniam vel feudum alicui concedemus, vel in alium quoquomodo, vel quocumque jure, vel quovis alienationis titulo transferemus. Concedentes et promittentes propterea dictis Universitati et hominibus, quod si forte in futurum de ipsis terra et castro et iuribus de toto vel de aliquo membrorum suorum donacionem vel concessionem aliquam alicui faciemus, quod per surreptionem, vel importunitatem petentium, vel inadvertentiam sine dubio poterit evenire; sit eis licitum et honestum legitime se tueri ac adversus et contra quemlibet possessionem ipsius terre capere volentem iusticie iuribus se defendere et guarantire, seque in regio demanio manutenere et conservare. Mandantes nihilominus, tenore presentis privilegij, nobili regni Sicilie magistro Iusticiario consanguineo, ac Iudicibus magne Regie Curie, et Stra-

ticoto nobilis civitatis Messane predictae, Consiliariis et universis et singulis officialibus Regni nostri predicti, presentibus et futuris, familiaribus et fidelibus nostris, quatenus eandem terram, castrum et homines, tanquam et sicut alia loca et alios homines nostri demanij tractent, habeant, teneant, et cognoscant quo ad iura nostri demanij. Promittentes per nos, heredes et successores nostros in dicto nostro regno, dictam terram et castrum et eorum iura semper et imperpetuum in nostro sacro demanio manutenere et observare, non obstantibus quibuscumque donationibus, alienationibus, infeudacionibus et concessionibus cuicumque de ipsis terra et castro cum suis pertinenciis, vel de aliquo ipsorum forte factis et specialiter donatione de ipsis terra et castro cum suis pertinenciis facta nobili Bartholomeo de Iuenio, Regni Sicilie predicti Cancellario, Consiliario et fidei nostro, quoniam ipsam donacionem eidem Bartholomeo fecimus nescientes quod per Universitatem civitatis Messane fuerat nostro demanio applicata. Quam donacionem seu concessionem, si qua est, et omnes alias et quascumque sub quavis forma verborum forte factas, de plena et matura deliberatione nostri Consilij, ac nostra certa sciencia et regia potestate legibus non subjecta pro bono comuni Regni predicti, rescindimus, enervamus, et penitus annullamus, ac si de eis in presenti privilegio fieret mentio, specialis eorum tenoribus de verbo ad verbum derogamus, non obstantibus etiam remissionibus et restitutionibus factis seu faciendis in posterum Matheo et Ioanni de Montheateni, nunc nostre Maiestatis rebellibus, ad dictam terram cum castro Noharie jus habere forte pretendentes ex successione quondam comitis Mathei de Palicio; quas remissiones et restitutiones ad hanc nostram gratiam et redduccionem ad demanium ex nunc pro ut ex tunc et ex tunc pro ut ex nunc intendimus, volumus et determinamus non extendi, etiam si in illis diceretur et apponeretur expresse non obstante privilegio et reductione ad demanium factis hominibus terre Noharie, vel sub quacumque forma verborum nullis reductionibus et restitutionibus de hac nostra gratia et reductione ad demanium derogamus, et mentio fieret tacite vel expresse, nec non legibus, constitutionibus, capitulis, consuetudinibus, statutis, privilegiis quibuscumque huic nostre concessionem gratie et redduccionem ad demanium forte contrariis et repugnantibus quomodo, de certa nostra sciencia et plenitudine potestatis obstantibus derogamus expresse, quas et que in his omnibus et singulis supradictis locum volumus non habere; supplentes nihilominus omne vicium et defectum et quamlibet diminutionem qui et

que in his predictis omnibus potuerunt vel possent aliquatenus evenire. In cuius rei testimonium et robur perpetuo valiturum presens privilegium exinde fieri, nostroque sigillo magno pendenti iussimus communiri. Petrus Cancellarius Primogenitus Aragonum. Rex Martinus.

Datum Cathanie per nobilem Bartholomeum de Iuenio militem, Regni Sicilie Cancellarium, Consiliarum etc. anno Dominice Incarnationis 1397, die VI Marci VI Indictionis, Regniue nostri dicti Regis Aragonum anno secundo, dicti Regis Sicilie VI, et dicte Regine XXI.

Dominus Rex mandavit mihi

Decursis tamen exinde annis fere tribus, quo tempore Siracusanum Colloquium celebratum extitit, Rex ipse Martinus eodem cum Consilio taliter providit scilicet: Cum quarum omnium predictarum XII personarum concordia Consilio prefata regia Maiestas posuit coram conspectu sue Serenitatis terras infrascriptas tanquam dubias scilicet, an esse deberent de demanio vel de baronia, videlicet, Monforti, la Nohara, Tripi etc. tandem ita fuit per tabulam dicti Siracusani Consilij provisum ut sequitur: Item quod dicta terra cum castro Noharie sit et esse debeat de baronia, sit et remaneat in baronia nobili Bartholomeo de Iuenio, regni Sicilie Cancellario, vigore regie donacionis de ipsa terra et castro ipsi facte; ita quod ipse nobilis Bartholomeus renunciaret et dimittat omnes et singulas cabellas, collectas, seu regias subventiones, tractas et alia omnia et singula iura que habet inde et super secreciis terris et locis Regij Demanij quocumque nomine nuncupentur, et sint sic quod omnia iura restituantur et redducantur Regie Curie pro ut antiquitus erant. Ulterius vero idem Bartholomeus, inde ad aliquos dies, virtute dicte asserte declaracionis sive provisionis, nulla facta mentione de iure tertij et sui privilegij quod transivit in vim contractus, de confirmatione huiusmodi Noharie terrea dicto domino Rege aliud privilegium in sui favorem reportavit, dicta Universitate Noharie incitata et inaudita, datum Nothi per eundem Bartholomeum, tanquam Regium Cancellarium, anno 1399, IV Novembris VII Indictionis, notato in libro dicti anni f.º 175, quod realiter in eius propria causa tam pro regio honore quam pro dicte Universitatis prejudicio fieri de iure non poterat. Tamen huiusmodi declaracio, in tercijs ac Regij demanij prejudicium, pacto aliquo fieri multis de causis, quas brevitatis causa obmicto. non poterat; et presertim per hec verba in privilegio Universitati Noharie, ante concessionem prelibato Bartholomeo de Iuenio factam, concesso apposita, scilicet: Promittentes per nos et heredes et successores nostros in dicto nostro Regno dictam terram

et castrum et eorum iura semper et imperpetuum in nostro sacro demanio manuteneri et observari etc. quia singulas de dicta terra donaciones aliis factas, et precise illam prefato Bartholomeo de Iuenio concessam, revocavit cum illam Rex ipse inscius fecisset, ut dixit per hec verba scilicet: Quoniam ipsam donacionem eidem Bartholomeo fecimus nescientes quod per Universitatem civitatis Mesane fuerat nostro demanio applicata etc. Licet ipse Bartholomeus de Iuenio ante predicti Consilij celebracionem de dicta Noharie terra possessionem numquam habuerit, et ideo nullum dominium neque directum neque utile, immo de huiusmodi privilegio Noharie Universitati demaniali concesso claram habuit noticiam et conscientiam; nam tamquam Cancellarius data in illo, ut moris erat, apposuit. Et tanto magis quod declaratio antedicta, Siracusano in Colloquio facta, nullam de clausula derogatoria eodem in privilegio Noharie posita, quando illam ad demanium reduxit, mentionem facit. Ipsoque Siracusano in Consilio ipsa reductio ad Demanium jurata comprehensa non extitit. Cum generalis commissio que cum iuvamento conceduntur non includat, minusque eidem Universitati ius quesitum servitiis precedentibus tolli potuit; quandoquidem Universitas ipsa maximo cum eius discrimine, ob tyrannicam potentiam illam occupatam detinentem, ad fidem regiam convolvavit, et ad altius Regia Curia sive ipsa Universitas ad iustam extimacionem serviciij, per dictum Bartholomeum de Iuenio Cancellarium prestiti, teneretur.

Sed quia de ipsa terra Noharie inferius etiam in capitula tonnarie sancti Nicholai de Bondormi et granorum amanfaragij tonnariarum Panhormi in cartis. . . . non nihil dixi, propterea dictum capitulum inspiciatur.

---

#### **Brieni et Fraxino Feuda**

---

Feudum Brieni nuncupatum, in valle Demini existens, per quondam Nicholaum Calcerandi, terre Nasi habitatorem, antiquitus possidebatur, quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem Nicholaus ipse contra Regem Martinum rebellionem

patrasset, ob quam feudum predictum Regie Curie devolutum fuisset; illud exinde Ioanni Bivilacqua de Randatio, suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub militari servicio, Serenissimi Regis Iacobi Constitutionibus, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, Rex predictus concessit; sicuti in eius regio privilegio dato in Randatij terra, XVII Augusti VI Inditionis 1398, et in Regie Cancellarie libro anni 1397, VI Inditionis, in cartis 48 notato, continetur.

Quo Ioanne Bivilacqua defuncto, sibi in dicto Brieni feudo successit Nicholaus de Sancto Angelo, filius Margarite, uxoris Amici de Sancto Angelo et predicti Ioannis de Bivilacqua filie; ob cuius Ioannis mortem, ac mortem Petri Bivilacqua et aliarum eiusdem Ioannis filiarum, successit. Qui Amicus de Sancto Angelo, veluti prefati Nicholai de Sancto Angelo pater et legitimus administrator, a tunc Proregibus cum inserto tenore privilegij dicti Regis Martini, de ipso Brieni feudo iuxta formam eiusdem privilegij, sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, XV Februarij, X Inditionis 1416 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 132 notatam, reportavit.

Deinde Serenissimus Rex Alfonsus, sui regiminis tempore, quondam Gondisalvo de Monroy quecumque feuda, baronias et bona burgensatica, que per excadencias, processum vel decessum aut alio quovis modo in regno vacarent, dummodo summam unciarum quatringerarum annui redditus caperent, concessit: quemadmodum eius in regio privilegio, dato in monasterio Populeti XVI Aprilis, late patet.

Mortuo postea dicto Nicholao de Sancto Angelo sine heredibus suo de corpore legitime descendentibus, feudum Brieni antedictum Regie Curie devolutum extitit. Unde in vim regij privilegij prementionati Gondisalvus Monroy prenominatus pro se et suis heredibus et successoribus imperpetuum, sub consueto militari servicio, a tunc Regni Proregibus feudum prelibatum consequutus fuit; pro ut in viceregia provisione data Panhormi XI Ianuarii XIV Inditionis 1420, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 149 notata, diffusius exponitur.

Inde vero ad annos fere quatuor Gondisalvus Monroy antedictus de dicto Brieni feudo ac de feudo lo Fraxino, de quo inferius in cartis 631 verba faciam, Gomecio de Guadro de Randacio suisque imperpetuum heredibus et successoribus donacionem inter vivos fecit irrevocabilem, ut in quodam puplico instrumento manu notarij Nicholai de Augusta XXVIII Augusti II Inditionis 1424 celebrato, latius expressatur.

Quo quidem in instrumento Principis licentia non reservatur, minusque licentia aliqua in Regia Cancellaria reperitur huiusmodi, nihilominus donacio non tenet, quia in privilegio dicti Regis Alfonsi continetur clausula, pro se et suis heredibus et successoribus, tamen non declaratur quod dictum feudum aliis de alia genologia sive prosapia donare potuisset, ad quod est omnino attendendum. Qui quidem Gomecius pro se et suis heredibus a Serenissimo Infante Petro, tunc regni Prorege, de ipsa donacione confirmationem et investituram obtinuit; sicuti in eius viceregia provisione data Cathanie primo Novembris III Indictionis 1424, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 50 notata, largiflue exaratur. Nihilominus est etiam attendendum an ipsa confirmacio, absque expresso Regis mandato, fieri potuerit.

Defuncto postmodum prelibato Gomecio, sibi in dictis feudis Ioannes de Guadro eius filius successit. qui de illis investituram cepisse non apparet.

Ipsoque exinde decedente, successit sibi Ioannella eius filia, uxor Petri Rizari Cathaniensis. Que virtute testamenti per quondam Gomecium de Guadro antedictum illius avum, facti manu notarij Nicholai de Balsamo XXV Augusti III Inditionis 1455, de ipsis duobus feudis Brieni et Fraxani pro se suisque inperpetuum heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegij a tunc Prorege V Novembris XIV Inditionis 1495 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 524 notatam, habuit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsa duo feuda per eandem Ioannellam, que ob mortem dicti Petri Rizari ad secunda vota cum . . . . de Sancto Angelo convolavit, possidentur. Dictum vero Brieni feudum annis singulis una cum feudo di lu Fraxino coniunctim et in confuso (1) . . . . 07 XXXXV

Et facta de dicto feudo Brieni et Fraxini per eandem Ioannellam donatione Beate Sancte Marie Matris Ecclesie terre Rancacij certo modo pro ut inferius in capitulo dicti feudi Fraxini extensius declaratur; dicta maior Ecclesia habuit investituram, notatam in libro anni 1513 fol. 84. Et ultra exinde dicta Ecclesia per dominum Iacobum Baxalico eius procuratorem cepit a don Ioanne de Luna Preside, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, investituram die VIII Ianuarij V Inditionis 1517, notatam in libro anni V Inditionis 1516 fol. 343; qui procurator iuravit reddere tantumdem.

(1) Si aggiunga *reddunt*.

### Fraxinum Feudum

---

Feudum lu Fraxino vulgo appellatum, in valle Demine et territorio terre Randatij existens, per quondam Antonium et Ioanem de Castella fratres, de quibus nullus in regia Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Quibus exinde ad rebellionem contra Serenissimos Reges utrumque Martinum et Mariam promotis, feudum ipsum Regie Curie devolutum fuit, Regesque predicti quondam Corrado Lancea, Perruchij Lancee filio, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, Regni Constitucionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, illud concessere; quemadmodum in eorum regio privilegio dato in obsidione castri Iacij XXVIII Iunii III Inditionis 1395, et in Regie Cancellarie libro anni 1398 in cartis 9 notato, continetur.

Cumque exinde per Serenissimum Regem Alfonsum quondam Gondisalvo Monroy quelibet Regni feuda baronie aliaque bona burgenatica in excadenciarum vim processum vel decessum aut alias vacantia, que summam unciarum quatringerarum annuales redditus caperent concessa extitissent; sicuti eius in privilegio regio dato in monasterio Populeti, XVI Aprilis 1416, continetur. Gondisalvus antedictus, pro se suisque heredibus inperpetuum et successoribus, predictum feudum lu Fraxino ob mortem quondam Belingarie de Antiochia in Regie Curie manibus tunc vacans, sub consueto militari servicio, iuxta illius redditus et proventus pro rata dictarum unciarum quatringerarum annualium reportavit, pro ut in quodam viceregio privilegio dato Panhormi XI Ianuarij XIV Inditionis 1420, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 147 notato, late patet

Nihilominus aclendendum est, quod feudum ipsum Fraxini per ipsum Regem Martinum quondam Corrado Lancee concessum fuit. Et sic nulla dari potest ratio, quo iure a dicto Corrado Lancea sive eius heredibus defecerit et in predictae Belingarie de Antiochia posse devenerit, cum non videatur illam a predictis de Lancea descendisse; nam predicta Belingaria defuncta, feudum ipsum ad heredes prefati Corradi de Lancea devenire debebat; cum

presertim de his de Lancea ad presens quamplures reperiantur. Sed quia de ipsa Belingaria titulus non invenitur aliquis, oportet possessorem ad edendum titulum prefate Belingarie, a qua prefatus Gondisalvus Monroy successit, compelli.

Postmodum autem Gondisalvus antedictus de Monroy de ipso feudo Fraxini ac feudo Brieni, de quo superius in cartis 629 verba feci, quondam Gomerio de Guadro de terra Randacij eiusque heredibus et inperpetuum successoribus donationem fecit inter vivos irrevocabilem; pro ut in quodam publico instrumento manu notarii Nicholay de Augusta, XXVIII Augusti II Inditionis 1424 celebrato, diffusius exprimitur. Ipsamque donationem cum Principis licentia facta fuisse non constat, ipsoque in istrumento huiusmodi non reservatur Principis licentia. Nam in privilegio dicti Regis Alfonsi clausula continetur pro ipso Gondisalvo suisque inperpetuum heredibus et successoribus; non tamen quod huiusmodi feuda aliis donare et in alienam personam transferre potuisset, hic vero Gomecius donatarius pro se suisque heredibus ab infante Petro, tunc regni Prorege, de huiusmodi donatione confirmationem et investituram consequutus fuit; sicuti ipsa in investitura expedita Cathanie primo Novembris III Inditionis 1424, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 50 notata, diffusius videri potest. Videndum tamen est an idem Prorex, absque espresso regio consensu et mandato, predictam poterat confirmationem et investituram concedere.

Ipsoque Gometio de Guadro defuncto, sibi in eisdem Fraxini et Brieni feudis successit Ioannes de Guadro eius filius, qui non apparet de illis investituram accepisse.

Decedente deinde Ioanne de Guadro antedicto, sibi Ioannella eius filia uxor Petri Rizari Cathaniensis successit. Que virtute cuiusdam testamenti prenominati Gomecij de Guadro illius avi, manu notarij Nicholai de Balsamo XXV Augusti III Inditionis 1455 facti, a tunc Prorege pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum iuxta formam sui privilegij V Novembris XIV Inditionis 1495, de ipsis Fraxini et Brieni feudis investituram, in Regie Cancellarie dict. anni libro in cartis 524 notatam, habuit.

In presentiarum autem, anno . . . . . currente, ipsa feuda per eandem Ioannellam que, ob dicti Petri Rizari eius viri mortem ad secunda vota cum . . . . . de Sancto Angelo convolavit, possidentur; dictum vero Fraxini feudum anno quolibet reddit . 07 XXXXV

Et nihilominus, actento quod dicti iugales filios nec filias procreassent, de dictis feudis, que reddebant uncias 46 vel circa, do-



nationem irrevocabilem fecerunt gloriose Virginis (*sic*) Marie, scilicet Matris Ecclesie dicte terre Randacij imperpetuum; itaquod durante eorum vita usufructus ipsorum feudorum haberentur, et post illorum obitum de fructibus ipsorum feudorum exponerent uncias decem in maritagio filie cuiusdam gentilis viri aut persone honorate quolibet anno, venientis in paupertate, aut volentis intrare seu in religione transire, pro eius subsidio in vigilia festivitatis dicte Ecclesie. sub certis vinculis, clausulis, et conditionibus contentis in contractu huiusmodi donacionis anno 1506; quem contractum Vestra Catholica Maiestas acceptavit et confirmavit supremo Regio dominio in dictis feudis et aliis, iuribus Curie et alterius semper salvis, ut patet in privilegio dato Neapolis XXVIII Aprilis X Inditionis 1507, de quo viceregia emanavit executoria notata in libro Cancellarie anni 1506 fol. 1041. Et sic dicta maior Ecclesia de dictis duobus feudis cepit investituram a don Ugone de Moncada Vicerege, notatam in libro anni 1513, II Inditionis fol. 84.

Exinde dicta Major Ecclesia cepit investituram, ob mortem domini Regis Ferdinandi, pro dictis duobus feudis a don Ioanne de Luna Preside, die VIII januarij V Indicionis 1517, notata in libro anni V Ind. 1516, fol. 343; et iuravit procurator reddere tantumdem.

Et similiter Andreas de Sancto Angelo maritus dicte Ioannelle, cepit ob mortem dicti Regis aliam investituram, die XVI januarij V Inditionis 1517, notatam in libro 1516 fol. 393, et iuravit reddere dicta feuda Brieni et Fraxini . . . . 07 XXXXV

---

**Bonvassallu, Pictari. Petra Intossicata Feuda.  
Revocatu Foresta sive Feudum**

---

Bonvassallu, Pictari, et Petra Intossicata feuda, ac Revocatu foresta sive feudum vulgo nuncupata, in valle Demini existentia, per quondam Federicum Spatafora tunc Rocelle baronem antiquitus possidebantur; quo tamen iure, cum nullus in Regia Cancellaria titulus appareat, aliquam dare non valeo rationem. Verum invenitur Serenissimum Regem Federicum feudum predictum Pictari, sub servicio unius accipitris Regie Curie imperpetuum pre-

stando quondam Rogerio de Spatafora dicte Rocelle tunc baroni, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, concessisse, pro ut in ipsius regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1371, in cartis 117 notato, continetur. Quoquidem in privilegio feudi ipsius confinia denotata sunt, videlicet, quod in territorio Castellionis iuxta dictum feudum Rocelle, secus feudum Monasterij di la Plaza, feudum Machine, feudum Moyi, et alios confines positum est; unde comprehenditur feudum ipsum Pictari esse feudum nobile, et ab aliis feudis ac baroniis separatam. Tandem, Serenissimis Regibus Martino et Maria regnantibus, prefatus Federicus Spatafora de ipsa Rocelle terra, ac eisdem quatuor feudis Bonvassallu, Pictari, Petra Intossicata, et Revocatu, pro castro et terra Liveri ac eius tonnaria cum quondam Bartholomeo de Iuenio permutacionem fecit; quod quidem castrum et terram Liverij idem Bartholomeus de Iuenio a quondam Raymundo Azuar emerat, illaque Raymundus ipse, ob rebellionem quondam Bartholomei de Aragonia, a dictis quondam Regibus reportaverat; quemadmodum in Capibrevio Regni Secretiarum in capitulo dicti castri et tonnarie Liverij, in cartis 306, hec et alia diffusius exarantur. De huiusmodi vero permutacione patet per publicum instrumentum manu notarij Iacobi de Andrea, IX Iulij, VII Inditionis 1399 celebratum; quod quidem instrumentum Reges predicti acceptarunt et confirmarunt, ac Fisci regii iura et actiones cesserunt, sicuti eorum in regio privilegio, dato Cathanie III Iunij, VIII Inditionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399, VIII Inditionis in cartis 140 notato, continetur.

Inde vero, ad tempus permutacionem predictam, utraque pars revocavit, et sic dictum Liverij castrum illis de Iuenio restitutum fuit, in quorum posse de presenti, anno 1512 currente, reperitur. Rocella vero cum eisdem quatuor feudis Francisco Statella et inde Herculi Statella illius filio cessit. Tamen in Cancellaria nullus apparet actus sive investitura, quibus ratio dari possit sub qua forma, et quo iure hij de Statella in ipsis terra et feudis successerint; hiis vero non longe decursis diebus, per quondam Ioannellum Spatafora contra prefatum Herculem Statella super petitione dicte terre Rocelle fuit intemptata lis. Tandem dictus Ioannellus Spatafora sentenciam in sui favorem reportavit, qua mediante dicte terre Rocelle ac feudorum predictorum possessionem obtinuit, ac a don Ugone de Montecatheno, moderno Prorege, de ipsa terra pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, III Iulij, XIII Inditionis 1510 investituram, in Regie

Cancellarie libro anni 1509 in cartis 679 notatam, consequutus fuit. Qua quidem in investiture nota nulla de dictis quatuor feudis, nisi tantum de terra Rocelle cum eius castro feudis et territoriis, mentio facta est. Et sic de feudis et territoriis, que sunt de iuribus et pertinentiis dicte Rocelle et non de dictis quatuor feudis, comprehendendum est que quatuor sunt feuda de per se, a terra et territorio Rocelle separata; ob quod cum de illius membris non existant de necessitate illorum possessores et eorum successores a tempore primi tituli prenominati Regis Federici, ac Regis Martini, de ipsis feudis se investire ac Principis superioritatem recognoscere, iuraque Regie Curie debita persolvere debuerant. Unde, cum nullus de eisdem se investiverit, Regie Curie iura occupata extitisse dicendum est, ultra quod regia obedientia et superioritas denegata fuit. Et sic dictorum feudorum possessor in penas, in Constitutionibus et regni Capitulis contentas, incurrisse non dubium est.

Ipsoque Ioannello Spatafora defuncto, sibi in dicta Rocella et feudis successit Ioannes Michael Spatafora eius filius, qui de ipsis terra Rocelle et feudis investituram adhuc haberi non curavit, et a die obitus dicti patris sui, non tantum menses sex, verum etiam annus et ultra decurrisset patet.

In presentiarum autem, dicto anno 1512 currente, ipsa terra Rocelle cum feudis predictis Bonvassallu, Pictari. Petra Intossicata et Revocatu per dictum Ioannem Michaellem Spatafora possidentur; que anno quolibet reddunt. . . . . 07

Nihilominus, quia de Revocati foresta sive feudo in capitulo foreste ipsius in cartis 571 superius mentionem feci, exponens illam de regni regaliis, ac Regio Demanio esse, nec non quia eodem in capitulo de genelogia et successione possessorum non pertractatur, nisi tantum qualiter de Sicilie Regum regaliis sit, quodque alienari non poterat, ad dictum capitulum omnino me refero.

### Baiulatio Messane

---

Baiulatio nobilis civitatis Messane cabella, membrum et de iuribus, ut percepi, Regie Secrecie eiusdem civitatis, per quondam Andream de Aliphia olim possidebatur. Cui, pro se suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, ana scilicet, unciarum XX pro quolibet equo armato, sub baiulacionis officij nomine in feudum concessa; et exinde sub eadem forma et servicio, viceregio mediante privilegio dato Panhormi ultimo Ianuarij V Inditionis 1452, confirmata extitisse asseritur.

Tamen huiusmodi privilegium, aliusve titulus super ipsa baiulatione, sive in ipsius Andree de Aliphia seu in alterius cuiuslibet personam concessus, regia in Cancellaria non reperitur. Nihilominus eodem in viceregio privilegio quidam apparet error, inditio enim ipso in privilegio calendata, quinta inditio denominatur, in anno scilicet 1452; per registra autem ipsius Regie Cancellarie constat, eodem in anno 1452 primam decurrisse inditionem et non quintam. Unde, ad veritatem denudandam et apparentem evitandum errorem, esset omnino a possidente edendus titulus, et signanter ut videri posset an ipsa baiulatio officium sit sive cabella; nam in cunctis regni Secreciis baiulatio cabella nuncupatur et non officium. Et sic Regni Secreciarum Capibrevio per me diligenter recognito, non inveni in messanensi Secretia cabellam baiulationis aliquo pacto denominari, minusque de ea illius Secretum introytum sive exitum aliquem facere, adeo ut facillime percipitur ius ipsius baiulacionis penes istos de Aliphia extare. Et ideo huiusmodi baiulatio sub redditus et cabelle nomine et non sub officij denominatione obtineri oportebat.

Demum, quicquid sit, ipso Andrea de Aliphia defuncto, sibi eadem in baiulatione successit Philippus de Aliphia, eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui, pro se suisque imperpetuum heredibus, de ipsa baiulatione, sub officij baiulacionis nomine, a quondam Don Lupo Ximenen Durrea Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, XVI Septembris VI Inditionis 1472 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1471 in cartis 471 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, baiulacio ipsa per eundem Philippum de Aliphia possidetur; que annis singulis reddit. . . . . 07 X

Nihilominus quicquid tam in vim Regie Pragmatice *Post bella*, quam regni Statutorum et capituli Parlamenti Siracusani Regia Curia baiuliam predictam recuperare potest, et dicte Regie Secretie restituere, interim vero in feudorum rollo notari debet, ut noticia militaris servicij haberi possit.

Ipsa Philippus de Aliphia de dicta baiulacione, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Hectore de Pignatello comite Montileonis Locumtenente generali cepit investituram die XX Iunii, V Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 in cartis 746; et iuravit reddere tantumdem.

---

#### Fisauli et Bonanocti Feuda

---

De feudis Fisauli et Bonanocti, in valle Demine et territorio sancti mauri existentibus, ea que in Regia Cancellaria inveniuntur exponam; feudum enim Fisauli per quondam Franciscum de Vigintimilliis, tunc Geracii comitem, antiquitus possidebatur. Tamen an ipsum feudum de territorio et iuribus dicti comitatus fuerit, vel ne, cum in Cancellaria nullus appareat titulus, rationem aliquam assignare non valeo. Tandem idem Comes de ipso Fisauli feudo quondam Francisco de Vigintimilliis, eius nepoti, donacionem fecit. Qui Franciscus de Vigintimilliis, donatarius, usque ad illius obitum feudum ipsum tenuit et possedit, et in eius mortis articulo illud Anthonio de Vigintimilliis Golisani comiti, ejus consobriano, legavit. Deinde autem, cum eodem in Giracii comitatu quondam comes Ioannes de Vigintimilliis successisset, ignarus qualiter prefatus Franciscus de Vigintimilliis donatarius feudum predictum Fisauli prelibato comiti Anthonio modo predicto donaverat, feudum ipsum Fisauli Luciano de Vigintimilliis et Federico eius filio dedit et concessit. Qui pater et filius feudum prelibatum ipsius donationis virtute tenuerunt et possiderunt. Quod, cum ad ipsius comitis Anthonij noticiam devenisset, contra eosdem Lucianum et

Federicum de Vigintimiliis patrem et filium super recuperatione ipsius feudi litem intemptavit. Qui demum pater et filius efficacium iurium dicti comitis Anthonij bene conscij, cuncta eorum iura, que super ipso feudo tenebant, eidem comiti Anthonio, publico mediante instrumento manu notarij Laurencii de Notho Cathaniensis XXVIII Marcij prime Inditionis 1408 celebrato; consentiente tamen in hoc prenominate comite Ioanne, cesserunt et renunciarunt. Quodquidem instrumentum eodem die et anno idem comes Ioannes ratificavit et confirmavit. Et exinde Serenissimus Rex Martinus prelibatum renunciationis instrumentum, iuxta sui seriem et tenorem, ipsi comiti Anthonio de Vigintimiliis et suis heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio et cum reservacione lignaminum, minerarum, salinarum, solaciorum, forestarum et defensarum antiquarum, veluti ex antiquo Regio Demanio pertinentium: et quod animalia et equitature, massariarum, araciarum et marescellarum regiarum libere pascua summere valerent in dicto feudo, ac cum clausula quatenus renunciatio ipsa iuste, rite et rationabiliter processerit; nec non cum alia clausula, scilicet quod feudum Fisauli regio pleno vigore legibus absoluto distinguimus, dividimus et a comitatu Gerachij presenti nostra confirmacione noveque donationis potestate separamus, non obstantibus privilegiis, iuribus, Constitutionibus et consuetudinibus huic separacioni quomodolibet forsitan adversantibus, quibus et earum cuilibet ex certa nostra scientia et principantis auctoritate legibus non astricta, derogamus, annullamus et penitus irritamus etc. Constitutionibus et Capitulis domini Regis Iacobi et aliorum retroregum, servitio militari, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, acceptavit et confirmavit, ac de novo concessit; quemadmodum in ipsius Regis privilegio dato Cathanie VII Aprilis prime Inditionis 1408, et in Regie Cancellarie libro anni 1407 in cartis 75 notato, continetur.

Unde patet feudum Fisauli antedictum de membris et iuribus dicti comitatus Geracij fuisse, et per ipsum Regem Martinum ab illo penitus segregatum et abstractum extitisse.

Perquisitis per me post modum cunctis Regie Cancellarie codicibus, ab ipso anno 1408 usque ad annum 1486, per quod tempus anni fere 78 connumerantur, nullum privilegium, nullamve investituram de ipso Fisauli feudo in alicuius personam indultam inveni; in dicto autem anno 1486, VII Novembris V Inditionis, quedam investiture notam, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 180 notata, per Thomam de Bono uti filium et heredem

quondam Anthonij de Bono, et in ipso feudo ob mortem dicti Anthonij eius patris succedentem, capta reperitur; in qua nulla fit mentio qualiter feudum predictum a posse prefati comitis Anthonij et suorum successorum abstractum fuerit, et in ipsius Anthonij de Bono, patris prefati Thome, posse devenerit.

Et ideo pro Curie cautela possessorem ad titulum antiquum dicti feudi Fisauli edendum, ac demonstrandum quo iure in posse prefati Anthonij de Bono pervenerit, compelli necesse est.

---

### Feudum Bonanocti

---

Feudum autem Bonanocti prenominatum per quondam Anthonium de Vigintimiliis. tunc regni Admiratum et terre Sancti Mauri dominum, possidebatur. Illudque idem comes Anthonius prefato Anthonio de Bono de terra Nichoxie, certo precio, mediante, puplico contractu manu notarij Iacobi de Comite VII Maij, VI Inditionis 1474 celebrato, vendidit.

Qui Anthonius de Bono de ipso Bonanocti feudo XXIII Iunii, VII Inditionis 1474, a don Gaspare de Spes, tunc regni Prorege, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1473 in cartis 483 notatam, reportavit.

Ipsoque Anthonio de Bono decedente, sibi in dicto Bonanocti feudo successit Thomas de Bono eius filius, qui a prefato don Gaspare de Spes, Regni Vicerege, tam de ipso feudo de Bonanocti, quam de feudo Fisauli antedicto, VII Novembris V Inditionis 1486, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 180 registratam, habuit.

Et hodie, anno 1512 decurrente, mihi persuadeo, utrumque feudum, Fisauli scilicet et Bonanocti, per ipsum Thomam de Bono possideri. Que annis singulis reddunt. . . . . 07 . . . .

Et sic pro Curie cautela necesse est, verum antiquum titulum ipsius feudi de Bonanocti etiam videri, ut percipi possit, an fuerit de membris dicte terre Sancti Mauri, sive si sit feudum de per se antiquum et quaternatum, ac ab ipsa terra separatum, oportet.

tetque etiam ut contractus dicte venditionis per dictum Anthonium de Vigintimiliis ipsi Anthonio de Bono de dicto feudo facte, in lucem veniat, ut videatur an ipsa venditio cum Principis licentia, ac aliis sollempnitatibus in feudalibus fieri solitis, facta extiterit.

---

### Moyu Feudum

---

Feudum lo Moyu vulgu nuncupatum, in valle Demine et territorio Castellionis, ac secus territoria Randacij et Roccelle positum, de antiquo fuerat Regio Demanio. Et tandem Serenissima Regina Leonora, Serenissimi Regis Ioannis marchionis Randacij genitrix, Thome de Turtoreto seniori, phisico et tunc temporis magistro rationali, ipsius Regine eius vita perdurante, illud concessit. Deinde vero in ipsius Thome serviciorum augmentum, eidem Thome suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus feudum lo Moyu antedictum Regina prelibata, cum clausula fidelitate regia atque nostra, heredumque et successorum nostrorum, nec non ordinationibus Curie at alterius cuiuslibet iuribus semper salvis, de novo concessit; quemadmodum in eius reginali privilegio, dato Cathanie IX Februarij VI Inditionis 1337, in quo mete et termini ipsius feudi denotantur, latius continetur. Quod quidem privilegium idem dux Ioannes, ut heres universalis et ipsius Regine legitimus successor, ac in regno generalis Vicarius, eidem Thome suisque imperpetuum heredibus, iuxta dicti reginalis privilegij tenorem, suo cum ducali privilegio, dato Cathanie IV Ianuarij XI Inditionis 1342, acceptavit et confirmavit.

Serenissimo postmodum Rege Federico regnante, feudum predictum lu Moyu sub vocabulo tenimenti terrarum, una cum omnibus alijs bonis, dicti quondam Thome de Turtoreto, Ioanni de Turtoreto ipsius quondam Thome filio, tunc clerico, et maioris Messanensis ecclesie decano, sive clericus fuisset, sive laycus, seu in habitu clericali constitutus, eiusque imperpetuum heredibus, non obstante quod tenimentum ipsum esset feudum, seu pars feudi libere et absque alicuius prestacione servicij, pro ut prelibatus quon-



dam Thomas eius pater illud tenuerat et possederat, per ipsum regem Federicum concessum extitit; sicuti in ipsius Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 101 notato, continetur. Quo quidem in privilegio nulla fit mentio, quomodo ipsum feudum lu Moyo ab ipso sacro Regio Demanio abstractum fuerit, quod ab ipso Demanio de iure segregari non poterat, minisque eodem in privilegio regis Federici de prelibato reginali privilegio Regine Leonore, in quo militaris servicij concessio facta non est, verba fiunt; immo in illo regia fidelitas, ordinationesque Regie Curie reservantur, per quas reservaciones prenominatus quondam Thomas, sui que heredes, ac regij militaris servitij prestacione sive censu perpetuo non eximuntur. Nihilominus per illa verba in ipsius Regis Federici privilegio apposita, scilicet, libere, absque aticuius prestacione servicij, ut hactenus dictus quondam Thomas, eius pater, dictum feudum Modij tenuit et possedit, comprehenditur prelibatum quondam Thomam de Turtureto seniore, ipsius Ioannis de Turtureto patrem, eodem militari servicio nunquam usum fuisse. Quod si per dictum quondam Thomam ita factum fuisset, videretur dictum militare servicium, sive censum, toto eius tempore vite sibi usurpasse et silentio pretermisisse.

Succedentibus in regno postmodum Serenissimis Regibus utroque Martino et Maria, quoddam apparet emanasse privilegium, in libro Regie Cancellarie anni 1393 III Inditionis in cartis 70 notatum, in quo data temporis deest; per quod constat, ipsos Reges utrumque Martinum et Mariam feudum lo Moyo prenotatum Regie Curie, ob rebellionem quondam Thome de Turtureto, heredis quondam Ioannis de Turtureto eius patris, devolutum; Galvagno et Gulielmo de Turtureto, fratribus dicti quondam Thome de Turtureto rebellis, eorumque heredibus eorum de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, iure Francorum, concessisse. Sub his verbis inter alia scilicet: quod quidem feudum fuit Thome Turtureti patris dictorum Galvagni et Gulielmi proditoris et rebellis nostri, et alia bona quecumque dicto Thome ut heredi Ioannis Turtureti quondam patris sui etc.; prout in eorum regio privilegio prenotato latius exprimitur; per quod privilegium clare patet dictum Thomam rebellem illius Ioannis de Turtureto clerici decani Messanensis, cui feudum ipsum per prefatum Regem Federicum concessum, ut predicatur, extiterat, filium fuisse, ipsumque Ioannem de Turtureto clericum prelibati Thome de Turtureto senioris primi acquisite filium extitisse. Quod si ita fuisset ob concessionem de dicto feudo lo Moyo per

prelibatum Regem Federicum ipsi Ioanni de Turtureto clerico, tamquam persone ecclesiastice et per consequens ad feudorum successionem incapaci, factam, Regia Curia ipsa in dicto feudo lo Moyo ius haberet.

Nihilominus, quicquid sit, Serenissimo Rege Alfonso regnante, quondam Blascus de Lancea miles, filius Rose de Lancea mulieris, filie dicti quondam Thome de Turtureto, coram quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, comparuit; illique prelibatum privilegium dicte Regine Leonore, cum confirmatione dicti Ducis Ioannis presentavit, exponens illius virtute post mortem dicti quondam Thome de Turtureto, prenominatam Rosam de Lancea predicti Thome filiam, ac ipsius Blasci genitricem, et post illius obitum, eundemet Blascum in dicto feudo lo Moyo successisse. Et sic ipse Blascus de Lancea, pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, a dicto Preside de ipso feudo, cum inserto tenore dicti primi privilegij VIII Februarij II Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 304 notatam, obtinuit. In qua de rebellionem per prelibatum Thomam de Turtureto patrata, ac de aliis concessionibus per dictum Regem Federicum Ioanni de Turtureto clerico antedicto eiusque heredibus prima facie factis; nec non et de alia concessione facta per dictos Reges utrumque Martinum et Mariam Galvagno et Gulielmo de Turtureto fratribus, nulla facta est mentio. Et sic apparet, stantibus prenotatis privilegiis, prefatum Blascum de Lancea predictam surrepticie a dicto Presidente impetrasse investituram. Nam constat Thomam de Turtureto prelibati Ioannis filium fuisse rebellem, et per consequens illius agnatos et cognatos ab ipsius feudi successione et detentione exclusos extitisse. Quomodo ergo nulla facta de ipsa rebellionem mencione, prelibatus Blascus Lancea dictam novissimam investituram, virtute privilegij dicte Regine Leonore, quod fuit primus titulus, qui titulus, vigore successu rebellionis successoris dicti primi acquiritoris, extinctus fuerat et penitus annullatus, sibi impetravit.

Tandem, prelibato Blasco Lancea defuncto, sibi in dicto feudo Lu Moyo successit Manfridus Lancea eius filius legitimus et naturalis ac heres cum beneficio inventarij, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus a Don Ferdinando d'Ancña, tunc Regni Prorege, XVI Octobris XI Inditionis 1492 de ipso feudo investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 372 notatam, obtinuit.

Postmodum autem ex conventionem de huiusmodi feudo inter ipsum Manfridum Lanceam et Anthonium Lanceam eius fratrem, prelibati Blasci de Lancea filium legitimum et naturalem, ac primogenitum facta, Anthonius ipse ab ipso Ferdinando de Acuña Prorege, de dicto feudo XII Septembris XII Inditionis 1493 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 217 notatam, reportavit.

Prelibato tandem Anthonio Lanza decedente, sibi in ipso feudo lu Moyo successit Petrucius Lancea eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus, qui pro se suisque heredibus predictis a quondam Ioanne la Nuça, Regni Vicerege, de dicto feudo VIII Iunij V Inditionis 1502 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 495 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, feudum ipsum lu Moyo per prelibatum Petrucium Lanceam possidetur, et anno quolibet reddit . . . . . 07 C.

Tamen est attendendum, quod forma antiquorum privilegiorum iure Francorum concessa fuit; sed a tempore vite prenominati Blasci Lancee citra, in investituris captis nulla de dicto iure Francorum fit mentio; quod Regie Curie valde prejudiciale videtur.

Et mortuo dicto Petrucio, successit sibi in dicto feudo lu Moyo Anthonius Lanza eius filius, qui, ut asseritur, habuit investituram ob mortem patris, die XXVI Marcij IX Inditionis 1506, que non invenitur in Cancellaria, tamen dictus Anthonius ob mortem domini Regis Ferdinandi de dicto feudo cepit investituram a don Joanne de Luna Preside, die VI Februarij V Inditionis, notatam in libro anni 1510 fol . . . . . et iuravit reddere tantumdem.

---

**Casale sive Terra Librici seu Villanova, Montagna,  
Surrentini, Giusaguardia Terra**

---

Terra sive casale Libriczi vel Villanova in valle Demine et Pactarum civitatis territorio situm et positum, de membris et iuribus maioris pactensis Ecclesie antiquitus fuerat, et a quondam Vinchiguerra de Aragonia eius propriis sumptibus et expensis con-

structum fuit et erectum , ac de novo edificatum; ob quod Serenissimus Rex Federicus ipsi Vinchiguerre de Aragonia eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, absque alicuius prestacione servicij, dictam terram sive casale Librizi sub dicto nomine Villenove, nec non duo alia casalia, unum la Montagna, alterum vero li Surrentini nuncupata, etiam de membris ipsius pactensis Ecclesie, in dicte pactensis civitatis territorio, in contrata terre seu loci Giuseguardie existencia, dedit et concessit. Qua quidem in terra seu casale di Librizi prelibatus Vinchiguerra quoddam fortificium, seu turrim ad hostium confusionem et stragem aptam et utilem, etiam construxit: ac de ipsis casalibus prefato Vinchiguerre possessionem Rex Federicus antedictus dari precepit et fecit; cum hoc tamen, quod omnes redditus et proventus aliaque ipsorum casalium et locorum, iura eidem pactensi Ecclesie pleno iure spectantia et competencia, ipsi Ecclesie traderentur; illaque ipsius Ecclesie procuratores et factores exigent, et pro eadem integriter reservarentur; sicuti in ipsius Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 104 notato, continetur.

Preterea eandem Librizi terram una cum terris Ficarre et Raucue etc. quondam comiti Bartholomeo de Aragonia et suis imperpetuum heredibus Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria, tunc regnantes, sub consueto militari servicio in feudum concesserunt; quas terras comes Bartholomeus ipse tenere et possidere ayebat, quemadmodum in ipsorum Regum privilegio dato Barchinone XXVI Novembris 1391, et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 21 notato, diffusius exponitur.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a tempore regiminis Serenissimi Regis Martini antedicti usque ad presens, anno 1512 decurrente, de ipsa terra seu casale Libriczi sive Villanova , ac casalibus la Montagna et li Surrentini, nullum privilegium, actumve, sive investituram inveni. Verum a nonnullis percepi a pluribus annis citra pactensem Episcopum ipsa tria casalia Libriczi seu Villanova , la Montagna, et li Surrentini , una cum illorum redditibus iuribus et proventibus tenere et possidere, eundemque Episcopum ipsa in terra sive casale di Librizi annis singulis officiales creasse, ac creare. Quod contra formam tituli prefati Regis Federici, per quem eidem pactensi Ecclesie omnes redditus et proventus et iura tantummodo ipsorum trium casalium conceduntur, non tamen officialium predictorum creatio impartitur tendere videtur.

Preterea constat predictum locum seu terra vel casale de Li-

briczi prenominato Bartholomeo Daragonia sub consueto militari servicio in feudum a prelibato Rege Federico concessum extitisse; quo casu patet primum titulum ipsius Regis Federici, actenta rebellionem contra dictos Reges utrumque Martinum et Mariam a prelibato Bartholomeo Daragonia patrata, fuisse extinctum, ipsamque terram seu casale di Librizi Regio Demanio fuisse apertum et devolutum. Ignoro ergo quo iure ipsa casalia, preter formam primi tituli dicti Regis Federici, ad dictum pactensem Episcopatum devenerint, cum de illis alia privilegia quam superius exposita non reperiantur. Et ideo pro Curie cautela veritas discutatur.

De terra vero Giuseguardie, in tenimento Zuppardinorum existenti, est similiter dicendum, quod per dictam pactensem Ecclesiam possidetur, que per Vinchiguerram de Aragonia eius propriis sumptibus et expensis cum quadam turri seu fortificio ad stragem hostium apto constructa fuit et edificata, et ipsi Vinchiguerre per Serenissimum Regem Federicum absque alicuius prestacione servicij, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, concessa; ita tamen quod illius redditus et proventus, aliaque iura consueta et eidem Ecclesie debita, ipsius essent Ecclesie, et per eam seu eius procuratores exhiberi et recipi deberent; sicuti in ipsius Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 104 notato, continetur.

Nihilominus, actencto quod ob dicti Vinchiguerre de Aragonia seu filiorum eius rebellionem, eorum bona omnia Regie Curie aperta et devoluta fuere, Vestra Catholica Maiestas in ipsa Giuseguardie terra totum, integrum dominium tenet; et tamen terra ipsa cum creacione officialium et aliis iurisdictionibus per ipsam pactensem Ecclesiam in presentiarum in Regie Curie detrimentum integritate possidetur; ob quod pro Regie preheminentie conservacione videntum esset, quo iure Ecclesia ipsa predicta omnia possidet.

**Casale sive Feudum Furnari**

---

Casale sive feudum Furnari, in valle Demine et territorio terre Tripi, ac prope feudum Mazarre et alios confines positum, per quondam Ioannem de Mauro messanensem, ut asseritur, antiquitus possidebatur; de quo nullus apparet in Regia Cancellaria titulus. Ipsoque Ioanne de Mauro, nullis relictis suo de corpore legitime descendentibus heredibus, defuncto, Serenissimus Rex Federicus, tunc temporis regnans, quondam Stephano de Mauro messanensi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, feudum predictum Furnari, sub nomine feudi, per excadenciam Regie Curie devolutum; nulla facta mentione, quod ipsum feudum erat casale sive terra habitata cum: vassallis utriusque sexus, cum reservacione tamen iactus balliste a mari infra terram, et lignaminum, mineriarum, salinarum, solaciorum, forestarum, et defensarum antiquarum, ac aliarum regaliarum, que de iure ad regium spectant demanium; suo cum Regio privilegio, dato Cathanie ultimo Marcii XIV Inditionis 1375 et Regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 5 notato, concessit.

Inde vero, ad menses fere sex, aliud ab ipso Rege Federico emanavit privilegium, per quod quondam notario Blasio de Furnari, tunc terre Tripi habitatori, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, feudum ipsum concessum extitit: in quo narratur, feudum predictum quondam Gulielmi de Maniscalco rebellis et proditoris fuisse. Que quidem concessio facta extitit, eoque cum tunc temporis ipse Rex Federicus in partibus vallis Mazarre moram traheret, et quondam Henricus Rubeus messanensis Aydoni comes, ac ipsius Regis Cancellarius, contra ipsum Regem rebellionem patret, Messanamque civitatem occupatam detineret. Idem notarius Blasius prelibatam Tripi terram messeneis partibus propinquam, ad regiam obedientiam servavit; pro ut in ipsius Regis Federici privilegio dato in Castro regali XXI Septembris XIV Inditionis 1375, et in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 248 notato, continetur.

Ecce quod in illis duobus privilegiis varie patent contradictiones: in primo namque privilegio concessionis feudi predicti in personam Stephani de Mauro emanato enarratur; illud per Ioannem de Mauro possessum fuisse, et ob illius mortem sine filiis, per regiam excadentiam Regie Curie devolutum, ac per ipsum Regem eidem Stephano exinde concessum extitisse.

In alio vero privilegio, post menses sex emanato, exponitur dictum Furnari casale Guilelmi de Maniscalco proditoris fuisse; preterea alia reperitur contradictio, nam data istius novissimi privilegij in personam prelibati notarij Blasij de Furnari celebrati per dictum Henricum Rubeum Regium Cancellarium ipso in privilegio apposita fuit, quod verissime non apparet; nam si ipse comes Henricus Rubeus rebellis erat et civitatem Messanam occupatam detinebat, quam ob rebellionem Serenissima Regina Anthonia, dicti Regis Federici consors, ab ipso comite Henrico insultata obiit, sicuti alias in capitulo terre Aydoni superius in cartis. . . notato late dixi: quomodo poterat datam ipsam eodem in privilegio apponere? Unde hec omnia sapientum iudicio exponenda esse duxi.

Ulterius aliud a Serenissima Regina Maria, ad instantiam prelibati notarij Blasij de Furnari, emanavit privilegium, in quo exponitur ipsum notarium Blasium dictum casale et feudum Furnari a quondam Gentile muliere vidua, olim Leonardi de Joanne messanensis uxore, ac filia et herede Bartolocti de Marescalco, descendens et successoris quondam Magistri Bartholocti de Marescalco, qui, ut asseritur, dictum casale in vim privilegij Serenissimi Regis Federici terciij, dati Panhormi in anno 1204 (*sic*) tenuerunt et possiderunt; de quo privilegio exinde a Serenissimo Rege Petro in anno 1285 confirmacio emanavit, pro precio unciarum 340 emisse; quemadmodum in quodam vendicionis contractu, V Februarij VII Inditionis 1383 manu notarij Petri de Armato messanensis celebrato, continetur. Qui contractus de verbo ad verbum insertus est in dicte Regine Marie privilegio dato Cathanie XXI Iulij XI Inditionis 1388, et super confirmacione de dicto feudo impersonam eiusdem notarij Blasij pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus sub servicio unius equi armati facta, emanato. Qui quidem notarius Blasius de Furnari et Rosa, iugales, de ipso feudo quondam Blasio de Furnari eorum nepoti, filio quondam Anthonij de Furnari, ipsorum iugalium filij premortui, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub consueto militari servicio, donacionem fecerunt; sicuti in huiusmodi

donacionis instrumento, acto manu notarij Anthonij de Peregrino messanensis XXVI Novembris II Inditionis 1408, continetur. Quos quidem contractus tunc regni Proreges eidem Blasio de Furnari iuniori, eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub servicio unius equi armati, Constitutionibus et Capitulis Serenissimi Regis Iacobi, aliorumque Sicilie Regum, iuribus Curie, ac servicio militari semper salvis, eorum cum vice-regio privilegio dato Randacij XIII Augusti VII Inditionis 1414, et in Regie Cancellarie libro anni 1413 in cartis 216 notato, acceptarunt et confirmarunt,

Et nihilominus per predicta maior apparet contradictio; nam demonstratur prenominatum notarium Blasium de Furnari ipsum Furnari feudum a prelibata Gentile filia Bartholoei de Marescalco, descendente a prenominato Bartholoeo, emisse. Et e converso per privilegium dicti Regis Federici, de quo superius facta est mentio, apparet feudum ipsum fuisse sibi gratiose concessum, sub consueto militari servicio, tanquam feudum Regie Curie ob rebellionem quondam Guillelmi de Marescalco apertum et devolutum, quemadmodum in ipso privilegio late exponitur. Adeo quod, predictis actentis, apparet ipsam Regiam Curiam fuisse deceptam et non bene informatam. Nihilominus, quicquid sit, Vestra Catholica Maiestas virtute Pragmatice *Post Bella* vocate, et in principio huius voluminis notate, feudum ipsum pro eisdem unciis 340, pro quo venditum fuerat, recuperare potest.

Exinde vero prelibatus Blasius de Furnari iunior, donatarius, nullis legitimis relictis filiis, decessit. Quo defuncto, sibi in dicto feudo sive casali Furnari successit Philippus de Furnari ipsius Blasij iunioris frater. Qui Philippus, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, de ipso feudo cum inserto tenore dictorum contractuum et privilegiorum, ab Episcopo Illerdensi et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, XIV Februarij XII Inditionis 1418 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 190 notatam, reportavit.

In hoc tamen est recte attendendum, quod in donatione per prelibatos notarium Blasium seniore et Rosam, iugales, prenominato Blasio de Furnari iuniori eorum nepoti, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, facta, huiusmodi sunt verba scilicet: quam donationem dicti iugales fecerunt et faciunt Blasio predicto, nepoti eorum, ut cuicumque alteri extraneo etc. Preterea ipsa in donatione hec etiam denotantur verba, scilicet: Volentes et



expresse mandantes dicti donatores, in robur maius et valitudinem presentis donacionis, quod dictus Blasius eorum nepos emancipatus sub hac lege et prerogativa dictum feudum sibi habeat, quod ipsum feudum donatum sibi per eos non conferat nec conferre teneatur aut debeat eius introitus, nec iura, in totum vel in partem, cum fratribus aut sororibus aliis eiusdem donatarii, nec desuper cum aliis nepotibus aut neptibus natis ex filiabus premortuis eorundem donatorum, immo feudum ipsum cum iuribus suis omnibus et introitibus habeat et habere debeat idem Blasius donatarius, nepos eorum, precipuum et parum tam ex testamento quam ab intestato; ita quod dictum feudum nunquam veniat ad collationem, non obstantibus legibus in contrarium dictantibus etc. Per que verba facillime comprehenditur dictum feudum per ipsos donatores conditionaliter prelibato donatario donatum extitisse; nec non et per infrascripta verba donatio ipsa videtur sic restitui, videlicet: Ex ipsa causa donationis presentis de cetero imperpetuum per eundem Blasium donatarium, et suos heredes de suo corpore legitime descendentes, habendum, tenendum et possidendum etc.; pro ut in ipsius donationis instrumento, quod ad cautelam in fine presentis capituli inferius in cartis.... inseri duxi, ut per eius Sacrum Regium Consilium veritas discutiatur, hec et alia late patent. Unde firme sum opinionis, quod actento, quod prefati notarij Blasius de Furnari et Rosa, iugales, fuerunt emptores seu primi dicti feudi acquirentes, de illo in quamcumque personam disponere, et ab illius successione quoscumque agnatos et cognatos excludere poterant, quo casu cum feudum predictum prelibato Blasio de Furnari iuniori, eorum nepoti, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, tantum et non aliter donaverint, ipso Blasio iuniore absque filiis suo de corpore legitime descendentibus defuncto, pro ut absque eisdem filiis decessit, feudum ipsum sive casale Furnari Regie Curie apertum extitit et devolutum, et nullo pacto Philippus Furnari, ipsius Blasij iunioris donatarij frater, in illo succedere poterat.

Et quantumcumque, ex adverso, obici (*sic*) posset, quod tempore quo idem Blasius de Furnari iunior donatarius a tunc Proregibus eiusdem donationis confirmationem impetravit, exploratum fuit ipsum Blasium in dicto feudo succedere potuisse; licet donatio ipsa excogitata non fuisset, cum filius quondam Anthonij de Furnari filij primogeniti prelibatorum quondam notarij Blasij et Rose iugalium donatorum et eisdem eius parentibus premortui fuisset, hoc certe expresse negari posset et potest. Nam ipsi donatores, cum

dicti feudi primi fuissent acquirentes, de eo ad ipsorum voluntatis libitum disponere poterant.

Nihilominus, quomodocumque sit, prelibatus Blasius de Furnari iunior, donatarius, absque filiis decessit; minusque reperitur in Regia Cancellaria testamento vel alias de ipso feudo in dictum Philippum de Furnari eius fratrem disposuisse; quo casu Regie Curie iura in dicto feudo clara demonstrantur.

Exinde vero ipsum feudum et casale Furnari in Antonij de Furnari posse devenit; de quo in Regia Cancellaria non apparet aliqua investitura ob eius parentis obitum capta. Et ideo ratio dari non potest, an filius prelibati Philippi de Furnari fuerit, sive aliter ipso in feudo successerit. Verum quedam reperitur investiture nota per ipsum Anthonium XIV Decembris XIII Inditionis 1479 capta, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 198 notata, et illi per quondam don Gasparem de Spes, tunc Regni Proregem, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, vestri regij culminis genitoris et felicissimam vestre Catholice Maiestatis successionem, de ipso feudo concessa, in qua nulla fit mentio de eiusdem Anthonij successione in dicto feudo.

Ipsoque Anthonio de Furnari decedente, sibi eodem in feudo Furnari successit Nicholaus Anthonius Furnari eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus iure Francorum de ipso feudo a quondam Raymundo de Santa Pace et Ioanne de Valguarnera, tunc regni Presidentibus, IX Augusti II Inditionis 1484 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 544 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsum casale seu feudum Furnari per ipsum Nicholaum Anthonium de Furnari possidetur, quod anno quolibet reddit . . . . . 07 C.

Hic inseri debet donatio facta per notarium Blasium de Furnari et Rosam, iugales, quondam Blasio de Furnari eorum nepoti, que est registrata in libro Cancellarie anni 1418, in cartis 190.

Et mortuo interfecto dicto Nicholao Anthonio, successit Anthonellus Furnari eius filius, qui habuit de dicto casale investituram a don Ugone de Moncata Vicerege, notatam in libro anni 1513 II Inditionis f.º 521. Et etiam cepit investituram ob mortem domini Regis Ferdinandi, iure Francorum, XXVIII Novembris V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni f.º 235; et iuravit reddere tantumdem.

### Pardu Feudum

---

Feudum Pardo vulgo appellatum, in valle Demine ac territoriis terrarum Trahine et Capicij positum, cum penes sacrum Regium Demanium antiquitus extitisset, per Regiam Curiam quondam Bartholucio de Ferro, eius vita perdurante, concessum fuit. Quo quidem Bartholucio defuncto, Serenissimus Rex Federicus illud quondam Ioanucio de Celsa, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, in feudum sub consueto militari servicio iure Francorum exinde concessit; renunciato prius per dictum Ioannucium in manibus dicte Regie Curie illis unceis viginti annue pensionis, que quondam Adamari de Celsa, patri prefati Ioannucij de Celsa, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, per Serenissimum Regem Petrum concessa extiterant, et postmodum ipsi Ioannucio per dictum Regem Federicum confirmate; sicuti in ipsius Regis Federici privilegio, dato Messane XX Ianuarij XII Inditionis 1373 et in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 30 notato, continetur.

Exinde vero Serenissimo Rege Federico defuncto, Serenissimi Reges uterque Murtinus et Maria in regno succedentes, privilegium antedictum cum eius inserto tenore eidem Ioannucio de Celsa, Regni Constitutionibus, servicio militari, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, acceptarunt et confirmarunt: quemadmodum in ipsorum regio privilegio dato Cathanie VI Decembris prime Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 173 notato, late patet.

Postmodum autem predictus Ioannucius de Celsa feudum ipsum quondam Guglocte de Balba militi pro certo precio vendidit; de qua quidem vendicione nullus demonstratur actus sive publicum instrumentum, minusque apparet ipsam vendicionem cum Principis licentia facta fuisse.

Deinde vero Guglocta antedictus feudum iddem Raymundecto de Sancto Martino, sub consueto militari servicio, pro precio unciarum triginta puplico contractu manu notarij Laurencij de Notho Cataniensis XVI Februarij XIII Inditionis 1405 celebrato mediante, vendidit. Quam vendicionem dicti Reges Martinus et Maria

eidem Raymundecto, suisque heredibus et imperpetuum successoribus, sub consueto militari servicio, regni Constitutionibus, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, suo cum regio privilegio dato Cathanie XXVIII Aprilis XIII Inditionis 1406, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 222 notato, acceptarunt et confirmarunt.

Decedente preterea eodem Raymundecto de Sancto Martino, sibi in dicto Pardi feudo successit Nicolaus Raymundectus de Sancto Martino, eius filius legitimus et naturalis. Qui, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, de ipso feudo a quondam don Lupo Ximenen Durrea tunc regni Prorege, sub consueto militari servicio, antiquis regiis regaliis semper salvis, cum inserto tenore dictorum contractus et privilegij, XXI Iulij prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 499 notatam, reportavit.

Ipsoque Nicholao Raymundecto de Sancto Martino defuncto, sibi in dicto Pardi feudo successit Raymundus de Sancto Martino eius filius, qui ab eodem don Lupo Prorege de ipso feudo XII Maij XIII Inditionis 1466 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 578 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum prelibato Raymundo de Sancto Martino, sibi in dicto Pardi feudo successit Anthonius de Raymundecta de Sancto Martino, legum doctor, eius filius, qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus a quondam don Ioanne de la Nuça, tunc regni Prorege, de ipso feudo XVII Ianuarii 1499 investituram, in Regie Cancellaria libro anni 1498 in cartis 428 notatam, consequutus fuit.

Sed eodem Anthonio de Raymundecta de Sancto Martino legum doctore ab hac luce sublato, sibi in dicto Pardi feudo, ob donationem sibi per ipsum Anthonium factam, successit Ioannellus de Raymundectis de Sancto Martino, qui pro se suisque heredibus ab eodem Ioanne de la Nuça, Vicerege, de ipso Pardi feudo XX Septembris VIII Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 56 notatam, habuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, feudum Pardi antedictum per ipsum Ioannellum de Raymundectis possidetur, et anno quolibet reddit . . . . . 07 XXXIII.

Cepit etiam investituram a don Ioanne de Luna Preside, ob mortem domini Regis Ferdinandi, die XVI Ianuarij VI Inditionis notatam in libro anni 1516 f.º 372, et iuravit reddere tantumdem.

Et nihilominus est attendendum, quod forma privilegiorum

antiquorum de dicto feudo fuit concessa iure Francorum, que est stricta; ob quod moderni possessores non debebant nec poterant sub larga forma eorum investituras accipere, puta pro eis et eorum imperpetuum heredibus et successoribus, minusque in eadem larga forma tales investiture illis concedi debebant; postquam patet predictum feudum prelibato Raymundecto de Sancto Martino per prefatum Guglocta la Balba venditum, per ipsum Guglocta in forma stricta iure Francorum possessum fuisse, ut superius dictum est, licet prefatus Ioannucius la Celsa illud prenominato Guglocte la Balba, nulla apparente Principis licentia sive vindicionis contractu, vendiderit. Tamen, quicquid sit, feudum ipsum semel pro uncijs triginta venditum fuit, et sic in vim regie Pragmatice *Post Bella* vocate, de qua pluries hoc in opere verba feci, pro eodem precio, puta pro eisdem uncijs triginta recuperari potest, et sacro Regio Demanio restitui.

---

#### Sularia Feudum

---

Feudum Sularia nuncupatum, in valle Demine et Plano Melacij positum, ac Regie Curie pleno iure competens, quondam Nicholao de Prothonotario, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis regiis regaliis, videlicet iactu baliste a mari infra terram, mineriis, salinis, solaciis, forestis, defensis antiquis, aliisque ipsi Regio Demanio debite competentibus, semper salvis, Serenissimus Rex Federicus, suo cum regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 3 notato, concessit.

Perquisitis itaque, et per me diligenter recognitis eiusdem Regie Cancellarie Codicibus a dicto anno 1346 usque in hodiernum, anno 1512 decurrente, nullum de ipso feudo privilegium, sive investituram, aliamve scripturam inveni, minusque apparet de descriptis et positis in Rollo regni feudis esse. Unde in cuius posse existat hucusque percipere nequivi. Et sic mihi videtur Regiam Curiam, tam in militari servicio, quam in regaliis regiis directibus

fuisse et esse deceptam, lesam et defraudatam. Et ideo feudum ipsum in novo Rollo una cum aliis regni feudis reponi debet, regiaque Curia perquirere etiam curet, in cuius posse feudum ipsum reperiatur pro eius cautela et indemnitatem.

---

**Guraphi Orientalis Feudum**

---

Feudum Guraphi nuncupatum, in valle Demine et territorio Castriregalis positum, antiquum et paternum feudum fuerat, Regio militari servicio obnoxium: unde valde miror quo iure, nullo apparente titulo, feudum ipsum ad quondam Damiatam, olim uxorem quondam Riccardi de Mariscalco messanensis militis pervenerit. Nam, Serenissimis Regibus Martino et Maria regnantibus, Damiatia ipsa de feudo Guraphi antedicto Philippo de Puteo eius nepoti, et filio Guglocte de Puteo, cum renunciatione omnium legum et edictorum in contrarium disponentium et maxime legis, qua perfecta donatio propter filios natos et nascituros ac vitio ingratitudinis revocatur, donationem fecit, dimisitque iure institutionis et recognitionis nature Nicholao de Mariscalco alij eius nepoti unciam unam, et Altedonne alij eius nepoti uxori Anthonij Camella tarenum unum; quam recognitionem factam fuisse, opinor, ut illos a dicti feudi successione expelleret. Tamen ipsa in donatione Damiatia predicta nullam fecit mentionem, quod feudum antedictum verum est feudum paternum, inquaternatum et antiquum, ac Regio militari servicio obligatum, minusque in ea iddem militare servicium (ut decet) sibi reservavit. Et licet eadem in donatione feudum Gurafi predictum sub feudi nomine appelletur, quo casu prestacio militaris Regij servitij in illo omnino subintelligitur; tamen, ad obedientiam et recognitionem superioritatis et regalis dominij denotandam, ipsum militare servicium in illa exprimi penitus oportebat pro Curie cautela. De ipsa autem donatione patet quodam publico instrumento manu notarij Ioannis de Turano XX februarij III Inditionis 1394 celebrato; quam donationem Reges ipsi eidem Philippo de Puteo donatario, eorum cum Regio privi-

legio, dato Cathanie IIII Novembris V Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 15 notato, exinde simpliciter acceptarunt et confirmarunt.

Inde vero, ad annos duos, Reges prenominati, nulla facta mentione de predicta donacione per ipsam Damiatam uxorem quondam Riccardi de Mariscalco eidem Philippo de Puteo, eius nepoti, et non de agnatione et cognomine de Mariscalco facta, de eodem Gurafi feudo Philippo de Castro Ioanne messanensi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, iure Francorum, tanquam de re legitime et rationabiliter Curie Regie devoluta ob mortem quondam Nicholai de Mariscalco, intestati et in minori etate defuncti, aliisque donationibus feudorum Pascasie, Pollicarini, et di li Grucci per eosdem Reges alias eidem Philippo de Castro Ioanne factis, non obstantibus antiquis regiis regaliis, aliisque iuribus Regie Curie semper salvis, donationem fecerunt; sicuti in eorum Regio privilegio dato Cathanie primo Maij IIII Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie libro anni 1393 III Inditionis (*sic*) in cartis 173 notato, continetur.

Est nihilominus valde attendendum, si Damiata antedicta, cum ipsius feudi prima acquisitrix non fuerit, de illo eidem Philippo de Puteo de alio cognomine et agnatione, presertim cum de illis de Marescalco proximiores aliqui reperiantur, donationem facere poterat. Et quia quocienscumque titulus non apparet, presumitur feudum in forma stricta, iure Francorum, de iure concessum extitisse, notissimi iuris est quod ipsum feudum Gurafi in posse illorum de Marescalco devenire debebat et non aliis de diversa agnatione et genelogia. Sed deficiente vera et legitima prole et successione primi acquisitoris de Marescalco, feudum predictum Regio Demanio devolutum fuisset. Quodque hoc sit verum constat; nam Reges prenominati, decurso biennio post factam predictam donationem, feudum predictum prelibato Philippo de Castro Joanne, iure Francorum ut supra, Regie Curie, ob mortem Nicholai de Marescalco intestati et in minori etate defuncti devolutum, pro ut exponitur concesserunt. Et ideo dictum feudum, prelibata Regia concessione non obstante, in posse successorum de Marescalco contra formam ipsius Regie concessionis eidem Philippo de Castro Ioanne facte, reverti debuit.

Secuta exinde Damiata prelibate donatricis morte, super dicto feudo ab Anthonio de Camella messanensi, nomine et pro parte dicte Altedonnee eius uxoris, contra prelibatum Philippum de Puteo donatarium lis intemptata fuit, asserens utraque pars dictum feudum

ad se spectare, scilicet ad predictam Altadonnam iure hereditario ex testamento dicte quondam Damiate, ad dictum vero Philippum de Puteo iure donationis inter vivos per eandem Damiatam sibi facte. Et nihilominus partes ipse ad concordiam devenerunt, et feudum ipsum equali portione sibi diviserunt; quam concordiam et conventionem dictus Rex Martinus, suo cum Regio privilegio dato Cathanie X Aprilis VIII Inditionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 VIII Inditionis in cartis 106 notato, utriusque parti iuxta formam ipsius concordie confirmavit.

Tandem cum feudum predictum pro indiviso prelibate Altedonne et Philippo de Puteo remanserit, ipsaque Altadonna exinde decesserit, sibi in dicto Gurafi feudo successit Machalda eius filia legitima et naturalis, de qua nulla apparet investitura.

Qua Machalda exinde defuncta, sibi in una feudi ipsius medietate successit Ioannes Ferdinandus de Messana, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipsa feudi medietate, sub consueto militari servicio, a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, XX Novembris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 272 notatam, obtinuit.

Inde vero, cum pretenderetur dictam feudi ipsius medietatem ad Angelum Cammella, filium prelibate Altedonne et fratrem prefate Machalde, et non ad ipsam Machaldam pervenire debuisset; et per consequens ad Ioannem Cammella filium predicti Angeli spectasse, ob quod Ioannes Cammella ipse contra eundem Ioannem Ferdinandum litem intemptare voluisset; tandem partes ipse ad concordiam devenerunt, cuius virtute dictam feudi medietatem sibi diviserunt, et dictus Ioannes Camella de ipsa sua medietate medietatis dicti feudi a quondam don Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub dicto militari servicio, VIII Iulij VII Inditionis 1458 investituram, cum clausula tamen quatenus tamen dicta transactio recte et rite processerit, nullo tamen iuri Regie Curie preiudicio generato etc., in Regie Cancellarie libro anni 1457 in cartis 516 notatam, reportavit.

Reliqua vero feudi ipsius Guraphi medietas, que ad predictum Philippum de Puteo pervenerat, post ipsius Philippi obitum Petro de Puteo eius filio cessit. Qui Petrus pro se suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, a quondam Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, de ipsa feudi medietate, XX



Novembris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 306 notatam, consequutus extitit.

Qua investitura miror qua ex causa expressum non fuerit ius Francorum. Postremo autem a dictis annis 1453 1457 usque ad hodiernum, anno 1512 currente, Regie Cancellarie perquisitis registris utriusque medietatis feudi ipsius, nulla apparet investitura, minusque reperitur quinam in presentiarum, dicto anno 1512 currente, feudum ipsum possideant, quod non sine Regie Curie, suorumque directum preiudicio fit : et ideo veritas pro Regie Curie cautela inquiratur.

Nihilominus dictum feudum Gurafi venit in posse Ioannis Salvi de Aliberto, et de eius successione nullus apparet in Cancellaria titulus, nec investitura. Et sic ipse Ioannes Salvus de dicto feudo cepit investituram, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Presidente, die XV Septembris V Inditionis 1516 notatam in libro dicti anni fol. 781, et iuravit reddere. O7 . . .

Exinde una medietas dicti feudi Gurafi venit in posse Philippi de Puteo. Et mortuo isto Philippo, successit Thomas de Puteo dicti Philippi filius, qui, tam ob mortem patris quam ob mortem domini Regis Ferdinandi, cepit a don Ioanne de Luna Preside investituram die XII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni V Inditionis 1517 in cartis 364; et iuravit reddere dicta medietas O7. XXXIII.

Et advertatur, quod est error in genelogia.

---

**Mocta de Sparto alias de Affermo Terra. et Spadari Feudum.**

---

Feudum Spadaro nuncupatum, in valle Demine positum et tenimentis terrarum Mistrecte, Nichoxie et Cerami coniunctum, per quondam Muchium de Affermo militem antiquitus possidebatur; quo tamen iure nullus in regia Cancellaria titulus apparet. Tandem, Serenissimis Regibus Martino et Maria regnantibus, Muchius de Affermo predictus contra eosdem Reges rebellionem patravit; ob quam Regie Curie feudum ipsum devolutum extitit; illudque

quondam Nicholao de Ysnardo, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus iure Francorum, sub consucto militari servicio, ac cum clausula scilicet: ita quod ad feudum unciarum quinque annuale redditum non excedat etc. Reges ipsi, coram Rege cum privilegio dato Cathanie XV Augusti II Inditionis 1394, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 213 notato, iterum concessere.

Quibus exinde, Serenissimis Regibus decedentibus, Serenissimoque Rege Alfonso, vestri regij culminis patruo, in regno succedente, cum a regni feudatarijs eorum feudorum privilegia peterentur, quondam Ioanne de Affermo, Baro terre Mocte de Sparto et de Affermo, coram Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc regni Preside, comparuit; et asserens se, tanquam filium prelibati quondam Muchij de Affermo eius patris, dictam Mocte terram cum eodem Spadari feudo tenere et possidere, ac iuramento affirmans se de ipsis terra et feudo nullum tenere privilegium pro se suisque heredibus iure Francorum, de eisdem ab ipso regni Preside, iuxta Capitulum dicti Regis Alfonsi tunc novissimum, V Octobris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 775 notatam, reportavit.

Ipsaque Ioanne de Affermo absque filijs legitimis et naturalibus defuncto. sibi in eodem Spadari feudo successit Ioannes Iacobus de Albamonte, alias de Affermo, eius nepos, filius scilicet eius fratris, tunc defuncti. Qui Ioannes Iacobus de Albamonte alias de Affermo a quondam don Lupo Ximenes Durrea, tunc regni Prorege, de ipsis terra Mocte et feudo Spadari pro se suisque heredibus iure Francorum, sub consucto militari servicio, cum inserto tenore investiture per prenominatum Simonem Presidem prelibato quondam Ioanne de Affermo concessa, XV Septembris VI Inditionis 1457, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 407 registratam, obtinuit.

Mortuo postmodum prelibato Ioanne Iacobo de Albamonte alias de Affermo, sibi in dictis terra Mocte et Spadari feudo successit Ioannes Minaguerra de Albamonte, eius filius. Qui pro se et dictis suis heredibus iure Francorum, de ipsis terra et feudo a quondam Comite de Cardona et de Prades, tunc Prorege, V Februarij XI Inditionis 1477 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 248 notatam, consequutus fuit.

Defuncto demum eodem Ioanne Minaguerra, sibi in dictis terra Mocte et feudo Spadari successit Anthonius de Albamonte, eius filius primogenitus legitimus et naturalis. Qui pro se suisque he-

redibus, iure Francorum, a quondam Ioanne de la Nuça tunc Regni Prorege, de eisdem terra et feudo, XXIII Augusti VI Inditionis 1503, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1502 in cartis 626 notatam, habuit et recepit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum Spadari antedictum per prelibatum Anthonium de Albamonte possidetur; quod anno quolibet reddit . . . . . 07 . . . . .

Nihilominus recte considerandum est Muchium de Affermo, in capitulo nominatum, semel contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuisse; et ob ipsius rebellionis crimen feudum predictum Regie Curie apertum et devolutum extitisse; et ab ipsis Regibus quondam Nicholao de Ysnardo, suisque heredibus iure Francorum, exinde concessum fuisse, illa tamen cum clausula, pacto et condicione, quod ipsius feudi redditus uncias quinque annui redditus non excederent. Quod cum ita fuerit, est valde mirandum, quomodo feudum predictum in posse Ioannis de Affermo prelibati Muchij rebellis filij devenerit, ac quo iure investituram a tunc regni Preside obtinere poterit, cum tantum dixisset, se de dicto feudo nullum tenuisse privilegium sive titulum, pretermittens nullamque mencionem faciens, quod dictus Muchius, eius pater, rebellionem inculpatus fuerat, et ob illam rebellionem feudum predictum Regie Curie apertum et devolutum extiterat, ac alij concessum; minusque demonstrasset si dictus Muchius remissus fuerit et in integrum restitutus. Sed ad maiorem Regie Curie cautelam Regie Cancellarie repertorium remissionum per Sicilie Reges Vestre Catholice Maiestatis Serenitatis progenitores diversis personis factarum, perquirere et revidere curavi, et tamen nullam remissionem seu in integrum restitutionem in personam dicti quondam Muchij de Affermo concessam, invenire potui. Et ideo inquirendum est, quo iure dictum feudum prelibato Ioanni de Affermo ipsius Muchij filio restitutum fuerit, stante premaxime privilegio concessionis facte per dictos Reges prenominato Nicholao de Ysnardo eiusque heredibus ut supra. Et quando forte privilegium ipsius Nicholay de Ysnardo, exclusis dicti Muchij de Affermo successoribus, validum fuisse et esse declaretur, est attendendum quod ipsa concessio facta fuit cum illa condicione, quod redditus dicti feudi summam unciarum quinque annui redditus non excederet; quo casu Regia Curia ipsa maximum haberet ius in sibi dictum feudum vendicando, cum illius redditus multo maioris summe existant. Et sic concludendo dico, tam verum titulum prelibati Muchii de Affermo, quam illius remissionem et in integrum restitutionem pro Curie cautela esse omnino videnda.

**Placa Bayana Feudum sive Casale**

---

Feudum sive Casale Placa Bayana vulgo nuncupatum, in valle Demine et territorio terre Trayne positum, per quondam Virgilium de Cathania antiquitus possidebatur; de quo titulus aliquis non apparet. Tandem patrata per eundem Virgilium contra Sere-rissimum Regem Federicum tertium rebellione, Rex ipse quon-dam Magistro Ioanni de Raynerio medico messanensi, suisque im-perpetuum heredibus more Francorum, feudum predictum sub servicio unius militis, pro illis uncijis viginti annui redditus ei-dem magistro Ioanni, per predictum Regem Federicum super re-gni Secrecijs concessis, concedit; sicuti in ipsius Regis Federici tercij privilegio dato Calatagironi XIII Februarij III Indionis 1299 continetur.

Tandem dictus magister Ioannes de Raynerio quandam no-mine Claram, cum qua filium unum nomine Bartholucium, et tres filias nomine Romanam, Machaldam, et Stefaniam procreavit, duxit uxorem; ipsoque magistro Ioanne de Raynerio ab intestato de-functo, sibi prelibatus Bartholucius eius filius iuxta ritum et con-suetudinem Regni, tanquam eius sororibus prelatus, in dicto Casali seu feudo successit. Et sic dictus Rex Federicus tertius eidem Bartholucio, suisque heredibus sub militari servicio, feudum ipsum eius cum alio regio privilegio dato Nichoxie XVIII Octobris 1301 cum clausula scilicet: quatenus Casale ipsum predicto magistro Ioanni et suis heredibus imperpetuum per nos concessum extitit, et in dicto privilegio plenius continetur, iuribus alterius et Con-stitucionibus domini Regis Iacobi semper salvis; confirmavit.

Demum prenominati Bartholucius, Romana et Stephana, fra-ter et sorores, filius et filie prelibati magistri Ioannis de Raynerio et Clare, iugalium, nullis ex eis filiis procreatis, decesserunt, super-stite tantum prefata Machalda etiam eorum sorore. Que Machalda in dicto feudo successit, ipsaque Machalda cum feudum ipsum te-neret et possideret, dum viveret, Machalda ipsa de feudo predicto Ioanni de..... eius filio suisque imperpetuum heredibus donacionem fecit, cuius virtute ipse Ioannes feudum ipsum tenuit et possedit. Et deinde ad mortem deveniens, in ultimis quibus decessit, suum

condidit testamentum, in quo suos instituit heredes Petrum, Margaritam et Mannam, eius filios, ex se et Ysolda iugales procreatos, hoc modo videlicet: prelibatum Petrum in dicto feudo Place Bayane, ac in quodam fundaco Messane; dictas vero Margaritam et Mannam in unciis tricentis pro qualibet earum, scilicet in unciis centum quinquaginta solvendis super dicto feudo et fundaco.

Ipsoque Petro in minori etate defuncto, sibi in dicto Place feudo successit prelibata Margarita, eius soror, maior nata predicta Manna eius sorore. Que Margarita pro se suisque heredibus, iure Francorum, sub dicto militari servicio unius militis iuxta continentiam privilegii dicti Regis Federici tercii, a Serenissimo Rege Federico, nepote et successore in Regno dicti Regis Federici tertii, de dicto feudo confirmationem et investituram reportavit, cum clausula scilicet quatenus predicti Regis Federici, avi nostri, processit donatio et in dicto privilegio continetur etc; ut in eius regio privilegio dato Messane XVIII Junij II Inditionis 1364 latius continetur.

Ipsaque Margarita, cum postmodum uxor quondam Ioannucii de Vallono reperiretur, et exinde ad viduitatem devenisset, de ipso Place feudo Ioannucio de Pactis messanensi, eius fratri consobriano, donacionem fecit. Qui Ioannucius per lineam descendantem prefati quondam magistri Ioannis de Raynerio fisici, eius proavi, ipsius feudi primi acquiritoris, pronepos dictus est, cuius magistri Ioannis dicta Margarita proneptis etiam dicta est. Quamquidem donacionem, ipsaque privilegia dictorum dominorum Regum utriusque Federici, Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria eidem Ioannucio de Pactis, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus imperpetuum, sub consueto militari servicio, eorum cum regio privilegio dato Cathanie XXV Aprilis III Inditionis 1396, et in regio Cancellarie libro anni 1393 in cartis 168 notato, cum clausula, scilicet, Regni Constitutionibus, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, acceptarunt et confirmarunt; quo quidem in privilegio privilegia dictorum Regum utriusque Federici ac donaciones prelibate inserte sunt.

Deinde vero prelibatus Ioannucius de Pactis donatarius ut supra, pro se et suis heredibus iure Francorum, a dictis Regibus Martino et Maria cum inserto tenore omnium dictorum privilegiorum ac donacionum de dicto feudo, sub debito et consueto militari servicio, remota illa clausula, scilicet, pro se et heredibus de suo corpore legitime descendantibus, actenta forma privilegii domini Regis Federici tercii prime concessionis ipsius feudi facte

prefato quondam magistro Ioanni de Raynerio fisico, cui feudum ipsum pro se et heredibus suis, iure Francorum, concessum extiterat, declaracionem seu gratiam obtinuit; quemadmodum in alio privilegio dicti Regis Martini dato Messane II Octobris V Inditionis 1396, et in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 60 notato, continetur:

Prelibatus autem Ioannucius de Pactis de ipso feudo et casali Place quondam Antonio de Pactis, eius filio emancipato, exinde donacionem fecit inter vivos irrevocabilem; sub illis tamen honoribus et oneribus, quibus dictus Ioannucius eius pater tam Regie Curie, quam prefate Margarite donatrici, modo quo supra, obnoxius erat et obligatus, pro ut contineri asseritur quodam donationis instrumento manu notarii Clementis de Maiore de Abbate, messanensis, XVII Februarii prime Inditionis 1407 confecto. Qui Anthonius de Pactis, donatarius, dixit de ipsa donacione a Serenissimo Rege Ferdinando vestre Catholice Maiestatis avo, in anno 1413, et deinde a Serenissimo Rege Alfonso Vestre Regie Celsitudinis patruo, vigore sui privilegii dati Valencie X Iulii 1417, quod in regia Cancellaria non apparet, confirmacionem habuisse.

Post hec omnia super dicto Place feudo, inter dictum Anthonium de Pactis donatarium et Peregrinum de Pactis eius fratrem, asserente certis rationibus et causis dictum feudum ad se spectare, orta fuit lis et questio. Demum, amicis comunibus inter eos intervenientibus, dictus Peregrinus omnia iura que tenebat super dicto feudo, animo sibi preiudicandi quacumque ex causa, dicto Anthonio de Pactis cessit et renunciavit; promictens etiam quod Ioannellus et Euphemia eius filii, cum etatis essent perfecte, dictam cessionem ratificarent; sicuti in huiusmodi conventionis seu cessionis contractu, manu notarii Melchioris de Lippo XV Aprilis XIII Inditionis 1420 acto, continetur. Quem conventionis contractum quondam Anthonius de Cardona et Ferdinandus de Velasques, ac Martinus de Torres, tunc Regni Vicereges, eidem Anthonio et suis imperpetuum heredibus, eorum cum Viceregia provisione data Panhormi XX Maij XIII Inditionis 1420 et in regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 410 notata, cum clausula, scilicet, quatenus rite et recte facta fuerit etc. ratificarunt et confirmarunt.

Ipsoque Anthonio de Pactis defuncto, sibi in dicto casali sive feudo Place successit Ioannes Matheus de Pactis eius filius primogenitus, legitimus et naturalis. Qui iure Francorum a quondam Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, de ipso feudo, XXVIII

Januarii VIII Inditionis 1444 investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 238 notatam, reportavit.

Et inde idem Ioannes Matheus de Pactis de ipso feudo a quondam Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, VII Februarii II Inditionis 1453, aliam investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 572 notatam, reportavit.

Quiquidem Ioannes Matheus de Pactis de dicto Place feudo Thome de Pactis eius filio primogenito et naturali, propter nuptias donacionem et refutacionem fecit. Et sic idem Thomas a quondam Ioanne de la Nuça Regni Vicerege, pro se et suis heredibus iure Francorum, XI Aprilis III Inditionis 1500, de ipso feudo investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 97 notatam, consequutus fuit.

Et postmodum dictus Ioannes Matheus de Pactis nature satisfecit, a quo tempore usque ad presens, anno 1513 currente, feudum ipsum per eundem Thomam de Pactis possidetur, et reddit anno quolibet . . . , . . . . . 07 C.

Dictus vero Thomasius de Pactis de dicto feudo, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 f. 480; et iuravit reddere tantumdem.

Et mortuo dicto Thomasio, successit Blasius de Pactis eius frater. Quiquidem Blasius fecit donacionem Sicilie eius unice filie, uxori Bernardini la Rocca, qui cepit investituram a domino Comite de Monteleone Vicerege die XXII Novembris X Inditionis 1521, notatam in libro dicti anni in cartis 325; et iuravit reddere tantumdem.

Nihilominus est recte attendendum, quod prima facie dictum feudum sive casale per dictum Regem Federicum tertium prelibato magistro Joanni de Raynerio pro illo redditu tantum illarum unciarum viginti annualium super Regni Secrecijs per eum possessarum, concessum extitit. Dictum vero feudum semper reddidit uncias . . . annui redditus, adeo quod Regia Curia semper lesa fuit, et graviter fraudata. Videatur ergo si satisfactis et persolutis possessori ipsius feudi per Regiam Curiam anno quolibet dictas uncias viginti, Curia ipsa dictum feudum recuperare posset, sive superfluum repetere ultra dictas uncias viginti, et maxime quia redditus ipsius feudi multiplicasse non videntur industria expensis et laboribus possidendium.

**Serravalli, Bavusi, Sancti Andree, Roccamauri Joannis, Nissima, Podijs Russi, Charri, Callichuri, Cannitu, Fichu, Gibilscuri, Feuda.**

---

Cum de feudis Sancti Andree, Bavusi, et Rocce Mauri Ioannis, sitis et positis in valle Demine, ac feudis Serravalli, Nissima, Podijs Rubeis, Charri, Callichuri, Canneto, Ficu, et Gibilscuri, in valle Nothi existentibus, magno in Capibrevio, videlicet, de feudis Bavusi et Rocce Mauri Ioannis in cartis 941, 955; de reliquis vero feudis in cartis 955 satis diffuse dictum sit, hoc in loco de eisdem nihil dicendum esse proposui. Sed in omnibus, ad que eodem in magno Capibrevio disceruntur, me remicto.

---

**Pancaldum Feudum.**

---

Feudum Pancaldum nuncupatum, in valle Demine sive Melacij positum, Casale antiquum fuerat, et per quemdam de nomine de Pancaldo, ex concessione et confirmatione Serenissimi Regis Guilielmi, et exinde Serenissimi Imperatoris semper augusti patris Serenissimi Imperatoris Federici, de quibus nullus apparet titulus, possidebatur. Tandem feudum ipsum sive casale per quondam Serenissimum Imperatorem Federicum iuniorem cuidam Armano de Pancaldo, tanquam asserto legitimo descendenti suorum progenitorum de Pancaldo, et suis imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, et cum clausula scilicet: concedimus etiam et plenam tribuimus potestatem ut liceat tibi illos homines ad iddem casale de mandato nostre celsitudinis revocare, cui iure hereditario possessores ibi habere noscuntur; et si quis eorum illuc redire noluerit, potestatem habeas possessiones



alijs tribuere quos in eodem casali tuo volueris affidare etc.; quemadmodum in ipsius Imperatoris Federici privilegio, dato Rome anno Dominice Incarnacionis 1212 mensis Aprilis XV Inditionis, late patet.

Deinde autem predictum Pancaldum feudum in posse Petri Pancaldi messanensis pervenit; eoque defuncto, Iuliano Pancaldo eius filio cessit, qui asseruerunt a prelibato Armanno Pancaldo descendisse; tamen a morte prefati Armanni usque ad predictum Iulianum nulla reperitur investitura, sive alius actus. Tandem Iulianus Pancaldus antedictus pro se suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, de dicto imperiali privilegio cum illius inserto tenore a Serenissimo Infante Ioanne, tunc regni generali Vicario, pro dicto feudo, si et prout illo idem Iulianus melius usus fuerat, Regni Constitutionibus, militari servicio iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, XXV Iulij VIII Inditionis 1416 confirmationem in Regie Cancellarie libro anni 1415 in cartis 332 notatam, consequutus fuit.

Ipsaque Iuliano Pancaldo defuncto, sibi eodem in feudo Henricus Pancaldus eius filius legitimus et naturalis successit, qui pro se suisque imperpetuum heredibus a quondam don Lupo Ximem Durrea, Prorege, de ipso Pancaldo feudo sub consueto militari servicio, XX Octobris VIII Inditionis 1445, cum inserto tenore dictorum privilegiorum Imperatoris Federici et Infantis Ioannis investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 129 notatam, obtinuit.

Decedente postmodum prelibato Henrico Pancaldo, sibi in ipso feudo successit Iulius Pancaldus messanensis eius filius primogenitus legitimus et naturalis. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus de feudo Pancaldo antedicto, iuxta formam suorum privilegiorum, a Gulielmo de Peralta et Gulielmo Pujades, tunc Viceregibus, XXII Februarij X Inditionis 1477, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 19 notatam, reportavit.

Et mortuo dicto Iulio, successit sibi in dicto feudo Henricus Pancaldus eius filius, qui de dicto feudo etiam et dela Foresta obtinuit a quondam domino Ioanne de la Nuça, tunc Vicerege, investituram, die XI Aprilis II Inditionis 1499, notatam in libro Cancellarie dicti anni in cartis.....

In presentiarum autem, anno 1513 currente, dictum Pancaldum feudum per eundem Henricum de Pancaldo possidetur, et reddit annis singulis. . . . . 07 . . . .

Cepitque dictus Henricus Pancaldus de dicto feudo Pancaldo,

ob mortem domini Regis Ferdinandi, investituram a don Hectore Pignatello comite Montis leonis et regni Sicilie Locumtenente generali die XX Iunii V Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 in cartis 789, et iuvavit reddere . . . . , . . . . . 07 XV.

---

**Custi alias Carcachi Feudum.**

---

Feudum Custi alias Carcachi vulgo nuncupatum, in valle Demine et iuxta tenimentum Centurbii, casalis Placche, ac territorium Trahine positum, Serenissimo Rege Iacobo regnante, per sacrum Regium demanum antiquitus prosidebatur. Rex vero predictus eodem tempore quondam magistro Ioanne de Raynerio, medico, et suis imperpetuum heredibus, super morticiis et Regie Curie excadencijs, que prius ad Regias manus pervenire contigisset, in serviciorum per eum ei prestitorum recompensam et ut eidem Regi serviret, uncias viginti annualis redditus concessit; volens nec minus Rex ipse quod, dum morticia ipsa et excadencie ipsi Curie non devolverentur, magister Ioannes predictus easdem uncias viginti annualis redditus per se et suos heredes predictos super introytibus dohane maris Messane consequeretur, quousque morticia predicta sive excadencie sibi consignarentur; sicuti in ipsius Regis Iacobi privilegio, dato Cathanie IIII Aprilis 1292, diffusius continetur.

Mota ex adu lite coram tunc magistro Iusticiario et Magna Regia Curia inter eiusdem Regis Iacobi Fiscum Regium, et monasterium sancte Marie de Noaria super dicto feudo Custi alias Carcachi, ac feudo Petre russe, de quo inferius in cartis . . . verba fiunt. Tandem per dictum magistrum Iusticiarium, ac magnam regiam Curiam, servatis servandis, in favorem dicti regii Fiscus sententiatum extitit; postmodum autem causa eadem per appellacionis remedium eidem Regi Iacobo devoluta fuit, et datis eadem in appellacionis causa in Iudices Bonsignore de Ansalone et Roberto Calciamirra, legum doctoribus messanensibus, per illorum sententiam, prelibata magne Regie Curie sententia confirmata fuit. Unde Monasterium

predictum, illiusque fratres, beneficio in integrum restitutionis adiuti, de novo contra regiam Curiam predictam agere volentes, a dicto Rege Iacobo regias obtinuerunt provisiones, datas Barchinone idibus Octobris 1292, tunc Infanti Federico, Regis Iacobi antedicti fratri et regni Vicario, directas, quibus provisum extitit, super dicta lite iusticie complementum per eum partibus ministrare. Et casu quo regia Curia ipsa litis victoriam reportare contigisset, utique dictus magister Ioannes sui que heredes in recompensam et excambium dictarum unciarum viginti annui redditus, sibi per dictum Regem super proventibus dicte dohane maris intuitu servitorum, ut predictur, concessorum, in possessionem dicti feudi Custi alias Carcachi immicteretur, sub his verbis scilicet: de provisione dictarum unciarum viginti facta in antea, donec sibi predictum feudum vel equivalens excambium assignetur, solvi et exhiberi mandetis iuxta ipsarum licterarum nostrarum continenciam et tenorem etc. Unde manifeste apparet, qualiter dicto magistro Ioanni de Raynerio dictum unciarum viginti annualium, et non ultra, excambium concedi debebat. Postremo autem post latas sententias in favorem semper dicte Regie Curie, ex conventionem vel aliter feudum ipsum Custi alias Carcachi ad regium devenit demanium; prenomiatum vero feudum Petre Russe dicto monasterio sancte Marie de Noaria cessit. Et sic, dictarum regiarum licterarum vigore, prefatus magister Ioannes de Raynerio pro se suisque imperpetuum heredibus prelibatum feudum Custi alias Carcachi pro dicto annuo redditu unciarum viginti, ipsi et suis heredibus, virtute predictarum regiarum licterarum eidem Infanti Federico Vicario missarum, consequutus fuit; quemadmodum in dicti Infantis Federici privilegio, dato Messane II Aprilis VII Inditionis 1294, late patet. Quod quidem privilegium dictus Rex Iacobus eidem magistro Ioanni de Raynerio, suisque imperpetuum heredibus, sub recognitionem tantum tarenem unius per eum et dictos suos heredes anno quolibet pro qualibet uncia dictarum unciarum viginti Regie Curie solvendi, Regia fidelitate mandato et ordinatione, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, acceptavit et confirmavit; pro ut in eius Regio privilegio, dato Carse VII kalendis Octobris 1294, continetur.

Quiquidem magister Ioannes de Raynerio, dum vixit, feudum ipsum Custi tenuit et possedit; eo que defuncto, sibi eodem in feudo Sarracena eius filia, de qua nulla apparet investitura, successit.

Ipsaque Sarracena decedente, sibi in dicto feudo successit Bartolomia eius filia legitima et naturalis, de qua etiam nulla apparet in Cancellaria investitura.

Mortua postmodum prelibata Bartolomia, sibi in dicto Custi alias Carcachi feudo successit Ioannes Spatafora eius filius. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus de ipso feudo a quondam don Lupo Ximenem Durrea Prorege, sub prestacione dicti tarenii unius pro qualibet uncia dictarum unciarum viginti, anno quolibet dicte Regie Curie solvendi, prestito sacramento et homagio iuxta sacrarum Constitutionum imperialium continenciam et tenorem, ac iuxta formam privilegii dictorum Regis Iacobi et infantis Federici cum inserto tenore dictorum trium antiquorum privilegiorum, XXI Iulii prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 545 notatam, reportavit.

Defuncto exinde prefato Ioanne Spatafora, sibi in dicte Custi feudo alias Carcachi successit Ioannes Spatafora, eius filius naturalis, et cuiusdam eius serve nomine Marina, que postea ab ipso Ioanne Spatafora, eius patre, libera effecta est; quam successionem dictus Ioannes Spatafora iunior, tam ob subsequens matrimonium inter dictum Ioannem Spatafora seniore et prefatam Marinam contractum; quam ob legitimacionem per eundem Ioannem Spatafora, iuniorem, a Serenissimo Rege Alfonso ad dictum feudum consequendum obtentam, nactus extitit.

Habituque postmodum inter dictum Ioannem Spatafora legitimum ex una, et Rogerium Spatafora ac Petrum Spatafora, ut cessionarios et donatarios quondam Petri de Spatafora parte ex altera, alteracione, pretendentibusque dictis donatariis et cessionariis prefato Ioanni Spatafora legitimo non esse concedendam de dicto feudo investituram; fuit per magnam Regiam Curiam sententialiter provisum, quod dicto Ioanni Spatafora legitimo dicta concederetur investitura; nullo tamen propterea generato preiudicio eisdem Rogerio et Petro Spatafora in eorum iuribus, sicuti in ipsa sententia lata XX Decembris V Inditionis 1456 continetur. Unde per quondam comitem Russum Spatafora, tunc Regni Presidem, eidem Ioanni Spatafora legitimo, ut supra, suisque imperpetuum heredibus de dicto Custi alias Carcachi feudo, sub dicta tarenii unius pro qualibet uncia dictarum unciarum viginti prestacione, anno quolibet dicte Regie Curie solvendi, investitura concessa extitit: quam prestacionem dicti annui census prefatus Ioannes Spatafora per se et suos heredes predictae Regie Curie annis singulis solvere se sponte obtulit et promisit; prestans iuramentum et homagium iuxta regni Constitutiones, ac iuxta formam dictorum privilegiorum regis antiquis regalijs, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis; quemadmodum in ipsa investitura, cum inserto te-

nore dictorum privilegiorum, data Panhormi XXII Decembris V Inditionis 1456, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 156 notata, hec et alia late patent.

Exinde vero dictum feudum Custi alias Carcachi in posse quondam Raynaldi Spatafora pervenit, de quo nulla in Cancellaria reperitur investitura, et ideo ratio dari non potest quo iure in eo successerit.

Decedente demum absque filiis predicto Raynaldo Spatafora, sibi in dicto feudo successit Bartolomia eius soror. Que pro se suisque imperpetuum heredibus, iuxta formam sui privilegii, de dicto Custi alias Carcachi feudo a quondam Raymundo de Sancta Pace et Ioanne Valguarnera, tunc regni Presidentibus, II Februarii III Inditionis 1484, investituram, in Regie Cancellarie libro annorum. 1484-1485 in cartis 326 registratam, consequutus fuit.

Postremo autem Bartholomia predicta cum Anthonio de Belloch matrimonium contraxit, cui feudum ipsum in dotem apportavit, et per ipsos iugales hodie, anno 1513 currente, possidetur et reddit anno quolibet . . . . . 07 CXVII

Dictus vero Anthonius Belloch, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de dicto feudo a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII Ianuarii V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 434; et Blasius de Bonascontro, eius procurator, in animam constituentis iuravit dictum feudum reddere tantumdem.

Nihilominus, cum semel constet predictum Custi sive Carcachi feudum ob regiarum regaliarum excadencias quondam magistro Ioanni de Raynerio medico et suis imperpetuum heredibus pro reddito unciarum viginti, sub prestacione tarenis unius pro qualibet uncia dictarum unciarum viginti, anno quolibet Regie Curie solvendi, in excambium et recompensam illarum unciarum viginti annui redditus, sibi concessarum, ut predicatur, super cabella dohane maris Messane, fuisse concessum; et ad presens feudum ipsum anno quolibet reddit ultra uncias . . . . . videndum est si, persolutis possidenti dictum feudum dictis unciis viginti annui redditus, reliquum redditus dicti feudi Regie Curie acquiri posset; nam pro eodem reddito unciarum viginti ut predicatur concessum fuit, cum precipue in vim Pragmatice *Post Bella* vocate videatur, quod serviciis per dictum magistrum Ioannem de Raynerio medicum prestitis satisfactis, Regia Curia ipsa dictum feudum sibi revocare posset.

Aliud preterea apparet inconveniens, videlicet, quod per antiqua privilegia prenominatorum Regis Iacobi et Infantis Federici,

que sunt verus dicti feudi titulus, feudum ipsum pro reddito unciarum viginti sub recognitione et solucione dicti tarenis unius pro qualibet uncia, que summam capit tarenorum viginti anno quolibet, concessum extitit; et a dicto anno 1294 usque ad hodiernum, anno 1513 currente, per quod tempus anni fere 219 connumerantur, nulla solucio reperitur de dicta annua solucione redditus Regie Curie facta; quo casu possessorem in commissum incidisse dici potest. Nihilominus in duabus illis investituris per dictos don Lupum Ximenem Durrea Proregem, et comitem Russum Spatafora Presidem, utrique Ioanni Spatafora concessis, continetur pactum et condicio solvendi annis singulis dicte Regie Curie tarenum unum pro qualibet uncia redditus dicti feudi. Et sic, cum feudum ipsum maiorem summam dictarum unciarum viginti, ut prefertur, reddat, ad maiorem summam dictis tarenis viginti annualibus teneatur; licet ignorem qua cum honestate investituram ipsam decantare voluerunt tarenum unum pro qualibet uncia redditus, cum feudum ipsum ab antiquo pro unciis viginti concessum extiterit; nam pro totidem, videlicet pro unciis viginti, investitura predicta concedi debebat, et non secundum annuos redditus dicti feudi cum maiorem reddat summam.

---

**Petra Russa Feudum**

---

Feudum Petra Russa nuncupatum, in valle Demine existens, de quo superius in capitulo feudi Custi alias Carcachi in cartis. . . verba feci, in posse Monasterii sancte Marie de Noharia, in vim accordii et conventionis inter tunc regium Fiscum et Syndicum et yconomum et procuratorem dicti Monasterii facte, remansit; dictum vero feudum Custi alios Carcachi Regie Curie cessit, quod ita in rey veritate processisse videtur. Nam a tempore prefati Regis Iacobi usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, in Regie Cancellerie archivo nullum de dicto feudo Petre Russe reperitur privilegium, actusve, sive scriptura; et hoc quia, cum Monasterium numquam moritur, de feudis investituras capere non tene-

tur, nisi ob Regum mortem. Sed cum, a tempore quo feudum predictum eidem Monasterio cessit, plures Reges Vestre Catholice Maiestatis progenitores obierint, et ob illorum mortem investituras aliquas Monasterium ipsum cepisse non apparet; evenire tamen potuisset, quod ipsum Monasterium ex principis privilegio a cognitione et militari servicio exemptum fuisset, dico quod nisi ostensio fieret ipsum Monasterium ex Principis privilegio a regali cognitione et militari servicio seu alio censu Regie Curie debito exemptum fuisse et esse; ex quo semel apparet quod Petra Russa dicitur feudum, in feudorum Rollo feudum predictum Petre Russe poni debet, ut recognoscatur eidem fuisse et esse militari servicio obnoxium et obligatum.

---

**Francavilla Feudum, Olivetum Curie, Molendinum  
in Monte Albano.**

---

Feudum Francavilla et Olivetum Curie, in valle Demine et territorio Mistrecte, nec non molendinum quoddam in territorio Montis Albani iuxta terras di lu Spiruni posita, prout infra patebit, possessa extitere; feudum namque ipsum de Francavilla per quondam comitem Blascum de Alagona antiquitus detinebatur. Qui exinde contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuisset, feudum iddem Regie Curie devolutum fuit; ipsique Reges illud quondam Gulielmo Poncij eorum cum regio privilegio, dato Leontini XXVIII Septembris prime Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie annorum 1388-1392 in cartis 94 notato, concessere.

Qui Gulielmus, cum non esset huius Regni incola et habitator, feudumque predictum propterea penes se retinere non posset; Reges ipsi, annullata prius ipsa concessione prefato Gulielmo Poncij facta, feudum prelibatum quondam Pino Campulo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, una cum omnibus aliis bonis stabilibus, feudalibus et burgensaticis, ubique in regno existentibus, et signanter in civitate Agrigenti; tam si sint predia rustica, quam

urbana, corporalia et incorporalia, que fuere Federici de Aloysio militis Agrigentini notorij rebellis, et in huiusmodi rebellione pertinaciter defuncti; concesserunt, non obstantibus quibuscumque remissionibus et indulgentiis, ac in integrum restitutionibus dicto rebeli forte faciendis; ac cum clausula, quod Regia Curia in casu evictionis eidem Pino de equivalenti excambio teneretur, nec non cum conditione, quod si forte ipsi Pino per eosdem Reges alia bona feudalia vel burgensatica, seu annuales redditus in pecunia concessa fuissent, preter presentem concessionem, ac concessionem feudi Sancti Bartholomei, et cuiusdam molendini in Monte Albano ac aliarum unciarum XXIV in civitate Messane, eo quia de ipsa vel ipsis in dicto privilegio mentio facta non extitit; concessio ipsa dicti feudi de Francavilla et honorum predictorum prefati Federici de Aloysio ut supra, tanquam surrepticie impetrata, iuxta Regias ordinationes utique cassa, irrita et nulla, nulliusque efficacie et momenti haberetur; sicuti in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie III Novembris V Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 130 notato, hec et alia diffusius enarrantur.

Cumque ego ulterius perquirerem ut intelligere possem, quinam prelibato Pino Campulo in dicto feudo de Francavilla successerint, nullum actum, nullamque investituram de successione in eodem feudo vel illius possessione inveni. Verum in anno 1453, Serenissimo Rege Alfonso regnante, quoddam ab eo emanavit privilegium, quoddam aliud Regis ipsius invocatis, privilegium quod in Cancellaria non reperitur; sed tantum, ut predicatur, in illo nominatur et in eo mentio fit, Regem ipsum quondam Iacobo de Agnello, suisque heredibus, certis bonis respectibus, prelibatum Regie Curie Olivetum, ac iura predicti feudi de Francavilla concessisse; per quod Rex ipse Alfonso prefato Iacobo de Agnello suisque heredibus et successoribus dictum Olivetum ac iura predicta prefati feudi de Francavilla, iuxta formam sui privilegij, ratificavit et confirmavit; quemadmodum in ipso Regio privilegio dato in Castris prope Sanctum Ioannem de Incarrico, XXVI Septembris II Inditionis 1453, de quo Viceregia emanavit executoria notata in Regie Cancellarie libro rationum dicti anni in cartis 80, latius exprimitur.

Sed cum dictum primum privilegium eiusdem Regis Alfonsi ipse non viderim, rationem dare nequeo, quomodo feudum ipsum de Francavilla a dicto Pino Campulo eiusque heredibus defecerit, et ad ipsum Regem Alfonso devenerit, ut illud prelibato Iacobo



de Agnello traderet; et ideo est aliquid capiendum expediens, ut Regie Curie de premissis certitudinem reportet.

Quiquidem Iacobus de Agnello cum inculpatus fuisset, se, tanquam terre Mistrecte Capitaneum, quendam Macioctam de Agnello tunc terre ipsius Iuratam interfecisse, et propterea bampno subpositus extitisset, ac deinde per magnam Regiam Curiam ob lapsum anni forjudicatus fuisset, omniaque illius bona, ac feudum predictum de Francavilla Regie Curie ob id devoluta haberentur; Serenissimus Rex Ioannes, tui Regij Culminis Genitor, feudum ipsum Georgio de Lombardo, eius actenctis serviciis, suisque heredibus, ita quod masculus feminis preferatur, una cum predicto Regie Curie Oliveto, sub feudali natura iuxta regni Constitutiones, videlicet sub servicio unius equi armati aut unciarum viginti redditus ipsorum feudi et Oliveti Regie Curie cum casus eveniret prestando, concessit; prout in eius Regio privilegio dato Cesarauguste in anno 1463 contineri asseritur. Qui Georgius cum exposuisset, se dictum precalendatum privilegium hoc in Regno quondam Paulo l'Agnello, tunc viventi, ut de illo viceregiam executoriam obtineret, transmississe; ipsumque Paulum, non tantum privilegium predictum presentare postposuisse, verum etiam ipsum feudum ceteraque bona prefati Iacobi de Agnello forjudicati, certo precio, puplico mediante contractu, manu notarij Petri de Ioffredo celebrato, emisse; nonnullas alias Regias provisiones, datas Dertuse in anno 1469 super assecutione dictorum feudi de Francavilla et Oliveti, reportavit. Et conferens se inde ad Regnum, cum inveniret dictum Paulum de Agnello defunctum fuisse, ipsaque feudum et Olivetum in posse Alfonsi de Agnello filij et successoris prelibati Pauli extare, contra ipsum Alfonsum illius possessorem litem movit. Et tandem uterque ad concordiam devenit, et solutis per dictum Georgium Lombardum prefato Alfonso Agnello in pecunia in quibusdam cathamenis unciis centum; Alfonsus ipse eidem Georgio liticessit, illique dicta feudum et Olivetum renunciavit, liberavitque Regiam Curiam ab evictione ad quam ipsi Alfonso Curia ipsa forte teneretur; prout de huiusmodi concordia puplico contractu, per quondam notarium Iacobum de Randisio Panhormitam XII Aprilis III Inditionis 1470 celebrato, patet; quem contractum in anno 1476 idem Rex Ioannes prefato Georgio Lombardo, suisque heredibus sub dicto militari servicio, acceptavit et confirmavit. Tandem eidem Georgio suisque imperpetuum, heredibus tam eundem contractum, quam prelibatam regiam confirmationem vestra Catholica Maiestas laudavit et approbavit, ac predicta feudum et Olivetum, sub feudali

natura, iuxta regni Constitutiones, eius cum regio privilegio dato Granate XVII septembris III Inditionis 1499, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XVIII Augusti X Inditionis 1500, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 33 notata, iuribus aliis Regie Curie, si que sunt, semper salvis, de novo concessit.

Ipsoque Georgio Lombardo defuncto, sibi in eiusdem feudo de Francavilla et Oliveto successit Vincentius Lombardus eius filius legitimus et naturalis, qui a tunc Regni Prorege de eisdem investituram in Regie Cancellarie libro anni 1502, VI Inditionis, in cartis 273 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, feudum ipsum Francavilla cum dicto Oliveto per dictum Vincentium Lombardum possidetur, et reddunt anno quolibet . . . . . 07. XX.

De feudo Francavilla etiam inferius in cartis. . . verba fiunt.

De quo feudo dictus Vincentius Lombardus et Oliveto a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram, ob mortem domini Ferdinandi Regis, die XVII Ianuarij V Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 in cartis 377; et iuravit reddere tantundem.

Nihilominus, sive dictus Georgius Lombardus feudum ipsum cum dicto Oliveto pro serviciis per eum Regie Curie prestitis, sive ex oneroso titulo pro solutione dictarum unciarum centum habuerit, per Regiam Pragmaticam Post Bella vocatam forma datur; quo pacto, sive solutis possessori dicti feudi serviciis antedictis, habito respectu ad rem concessam, quanti erat valoris tempore eius concessionis, nam tantundem dicta servicia valuisse presumitur; sive dictis unciis centum satisfactis, Regia Curia ipsa dicta feudum et Olivetum sibi revocare posset. Nec propterea restat quin videntum sit pro Curie cautela, quo iure feudum ipsum a prefato Pino Campulo suisque heredibus defecerit; licet prenominato Iacobo Agnello per dictum Regem Alfonsum dictum Olivetum Curie Mistrecte et iura feudi eiusdem de Francavilla concessa extiterint: que iura an totum corpus et dominium feudi ipsius comprehendant percipere nequeo. Et quia primum privilegium Regis Alfonsi eidem Iacobo Agnello concessum non apparet, rationem dare non valeo, que, qualiave sint huiusmodi feudi iura. Nam quando per Principes feuda conceduntur, feuda ipsa cum eorum terminis, limitibus, iuribus et pertinentiis nominant, non tamen iura feudorum; quomodo ergo propter delinquentiam dicti Iacobi de Agnello, habentis ex concessione dicti Regis Alfonsi prelibata iura ipsius feudi de Francavilla, prenominatus Georgius Lombardus totum dictum feudum sibi impetrare potuit, asserens illud Regie Curie ob forjudi-

cationem dicti Iacobi de Agnello devolutum fuisse? Qui Iacobus realiter concessionem iurium feudi ipsum tantum obtinuerat, et non totum dictum feudum. Tamen meliori iudicio me semper remicto.

---

**Molendinum in Monte Albano.**

---

De Molendino autem Regie Curie in Monte Albano iuxta terras di lu Speruni posito, dico, quod in concessione per dictos Reges Martinum et Mariam prenominato Pino Campulo de feudo predicto de Francavilla facta, de ipso molendino specialis fit mentio. Quod quidem molendinum, existente terra Montis Albani, in posse Regij demanij, Reges ipsi prefato Pino Campulo suisque imperpetuum heredibus et successoribus liberum et exemptum ab omni onere seu prestacione servicij, non obstante quod sit de membris et iuribus secretie dicte terre, concesserunt; sicuti in eorum Regio privilegio, dato Messane in anno 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 70 notato, late patet.

Et licet terra eadem Montis Albani in baroniam exinde concessa fuerit, tamen illius res et membra per retropricipes concessa reservantur; quin vero evenisset, quod linea dicti Pini de Campulo defecisset. Actendum est, quod dictum molendinum, tanquam res reservata in baronum privilegiis, et ante concessionem dicte terre in baroniam factam, concessa, Regie Curie et non ipsi baroni restitui deberet; hec enim dico, quia vereor, cum feudum ipsum de Francavilla et Olivetum prelibatum dicto Iacobo de Agnello concessum extiterit, et non appareat quo iure a dicto Pino de Campulo defecerit, ne Pinus ipse absque heredibus decesserit.

---

**Mendula, Iacii sive Planu di li Mendeli.  
Territorium.**

---

Territorium sive terre pecia la Mendula, sive lu Planu di li Menduli nuncupatum, in valle Demine et territorio terre Iacii in contrata Molendinorum certis finibus limitatum existens, apud regium demanium antiquitus fuerat. Serenissimusque Rex Federicus, tunc minor, territorium ipsum tanquam terre peciam salmatarum duarum et medie vocatam la Mendula quondam magistro Nathali Lancea Messanensi, tunc magistro notario officij Prothonotarij, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub solucione iuris decime tantum, cum in illa vineam plantare voluisset, concessit.

Deinde vero idem Rex Federicus sub dicta decime solucione prelibato magistro Nathali, dictisque suis heredibus, quandam aliam terre peciolam, tum minorum fere quinque, dicte alie pecie terre sibi concessit, ut supra, contiguam; cum clausula tamen fidelitate nostra heredum et successorum nostrorum in eodem Regno Curie nostre, et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis etc. etiam concessit; sicuti quibusdam in patentibus regiis eiusdem licteris in Regie Cancellarie annorum 1360-1366 in cartis 345 notatis, latius continetur.

Cumque exinde dictus Rex Federicus ad perfectam pervenisset etatem, eidem magistro Nathali Lancee dictisque suis heredibus, ut supra, terras easdem iterum et de novo concessit; nec non et eidem graciose concessit facultatem irrigandi terras easdem cum aquis Regie flumarie, scilicet, molendinorum territorij dicte terre Iacij, libere et absque alicuius iuris solucione Regie Curie seu cabellotis, vel credenceriis dictorum molendinorum facienda; quemadmodum in aliis regiis ipsius patentibus licteris datis Cephaludi XV Decembris XIII Inditionis 1360, late patet. Qui magister Nathalis, dum vixit, terras easdem cum dicta aquarum irrigacione, ut supra, tenuit et possedit.

Defuncto demum prelibato magistro Nathali Lancea superstite, et sibi succedente Raynaldo Lancea eius filio legitimo et naturali,

terre ipse per legitimam personam ipsius Raynaldi, quondam Anthonio de Noharia cathaniensi, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, pro precio unciarum viginti, publico mediante contractu manu notarij Petri de Aquila cathaniensis XI Maij XIII Inditionis 1391 celebrato, vendite fuerunt. Quam venditionem ipsarum duarum terre peciarum, cum dicta irrigatione aquarum predictae flumarie, molendinorum Iacij, Serenissimi Reges Martinus et Maria eidem Anthonio de Noharia suisque imperpetuum heredibus et successoribus, cum dicto iuris decime onere Regie Curie solvendo de eo quod plantatum vel factum fuerit in eisdem terris, acceptarunt et confirmarunt; volentes nec minus Reges ipsi, quod dictus Anthonius de Noharia de ipsis terris et earumdem irrigatione pro sue libito voluntatis facere posset, easque vendere, donare, alienare, permutare, et pro anima adjudicare valeret; quemadmodum eorum in Regio privilegio, dato Cathanie XV Aprilis V Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro annorum 1393, 1396, 1397, in cartis 209 notato, exponitur.

Nihilominus attendendum est, quod primus dictarum terrarum titulus fuerat eidem acquiritori pro se et heredibus suis, eius de corpore legitime descendentibus, concessus; et quod propterea Raynaldus Lancea antedictus in successorum primi acquiritoris terrarum ipsarum prejudicium terras ipsas vendere non poterat. Preterea cum in privilegio dictorum Regum Martini et Marie concessionis dictarum terrarum in illa ampla forma facte, nulla fit mentio, quod primus titulus concessus dicto primo acquiritori fuerat in stricta forma concessus, firme teneo, dictum Regis Martini privilegium surrepticie impetratum extitisse. Est nec minus attendendum, quod potestas vendendi, donandi, alienandi, permutandi, et pro anima adjudicandi dictas terras, fuit dicto Anthonio la Nohara emptori illarum concessa; et sic ignoro, an in heredes transire possit. Nihilominus, perquisito per me capitulo Regie Secrecie civitatis Cathanie, in Regni Secreciarum Capibrevio in cartis. . . . notato, nullum inveni introytum dictis iuris decime sive terragij dictarum terrarum di la Mendula sive di lu Plano di li Menduli. Et ideo credendum est, cum dicta terra Iacij in feudum pignorata existat, illius forte baronem dicta iura decime sive terragij occupata detinere, nisi forte per tuam Catholicam Maiestatem, dum ipsius terre revendicio non succedit, iura ipsa eidem baroni concessa extitissent; et ideo pro Curie cautela discutiatur veritas.

### **Cropani Territorium**

---

Territorium li Cropani nuncupatum, in valle Demine et Plano Melacij, secus pantanum et secus Sanctum Nicholaum de Buxello, ac Cubam et palacium terrasque Scale positum, de Regie Curie ac Regij patrimonij iuribus fuerat. Illudque Serenissimi Reges Martinus et Maria quondam Lodovico de Aragonia militi, tunc Regni magistro Rationali, pro serviciis per illum eis prestitis circa Regni recuperacionem, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus imperpetuum, eorum cum Regio privilegio dato Messane V Decembris V Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 132 notato, concesserunt et graciose donarunt.

A quo quidem tempore citra usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullum in Regia Cancellaria de dicto territorio privilegia, aliave scriptura reperitur, et sic ratio dari non potest, in cuius posse in presentiarum existat. Sed quia evenire posset, quod genelogia et descendentia dicti Ludovici de Aragonia esset extincta, quo casu territorium ipsum Regie Curie devolutum foret, est actendum, quinam illud possideat; et quo titulo per eum possideatur pro Curie cautela.

---

### **Iarrecta sive Barca Fluminis Terre Paternionis.**

---

Iarrecta sive Barca fluminis terre Paternionis vallis Demine, sive illius iura redditus et proventus, quia terra ipsa sacri Regij Demanij antiquitus fuerat, de membris et iuribus Regie Secrecie terre eiusdem erat. Cum tamen Serenissimus dux Ioannes de Aragonia, de Regio sanguine sacre Aragonum domus, terram Pater-

nionis eandem exinde teneret et possideret; illam tanquam dominus et patronus eiusdem cum eius iuribus ex causa dotis, quondam Nuchifore mulieri et Raynaldello de Grifis eius domicellis et familiaribus, concessit. Qui Iarrectam ipsam usque ad eiusdem Raynaldelli obitum tenuerunt et possiderunt.

Ipsaque Raynaldello defuncto, Nuchifora mulier predicta, ad secunda vota conuolans, cum Andrea di Finochara matrimonium contraxit, cui dictam Iarrectam apportavit.

Mortua postmodum Nuchifora antedicta, dicto Andree Finochara, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus imperpetuum, Iarrectam predictam Serenissima Regina Maria accepit et confirmavit, ac de novo concessit; et licet de dictis membris et iuribus Regie Secrecie dicte terre Paternionis esset, gracie donavit, actencto quod Iarrecta ipsa ab eadem Secrecia ex causa dicti matrimonij semel segregata fuerat.

Inter id autem temporis, cum Andreas Finochara prelibatus cum eadem Regina Maria ad Aragoniam se contulisset, et in ipsius Regine serviciis ibi moram traxisset, bellorum discriminibus hoc in Regno vigentibus, Iarrecta predicta per quondam Artalem de Alagona, occupativo modo, per certum tempus detenta fuit. Reversa tandem Regina predicta una cum Serenissimo Rege Martino eius consorte ad regnum, Iarrectam antedictam prelibato Andree Finochara, eo quod eorum regiis serviciis vacaverat, restitui fecit.

Sed patrata exinde per dictum Andream de Finochara contra Reges eosdem rebellione, et ob illam ipsius Andree bonis Regie Curie devolutis, Iarrectam eandem cum eius iuribus quondam Baltrando de Lancea suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, in feudum, sub consueto militari servicio, Reges ipsi concesserunt; cum clausula tamen quod dictus Beltrandus singulas gracias sibi per Sicilie Reges super iuribus cuiusvis Secrecie, sive super quibus tractis et exituris portuum et maritimarum regni factas, in Regie Curie manibus renunciabat; sicuti in eorum regio privilegio dato Cathanie II Marci VI Inditionis 1397, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 93 notato, continetur.

Hic vero Beltrandus Lancea Iarrectam ipsam cum illius iuribus quondam Iacobo de Aricio, tunc Regni Prothonotario, pro certo precio vendidit. Qui Iacobus, ut superius in capitulo feudi Comitini, in cartis . . . notato, late dixi, Iarrectam ipsam cum Furtugno de Carioso pro eodem feudo Comitini permutavit. Sed cum vereretur, ne iusticia suadente Iarrecta eadem ab eo deficeret; Regibus predictis expsouit, qualiter dictus Andreas de Finochara ipsius

Iarrecte primus acquisitor, illam pro certa pecunia dicto quondam Beltrando Lancea, regio mediante consensu, concesserat; et quod licet idem Andreas, ob falsam suggestionem quondam Gulielmi Raymundi de Montecatheno et filiorum eius, in rebellionem incidisset, tamen Andreas ipse ab inde ab eisdem Regibus remissus et in integrum restitutus fuerat, et signanter in dicta Iarrecta, quam exinde de regio consensu, ut supra, prefato Beltrando Lancea concesserat. Et sic Reges ipsi, ne imposterum super dicta permutacione aliquod forsitan oriretur dubium, permutacionem ipsam eisdem Iacobo d'Aricio et Furtugno de Carioso, eorumque heredibus ipsorum de corpore legitime descendentibus, pro feudo ipso Comitini et Iarrecta predicta iterum acceptarunt et confirmarunt, et eis, si qua iura in eisdem Regibus ipsis competeret, graciosè dederunt; et sub dicto consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, alio cum eorum regio privilegio, dato Cathanie XV Novembris X Inditionis 1402, et in Regie Cancellarie libro anni 1401 in cartis 107 notato, de novo concesserunt.

Defuncto postmodum dicto Furtugno de Carioso, sibi in dicta Iarrecta successit Andreas de Carioso eius filius legitimus et naturalis, ac maior natu, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, de ipsa Iarrecta, XXI Novembris II Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 721 cum inserto tenore dictorum privilegiorum notatam, obtinuit.

Decedente imposterum dicto Andrea de Carioso, sibi in eadem Iarrecta successit Alfonsus de Carioso. Qui de illa, nec non de feudis lo Cannito, lu Taruso, et terri di la Revocata, de quibus inferius in cartis 678 verba fiunt, pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam privilegiorum a tunc regni Prorege, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis vestre Catholice Maiestatis genitoris et felicissimam successionem tui regij culminis, XIII Ianuarij XIII Inditionis 1479, investituram, in Regie Cancellarie libro supradicti anni in cartis 297 notatam, consequutus fuit. Sed cum dictus Alfonsus non se investiverit ob mortem suorum progenitorum, ratio dari non potest, an ipse Alfonsus predicti Andree filius fuerit, an non.

Ipsaque Alfonso Carioso e vita migrante, Iarrecta predicta una cum aliis supra expressis in posse quondam Ioannis Anthonij de Carioso, de quo nulla apparet investitura, ut percipi, devenit.

Quo Ioanne Anthonio nature satisfaciente, Iarrecta ipsa ac alia



preexpressa feudalia ad Alfonsum de Carioso illius filium pervenerunt, qui de illius minus investituram capere curavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudalia ipsa per dictum Alfonsum possideri asseritur. Que Iarrecta anno quolibet reddit. . . . . 07. . . . .

---

**Cannetum, Tarusu, Terre Revocate Feuda.**

---

Feuda lu Cannitu, lu Tarusu et terre sive territorium di la Revocata, in valle Demine et territorio terre Paternionis, in contrada di Panzanisi, in flumine magno et in medio Tarusorum vocatorum domine Margarite et Sancti Ioannis, existencia; de membris et iuribus Regie Curie antiquitus fuerant. Que quondam Fortugno de Carioso, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, Serenissimi Reges Martinus et Maria, sub consueto militari servicio, in excambium et recompensam infrascriptorum bonorum; scilicet, unius tenimenti domorum, et vinee unius, ac unius oliveti Ioannis de Medico de Leontino, nec non alterius tenimenti domorum et unius viridarij Nicholai de Medico de dicta terra, uniusque plante Anthonij de Blanco; que bona per predictorum patronorum rebellionem Reges ipsi eidem Fortugno donaverant, illius prius dicte Regie Curie restitutis, eorum cum regio privilegio dato Cathanie VI Marcij prime Inditionis 1393 concesserunt.

Quo Fortugno de Carioso defuncto, sibi in dictis feudis successit Ioannes de Carioso eius filius legitimus et naturalis, de quo non apparet in Regia Cancellaria investitura.

Ipsoque exinde ab intestato et sine filijs decedente, quondam Thomas de Carioso, Constancia uxor quondam Anthonij de Tudi-sco, Andriana uxor quondam Laurencij Sticcia, et notarij Brancas de Alexandro, ac heredes sui, in quos iudicium ob mortem quondam Anthonie transfusum fuerat, frater et sorores quondam Andree de Carioso, filij dicti quondam Fortugni, asserentes bona ipsa dividi debere. Tandem per magnam Regiam Curiam decisum extitit, bona eadem tanquam feudalia ad eundem Andream de Carioso,

tanquam filium dicti Fortugni primi acquisite, spectare. Quapropter dictus Andreas de Carioso, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descenditibus, sub consueto militari servicio, de ipsis feudis Canneto, Tarusio et territorio de la Revocata a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, cum inserto tenore privilegij dictorum Regum Martini et Marie, XXVI Novembris II Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 724 notatam, reportavit.

Mortuo postmodum dicto Andrea de Carioso, sibi in dictis feudis successit Alfonsus de Carioso. Qui de illis, nec non de Iarrecta fluminis Paternionis, de qua superius in cartis . . . facta sunt verba, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descenditibus, sub consueto militari servicio, iuxta formam suorum privilegiorum, a tunc Regni Prorege, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis tui Regij Culminis genitoris et tuam felicissimam successionem, XIII Ianuarij XIII Inditionis 1479, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 297 notatam, obtinuit. Quam cum non ob mortem eius progenitorum cepisset, rationem dare nequeo, si prelibati Andree de Carioso fuerit filius.

Quo Alfonso e vita migrante, feuda ipsa cum Iarrecta ad Ioannem Anthonium de Carioso pervenit, ut percepi, qui non apparet investituram accepisse.

Ipsoque Ioanne Anthonio nature salisfaciente, feuda ipsa atque Iarrecta ad Alfonsum de Carioso eius filium devenit. Qui de illis investituram adhuc obtinere postposuit.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, feuda ipsa per dictum Alfonsum de Carioso possidentur; que annis singulis reddunt . . . . . 07 . . . .

---

**Scaliti Feudum.**

---

Feudum Scaliti nuncupatum, in valle Demine et Plano Melacij ac tenementis terrarum Trippi et Nucario positum, per quondam Gulielmum Raymundum de Montecatheno melivetanum Marchio-  
BARBERI — *Capibrevi* — Vol. I. 22

nem et Ioannem de Montecateno eius filium, de quibus titulus non apparet aliquis, antiquitus possidebatur. Qui de Montecateno eorum tempore fidelitatis quondam Francisco de Armaleone mesanensi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum, feudum ipsum concesserunt et donarunt. Quam donacionem Serenissimi Reges Martinus et Maria, post rebellionem per dictos de Montecateno contra eosdem Reges patratam, dicto Francisco de Armaleone suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, antiquis regijs regalijis, Regni Constitutionibus, iurisbusque Regie Curie semper salvis, sub consueto militari servicio, eorum cum regio privilegio dato Cathanie XXVIII Aprilis VI Inditionis 1398, et in Regie Cancellarie libro anni 1397 in cartis 127 notato, acceptarunt et confirmarunt.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1397 usque ad annum 1483, per quod tempus anni fere octuaginta sex connumerantur, nullum alium actum de dicto Scaliti feudo, investituramve inveni. Tamen in libro anni 1482 in cartis 497 quedam reperitur investiture nota xxvii Maij prime Inditionis dicti anni 1483 per Nicholaum de Armaleone, tanquam tutorem Petri de Armaleone, filij quondam Francisci de Armaleone, de dicto feudo, ob mortem dicti Francisci eius patris, pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, capta. Et nihilominus in ea nulla fit mentio, si dictus Franciscus de Armaleone, cui prefatus Petrus in eodem Scaliti feudo successit, ille fuit Franciscus primus dicti feudi acquisitor, in cuius personam privilegium predictorum Regum Martini et Marie celebratum extitit. Nam mihi quodammodo impossibile videtur, ob temporis diuturnitatem, illum fuisse, si enim ille esset dictus Petrus de Armaleone recta linea ab eo descendisset, alius modernus possessor ad edendum quo titulo possidet compelli posset, pro Curie cautela.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, feudum ipsum Scaliti per dictum Petrum de Armaleone possidetur; et reddit anno quolibet . . . . . .07 VIII

Et ultra cepit ipse Petrucius a don Ugo de Moncata, Vicerege, de dicto feudo investituram ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, die ultimo Iulij mii Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni fol. 67; et iuravit reddere tantumdem.

**Flumi Fridu, Cisterni Feuda.**

Feudum Flumi Frido vulgo dictum, in valle Demine prope tenimenta terre Calathabiani et casalium Mascalarum et Lingue grosse consitum, in posse quondam Nicholay de Parisio alias de Vayro pervenit; de quo Regia in Cancellaria nullus reperitur titulus. Et sic ratio dari non potest quo iure ad eum pervenerit. Tandem Nicholaus ipse de feudo predicto pro se suisque heredibus eius de corpore descendantibus, iure Francorum, iuxta formam Capitulorum Serenissimi Regis Alfonsi, sub consueto militari servicio, a quondam Panhormitano Archiepiscopo, tunc regni Preside, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, XX Iulij prime Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 80 notatam, reportavit; cum iurasset in dicti Presidis posse nullum eius ad manus de feudo ipso devenisse privilegium.

Quo Nicholao de Parisio defuncto, sibi in dicto feudo successit Ioannes Gulielmus de Parisio et de Vayro eius filius. Qui pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, de ipso feudo a quondam don Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, penultimo Augusti III Inditionis 1456, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1455 in cartis 333 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum dicto Ioanne Loysio de Parisio alias de Vayro, sibi in dicto flumine Frigido feudo successit Lodovicus de Parisio et de Vayro eius filius, tunc in minoribus constitutus, pro quo Margarita relicta dicti quondam Ioannis Gulielmi, et ipsius Lodovici mater, balia et tutrix, de feudo ipso a quondam magistro Iusticiario et regni Preside, iure Francorum, V Ianuarii XIII Inditionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 172 notatam, nactus est.

A quo quidem tempore citra usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullum privilegium, nullamque investituram, aliumve actum de dicto feudo ipsa in Cancellaria alicui concessum repperi; et ideo nulla dari potest ratio in cuius posse feudum ipsum existat. Et sic possidens inquiratur ut ad edendum sue possessionis titulum, ac titulum per quem feudum predictum ad prefatum quondam Nicholaum de Parisio et de Vayro pervenit, compelli possit, quia in Capibrevio Regni Secreiarum in cartis . . . asseritur feudum predictum Flumen Frigidum de membris et iuribus Re-

gie Secrecie terre Tauromenii fuisse. Tamen non invenitur quo iure ab ipsa Secrecia segregatum fuerit, nec non per heredes quondam Nicholai de Parisio et de Vayro, ac per Angelum de Balsamo pro indiviso possideri. De quo quidem Angelo nullus reperitur titulus sive scriptura. Et ideo pro Curie cautela et indemnitatem iurium regionum veritas inquiratur. Quo quidem in Capibrevio apparet feudum ipsum anno quolibet reddere . . . 07 LXXX.

Nihilominus cum percipere voluissem quo iure isti de Balsamo in illa feudi parte pro indiviso intrarunt, intellexi tandem olim inter Nicholaum de Balsamo, patrem Tuchij de Balsamo ut heredem ab intestato quondam Machalde filie dicti Nicholai sine filiis decedentis, et quondam Culie mulieris filie quondam Zaccarie de Parisio ex una, et Margaritam lu Vayro alias de Parisio, parte ex altera, ortam fuisse litem super bonis remanentibus post obitum quondam Adarij de Parisio fratris dicti Zaccarie, sitis et positis in territorio Sancti Stephani de Brica tenimenti Messane, et super dicto feudo Flumine Frigido ac medietate feudi li Gisterni nuncupati, siti in territorio Franceville, ac aliis bonis. Et tandem partes ipsas ad transactionem devenisse, videlicet, quod tertia pars reddituum bonorum predictorum dicto Nicholao de Balsamo suisque heredibus applicaretur; relique vero due partes eidem Margarite cederent, puplico contractu manu notarij Clementis de Maggiore, XIII Augusti XV Inditionis 1422 celebrato, mediante quam transactionem exinde dictus Nicholaus de Vayro filius ipsius Margarite ratificavit et confirmavit.

Post obitum autem dicti Nicholai de Balsamo, prefatus Tuchius de Balsamo eius filius, cum iurasset de iuribus ipsis ut supra nullum habuisse privilegium pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, a tunc Regni Preside de illis investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1453 in cartis 294 notatam, reportavit.

De quo quidem Tuchio de Balsamo sive ab illius tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de dicta quota feudi, istis de Balsamo contingenti, nulla in Cancellaria reperitur investitura; et ideo Regie Curie indemnitati provideatur.

Tandem ultimo loco domna Francisca Porcu, ob mortem Ludovici de Parisio eius fratris sine filiis decedentis, successit in dicto feudo, et non cepit investituram in tempore statuto, sed elapsis multis annis obtinuit a don Ugone de Moncado, Vicerege, investituram, XII Decembris III Inditionis 1514, notatam in libro dicti anni fol. 307.

Et ultra noviter ob mortem domini Regis Ferdinandi cepit investituram die VIII Februarij V Inditionis notatam in libro anni 1516 fol. 408, et iuravit reddere tantumdem.

**Graniti alias Aderniti Casale et Feudum.**

Feudum sive Casale Graniti sive Aderniti nuncupatum, in valle Demine et territorio terrarum Tauromenij et Franceville positum, per quondam Franciscum Manjavacca et postmodum per Nicholaum Manjavacca illius filium messanenses, de quibus Regia in Cancellaria titulus non apparet aliquis, antiquitus possessum fuit. Tandem Nicholaus predictus de ipso Graniti feudo toto et integre quondam comiti Henrico Rubeo Aydoni comiti, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, nullo sibi iure propterea reservato, sed libero et expedito ab omni questione, molestia, obligatione et onere census marinarie ac ab alia qualibet servitute et omni alio onere pro ipso feudo Regie Curie debito, donacionem inter vivos fecit irrevocabilem. Verum dictus Nicholaus, eius vita durante, ipsius feudi et casalis usufructum tantum sibi reservavit; cum pacto etiam quod si ipsum Nicholaum filios de eius corpore legitime descendentes procreare contigisset, donatio ipsa esset nulla, et feudum predictum ad dictos eius heredes reverteretur; sicuti quodam in puplico donacionis contractu manu notarij Raymundi de Conza terre Tauromenij XV Septembris XV Inditionis 1370 celebrato, Serenissimo Rege Federico regnante, late patet.

Inde vero ad annos fere XXXII, cum dictus comes Henricus Rubeus donatarius mortuus fuisset, ut asseritur, rebellis, comes Henricus Rubeus et comitissa Beatrix, frater et soror, uxor tunc comitis Thome de Spatafora, filij prelibati quondam comitis Henrici Rubei senioris, donatarij ut supra, quondam Nicholao Castagna, tunc Regio Thesaurario, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, eius intuitu servitorum eisdem comiti et comitisse, fratri et sorori, prestitorum, super dicto Graniti feudo omnia iura, omnesque actiones, que eodem in feudo virtute prelibate donacionis eidem comiti Henrico Rubeo seniori, eorum patri, per prefatum quondam Nicholaum Manjavacca facte habebant, cesserunt, dederunt, et assignarunt; sicuti in quodam puplico contractu manu notarij Laurentij de Notho, XXVII Maij X Inditionis 1402 facto, continetur. Exinde vero dictus Nicholaus Castagna pro se suisque heredibus a quondam Constancia, relicta quondam Iacobi de Spinis, filia et herede quondam Manfredi Manjavacca civis Messane, de omnibus iu-

ribus, dominio, et proprietatibus ac actionibus sub quocumque vocabulo nuncupatis, eidem Constancie quomodolibet in toto integro dicto feudo li Graniti sive Aderniti competentibus et competere debentibus. Quod feudum dicti quondam Manfredi, eius patris, et aliorum de Manjavacca parentum et fratrum ipsius, quondam Manfredi fuisse asseruit, quorum Constancia ipsa per intermediam personam dicti eius patris heres dicebatur, tam ratione proprietatis seu dominij eiusdem feudi quam iure possessionis ipsius, donationem inter vivos obtinuit irrevocabilem, prout in quodam publico donacionis instrumento, manu notarij Petri de Armato mesanensis VII Octobris X Inditionis 1401 acto, hec et alia latius exprimuntur.

Quas quidem donationem iuriumque cessionem feudi predicti sive foreste, ipsumque feudum Serenissimus Rex Martinus eidem Nicholao Castagna suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, et defectu heredum predictorum uni persone illiusque heredibus ipsius de corpore legitime descendentibus, quam in sue vite terminum testamento eligeret, iure Francorum, sub consueto militari servicio, imperpetuum acceptavit et confirmavit; cum clausula, scilicet, dictam donationem et iurium cessionem nec non dictam forestam seu feudum di li Graniti, situm et positum in territorio terre Tauromenij, finibus in preinserto instrumento contentis limitatis, quod etiam ob mortem quondam Ioannis Statella sine heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iam defuncti, Curie nostre vacare speramus, tam si Curie nostre contingerit ratione mortis dicti quondam Ioannis Statella, prout in quodam privilegio eidem Thesaurario inde facto, latius continetur; quam vigore dicte donacionis, acceptamus confirmamus et de novo concendimus et donamus etc. Quemadmodum in ipsius Regis Martini privilegio in quo prelibatum donacionis instrumentum insertum est, dato Cathanie X Ianuarij X Inditionis 1401, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 13 notato, serius enarratur.

Postmodum autem idem Rex Martinus prefato Nicholao Castagna, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, et in illorum defectu uni alteri, quem Nicholaus ipse eius cum ultimo testamento statuendum duxisset, sub dicto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, prenotatam donationem de ipso feudo per prelibatos comitem Henricum Rubeum iuniorem et comitissam Beatricem eius sororem eidem Nicholao Castagna et suis imperpetuum heredibus ut supra factam; cum expressa mentione donacionis eiusdem feudi primo loco per quondam Nicholaum

Manjavacca predicto comiti Henrico Rubeo seniori, patri ipsorum donatorum facte, cum illius inserto tenore eius cum alio regio privilegio dato Cathanie XII Ianuarij XI Inditionis 1402, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 35 notato, in quo ambe dicte donaciones inserte sunt; acceptavit et confirmavit per hec verba inter alia, scilicet, easdem donaciones superius insertas et eorum quamlibet, tam videli cetdonacionem primo loco positam factam per dictum comitem Henricum iuniorem et comitissam Beatricem dicto Nicholao Castagna de dicto feudo di li Graniti, quam donacionem dicti quondam Nicholay Manjavacca secundo loco positam, primo loco factam de feudo prelibato de certa nostra scientia approbamus, acceptamus, et pleno favore regio confirmamus etc.

In quadam autem investiture nota de dicto feudo Graniti per quondam Ilariam uxorem quondam Federici Pullichino capta in anno 1453 et in Regie Cancellarie dicti anni libro II Inditionis in cartis 763 notata, ut infra dicetur, quoddam puplicum transumptum manu notarij Antonij de Vinchio messanensis, VI Octobris VI Inditionis 1412 celebratum, reperitur. In quo insertum est quoddam privilegium Serenissimorum Regum utriusque Martini datum Cathanie VI Septembris XI Inditionis 1401, per quod regium privilegium apparet, Reges ipsos eidem Nicholao Castagna suisque heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendentibus, vel uni ex suis successoribus, quem voluerit et sibi placuerit, omnia iura, omnesque actiones utiles et directas, mixtas, tacitas et expresas feudi seu super feudo predicto Graniti Regie Curie sive Fisco de iure spectantia et pertinentia propter mortem quondam Ioannis Statella filij quondam Accursij Statella, minori in etate defuncti, sub debito et consueto militari servicio, cum expressione confinium et tenimentorum eius cessisse, quod in Cancellaria non reperitur, licet illius temporis registra inesse sint. Et ideo ipsi transumpto nulla est adhibenda fides; et quantumcumque Ilaria predicta penes tunc Proregem in dicto anno 1453 iuraverit ipsum non habere privilegium, nihilominus cum insertione ipsius transumpti ac dicti instrumenti donacionis iurium feudi eiusdem quondam Nicholao Castagna per dictos comitem Henricum Rubeum iuniorem, et comitissam Beatricem facte, Ilaria ipsa de ipso feudo ab ipso tunc Regni Prorege ipsam impetravit investituram, et obtinuit asserens quod dictus Nicholaus, dum vixit, feudum predictum di li Graniti sive Aderniti tenuit et possedit. Quodque cum inde Nicholaus ipse sine filiis decessisset, feudum predictum suo cum testamento in civitate Messana manu notarij Philippi de Brima VI Februarij III



Inditionis 1424. condito, quondam Pine uxori quondam Mathei de Bonifaciis legavit: tamen in illo nulla fit mentio an ipsa Pina ipsius Nicholai Castagna consanguinea fuerit sive affinis, nec ne.

Quodque etiam defuncta prefata Pina, sibi eodem in feudo successit quondam Margarita filia quondam Federici de Vigintimilijs et Perne eius uxoris, filie legitime et naturalis prefate quondam Pine. Que Perna eidem avie sue premortua fuit, et ex sententia per magnam Regiam Curiam Panhormi lata, XVII Februarij X Inditionis 1446, provisum extitit dictam Margaritam eodem in feudo succedere debuisse.

Quodque decedente prelibata Margarita, sibi eodem in feudo successit prenominata Eulalia filia unica legitima et naturalis ac maior nata quondam Giliberti la Grua, et ipsius Margarite olim ingalium, et uxor dicti Federici Pullichino. Que Ilaria pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, de ipso Graniti feudo a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, sub consueto militari servicio, regijs antiquis regalibus, Regni Constitutionibus, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, XXVIII Ianuarij dicte II Inditionis 1453 prenotatam investituram assecuta fuit; qua in investitura nulla fit mentio de forma stricta iure Francorum iuxta tenorem antiqui tituli.

Tandem dictus Federicus de Pullicino et de Castagna, prelibate Ilarie maritus, dictum Graniti feudum Iacobo de Balsamo mesanensi pro certo precio ac sub quibusdam pactis et condicionibus in quodam publico vendicionis contractu, manu notarij Bartholomei de Guidone IIII Iulij VII Inditionis 1489 celebrato, adjectis, vendidit.

Qui Iacobus ipsius vendicionis virtute, de ipso feudo a quondam don Ferdinando d'Acuña, tunc Regni Prorege, XXVI Septembris VIII Inditionis 1489 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 83 notatam, habuit.

Sed facta postmodum per Gasparem de Pullicinis, descendentem, ut asseritur, ex prelibato quondam Federico de Pollicinis, de ipso Graniti feudo reemptione, Gaspar ipse feudum iddem Margaritelle de Spatafora, uxori quondam Corradi de Spatafora, pro certo precio, publico mediante contractu manu notarij Ioannis de Comite XXIII Decembris III Inditionis 1500 celebrato, iterum vendidit. Que Margaritella de feudo predicto a quondam Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XXVI Aprilis IIII Inditionis 1501 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1500 in cartis 498 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1518 decurrente, feudum predictum li Graniti per prelibatam Margaritellam Spatafora possidetur; quod anno quolibet reddit . . . . . 07 . . . .

Ad veritatem dicti feudi Graniti sive Aderniti denudandam, et ad percipiendum illius formam largam, videlicet, aut strictam, ac quo iure ad manus prefati Nicholay Manjavacca pervenerit, nec non si idem Nicholaus sui virtute tituli, seu in vim Regie licentie feudum ipsum comiti Henrico Rubeo seniori comiti Aydoni, non eius consanguineo, sed de alia genelogia, et signanter francum a militari servicio et aliis iuribus, donare poterat, verus et antiquus titulus feudi ipsius sive casalis esset de necessitate videndum. Nihilominus, quomodocumque sit, Nicholaus Manjavacca antedictus directe seu indirecte de ipso casali et feudo prefato comiti Henrico Rubeo seniori donacionem inter vivos fecit irrevocabilem, cuius virtute, ut percepi, predicti feudi li Graniti possessionem nactus extitit. Qui, cum exinde contra Serenissimum Regem Federicum rebellionem patrasset et ob ipsam rebellionem eius causa et culpa, quia contra Serenissimam Reginam Antoniam predicti Regis Federici consortem violente insultum gessit; pro ut alias in capitulo terre Aydoni magno in Capibrevio in cartis . . . notato dixi, Regina ipsa interiit, et in ipsa rebellione comes predictus decessit; ac bona eius omnia, et signanter dictus comitatus Aydoni, Regio Fisco aperta fuerunt et devoluta: unde dicendum est, casale predictum sive feudum di li Graniti dicto Regio Fisco fuisse etiam confiscatum, et pari passu cum dicto Aydoni comitatu deambulasse. Qui comitatus et bona ad ipsum comitem rebellem vel eius heredes nunquam exinde devenerunt, immo penes alios semper perstiterunt, atque persistunt. Et ideo, nulla apparente predicti comitis Henrici Rubci senioris remissione et in integrum restitutione, sive aliqua donacione per Sicilie Reges prenomatis comiti Henrico Rubeo iuniori et comitisse Beatrici, illius filiis, de dicto feudo facta, donacio per ipsos comitem et comitissam, fratrem et sororem, prelibato Nicholao Castagna de dicto feudo factam; tanquam de re ad eos non pertinenti sive spectanti, esset nulla et nullius efficacie sive momenti, immo Regia Curia ob dictam rebellionem feudum predictum abinde sibi revocare poterat.

Preterea dicendum est donacionem per dictam quondam Constantiam de Spinis, tanquam heredem et filiam prefati Manfredi Manjavacca, prenominato Nicholao Castagna dicto Rege Martino regnante factam, non valere, immo nullius roboris et firmitatis esse, quia per multos annos ante, scilicet, dicto Rege Federico regnante,

predictus Nicholaus Manjavacca prelibato comiti Henrico Rubeo seniori, Aydoni comiti, et suis imperpetuum heredibus de ipso Graniti feudo donacionem fecerat. ut predicatur, inter vivos irrevocabilem; ob quam illius dominium proprietas et possessio in ipsum comitem donatarium absque reservacione aliqua translata fuerat (*sic*).

Dicendum est similiter iura Regie Curie per dictos Reges utrumque Martinum prelibato Nicholao Castagna, ob mortem Ioannis Statella, filii quondam Accursij Statella in minori etate defuncti, super dicto Graniti feudo cessa, nulliter cessa extitisse, quia de dicto Statella nullus apparuit nec apparet in Cancellaria titulus; immo feudum ipsum dictum est de illis de Manjavacca semper fuisse. Nihilominus, quicquid sit, dicta iurium cessio simpliciter et non ex causa sciencie processit, cum facta fuerit per dictum Serenissimum Regem Martinum post rebellionem dicti comitis Aydoni tempore prefati Regis Federici, de qua rebellionem idem Rex Martinus nullam habuit scientiam neque noticiam. Et ideo iuribus Regie Curie minus preiudicare potest, licet in ea illa exprimantur verba, scilicet, tam donacionem et comitis Henrici comitisse Beatricis filiorum comitis Henrici senioris; quam donacionem Nicholay Manjavacca secundo loco positam, et primo loco factam etc. Nam surrepticie et tacita veritate huiusmodi emanavit confirmacio, nulla facta mentione de rebellionem prefati comitis Aydoni primi donatarij, ob quam feudum predictum Regie Curie devolutum fuerat.

Et sic ex predictis mihi persuadeo, Regiam Curiam dictum casale sive feudum Graniti facillime, a cuiusvis detemptoris posse, recuperare posse et Regio demanio agregare.

---

**Masuca Casale, Galterij, Sancti Basilij, Cucumene Feuda.**

---

Casale Masuca cum feudo Galterij ac tenimento Cucumene et Sancti Basilij, in valle Demine et tenimento terre Melacij existens, per Serenissimum Regem Federicum Romanorum Regem, quondam Matheo de Marino eius cum regio privilegio concessum fuit;

quod regium privilegium huiusmodi est seriei, scilicet: Federicus divina favente clemencia Romanorum Rex semper Augustus et Rex Sicilie. Decet regiam celsitudinem fidelium devocionem ascendere, et eorum grata servicia dignis retribucionibus compensare. Inde est, quod nos actendentes fidelitatem et grata servicia que tu Gulielmus de Marino fidelis noster nobis exhibuisti et poteris in antea de bono in melius exhibere; considerantes etiam labores plurimos quos veniendo nobiscum in Alamannia es perpressus persone non parcens periculis nec expensis, concedimus et confirmamus tibi tuisque heredibus imperpetuum casale Masuca cum omnibus iustis tenimentis et pertinenciis suis, sicut Marinus de Marino avus tuus et pater tuus ipsum tenuisse noscuntur; concedimus etiam et confirmamus tibi et heredibus patrimonium tuum Galterij cum tenimento Cucumene et Sancti Basilij, pro ut illud predictus pater tuus noscitur possedisse. Statuentes ut quecumque persona, magna vel parva, hanc nostram concessionem alias confirmacionem violare, vel modo quolibet actemptare presumpserit, centum libras auri componat, quarum una medietas Fisco imperiali, altera passis injuriam persolventur; ut igitur hec rata permaneant inconcussa, presentem paginam conscribi et sigilli nostri impressione fecimus communiri. Huius rei testes sint Adulfus Coloniensis Archiepiscopus, Sifridus Maguntinus Archiepiscopus, Dietricus Trenneus Archiepiscopus, Bernardus Barensis Archiepiscopus, Lupaldus Marinatensis Archiepiscopus; Federicus dux Loctorigie, Bertoldus dux Tiringie, Lodoyeus dux Navarie, Hermannus Langravius Turingie, Robertus de . . . comes Loritelli et Gualterius Gentilis magister Comestabulus et Anselmus Mascalculus. Sig<sup>†</sup>num domini Federici Romanorum Regis semper Augusti et Regis Sicilie. Ego Corradus Spirensis et Metensis Episcopus imperialis aule Cancellarius, vice Sinfride Maguntine sedis Archiepiscopi et Germanie Archicancellarij, recognovi. Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis 1212, regnante domino nostro Federico Romanorum Rege et semper Augusto Sicilie Rege, anno Regni eius in Germania primo. et in Sicilia XV feliciter amen. Datum Spiree per manus Bertoldi de Niffè imperialis aule Prothonotarij et Vice Domini Tridentini.

Tandem dictum Masuca casale et feuda Galterij, Cucumene et Sancti Basilij, inde ad tempora in posse quondam Bartholomei de Marino prefati Gulielmi de Marino, in cuius personam predictum privilegium concessum fuit, nepotis, pervenit; de quo nullus in Cancellaria titulus reperitur.

Mortuo demum dicto Bartholomeo de Marino, ipsa casale et feuda Petro de Marino illius filio cesserunt. Et successive feuda predicta ad Matheum de Marino, dictum de Tornellis, prelibato quondam Guilelmi de Marino primi acquisite trinepotem pervenerunt. Qui an recta linea ab ipso Guilelmo descenderit Regia in Cancellaria non reperitur. Tandem Matheus predictus de Marino et Tornellis pro se suisque imperpetuum heredibus a Serenissimo Rege Martino de privilegio dicti Regis Federici Romanorum et Sicilie Regis, pro ut dictus Guilielmus feuda ipsa tenuit et possedit, iuribus Curie et alterius semper salvis, confirmationem obtinuit; sicuti in ipsius Regis Martini privilegio, dato Cathanie XIII Augusti VIII Inditionis 1401 et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 181 notato, continetur.

Exinde vero ipsa casale et feuda ad quondam Mazullum de Tornellis, de quo non reperitur investitura, pervenit.

Quo Mazullo obeunte, sibi eisdem in casale et feudis successit Odoardus de Tornellis eius filius; de quo etiam minus apparet investitura.

Nihilominus, post mortem dicti Odoardi de Tornellis, predicta casale et feuda Masuca, Galterij, Cucumene et Sancti Basilij Petro de Tornellis eius filio cessere. Qui pro se, suisque heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, de eisdem casali et feudis a tunc Regni Prorege cum inserto tenore dictorum privilegiorum Regis Federici Romanorum Regis, ac Regis Martini, Regni Constitucionibus et iuribus Regie Curie, ac alterius antiquisque regalibus semper salvis, VIII Maij XIII Inditionis 1420, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1419 in cartis 312 notatam, nactus fuit.

Deficiente postremo dicto Petro de Tornellis, ut percepi, sibi succedere debebat Adoardus de Tornellis eius filius; sed quia fuit morte prevenctus, successit Andreocta de Tornellis prefati Odoardi filius, ac predicti Petri nepos. Qui Andreocta a quondam Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, de Gauteri casale predicto tantum, XXIII Marcij XIII Inditionis 1495 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1494 in cartis 704 notatam, obtinuit.

Hodie vero, anno 1513 decurrente, dictum Gauterij casale per prefatum Andreoctam de Tornellis possidetur; quod anno quolibet reddit. . . . . 07 . . . .

In huiusmodi autem postrema investitura per prefatum Andreoctam de Tornellis capta, nulla fit mentio de dictis casalibus sive feudis Masuca, Cucumene, et Sancti Basilij; verum de feudis

Sancti Basilij et Landi, que per illos de Cirino et de Crisaphi ad presens possidentur, iam superius hoc in volumine in cartis 349 copiosius verba facta sunt.

Unde pro Curie cautela videndum est in cuius posse dictum casale Masuca et feudum Cucumene devenerint, nam Regia in Cancellaria a dicto anno 1420 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de ipsis casali Masuca et feudo Cucumene nulla investitura seu alia scriptura reperitur; et sic ratio dari non potest in cuius posse ad presens existat. Preterea esset per illa possidentes reddenda ratio, quo iure dictum feudum Sancti Basilij primo loco in Vassallum Chicari, qui de ipsis Sancti Basilij et Landi feudis exinde quondam Bergo Cirino donacionem fecit; et postmodum in Nicholosum Crisaphi, ut in illorum capitulo superius in cartis 606 ut predicatur notato, pervenerit. Cum tam per privilegium primum dicti Regis Federici Romanorum Regis, quam per privilegium dicti Regis Martini et per alias investituras usque ad dictum annum 1420 captas, ipsum Masuca casale cum dicto patrimonio Galterij, Cucumene et Sancti Basilij per illos de Tornellis, et ultimo loco per dictum Petrum de Tornellis asserti descendentes ex primo Matheo de Marino, primo acquirente, ut predicatur, possessum fuisse appareat. Et ideo moderni possessores ad dandum de premissis rationem pro Curie cautela compelli deberent.

---

#### Luchito Feudum.

---

Feudi minoris di lu Luchito nuncupati, in valle Demine et territorio terre sive loci di Bronti positi, una medietas per quondam Manfredum de Lancea, prout asseritur, pro indiviso antiquitus possidebatur. ob concessionem de illa sibi, suisque heredibus eius de corpore imperpetuum descendentes, per Serenissimum Regem Lodovicum factam, suo regio mediante privilegio dato Cathanie XVI Aprilis XIII Inditionis 1345, quod in Cancellaria non reperitur. Reliqua vero medietas asseritur per quondam Ioannem de Vigintimilio nomine et pro parte Monasterij Sancte Marie de

**Maniatio**. de qua minus apparet in ipsa Cancellaria privilegium aliquod, possessam extitisse; et ideo, cum nullum reperitur privilegium de dicto feudo, ratio dari non potest de illius concessionis forma.

Mortuo tandem dicto Manfrido de Lancea, asseritur in feudi ipsius medietate sibi Nucium de Lancea eius filium, de quo non reperitur investitura, successisse. Qui Nucius de ipsa feudi medietate, dicitur, quondam Berengario de Oriolis eius nepoti, filio quondam Manfridi de Oriolis, filij quondam Berengarij de Oriolis senioris et Iacobe ingalium, filie dicti Manfridi de Lancea, puplico mediante contractu acto manu notarij Laurencij de Noto cataniensis XII Iulij, XV Inditionis 1407, donacionem fecisse inter vivos irrevocabilem, prout illud dictus donator tenuerat et possiderat iuxta continentiam suorum privilegiorum. Quam donationem cum eius inserto tenore Serenissimus Rex Martinus eidem Berengario de Oriolis, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, quatenus rite, iuste et rationabiliter processit, sub onere militaris servitij unius equi alforrati Regie Curie prestandi, iuribus Curie et alterius semper salvis, eius cum regio privilegio, dato Cathanie XII Februarij prime Inditionis 1407 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 116 notato, acceptavit et confirmavit.

Defuncto postmodum dicto Berengario de Oriolis donatario, dicti feudi Luchito medietas ex eius testamentaria dispositione ad quondam Petrum de Oriolis eius filium terciogenitum legitimum et naturalem ac Ysabelle iugalium pervenit; cum hoc tamen quod nonnulla ipsius Berengarij de Oriolis filie super redditibus dicti nemoris seu feudi Luchito earum dotes consequerentur. Quos feudi redditus Manfridus de Oriolis, eius primogenitus filius, pro illos ad ipsarum docium opus convertendo, perciperet. Qui quidem Petrus de Oriolis, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de ipsa feudi medietate a tunc Regni Proregibus, sub consueto militari servicio dicti unius equi alforrati Regie Curie prestando, regijs antiquis regalijs iuribusque Regie Curie semper salvis, XXII Majj XIII Inditionis 1420 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 392 notatam, obtinuit.

Preterea in quodam Regie Cancellarie libro anni 1453 prime Inditionis, in cartis 251, quedam reperitur investiture nota de medietate dicti feudi obtenta a don Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, per quondam Berengarium de Oriolis iuniorem filium dicti quondam Manfridi de Oriolis, fratris dicti quondam Petri de Oriolis filij terciogeniti dicti Berengarij, donatarij dicti Nu-

cij Lancee, in posse cuius Manfredi de Oriolis, fratris primogeniti dicti quondam Petri legatarij et heredis in dicto feudo, in vim testamenti dicti quondam Berengarij, ut supra. stare debebant et steterunt redditus ipsius medietatis feudi ad effectum maritandi filias feminas dicti quondam Berengarij, donatarij; ex qua nota investiture comprehenditur dictum feudum ad prefatum Manfredum de Oriolis detentorem dictorum reddituum ad effectum predictum devenisse; dictumque Petrum de Oriolis terciogenitum eidem Manfrido fuisse premortuum aut non potuisse de iure succedere. Sed quia ipsa in investitura non exponitur quomodo hec processerint, de eis ratio aliqua dari non potest. Nihilominus iudicio meo in dicta feudi medietate dictus Manfridus de Oriolis, filius primogenitus dicti Berengarij, et non Petrus de Oriolis eius frater filius terciogenitus dicti Berengarij, in vim prenotati testamenti successit.

Obeunte tandem dicto Manfrido de Oriolis, sibi in dicta feudi medietate successit Berengarius de Oriolis iunior eius filius. Qui pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub dicto militari servicio unius equi alforrati, a dicto don Lupo Ximenem Durrea Prorege de ipsa feudi medietate, XIII Iulij prime Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 251 notatam, ut supra obtinuit.

Decedente demum dicto Berengario de Oriolis iuniore, sibi in dicta feudi medietate successit Petrus Sanctius de Oriolis eius filius, nunc baro Sancti Petri, qui non reperitur in Cancellaria investituram accepisse.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, ipsa medietas feudi sive nemoris Luchito per dictum Petrum Sanctium de Oriolis possidetur. Que reddit anno quolibet . . . . 07 . . . .

De reliqua autem feudi eiusdem Luchito medietate nullus alius reperitur actus sive investitura; et ideo inquirendum est in cuius posse existat, ut de illa rationem reddere possit pro Curie Cautela.



**Sancti Georgij, Grassecta, Porta Trahine,  
Sancte Lucie Foreste,  
Sancti Georgij, Trifontani, Chagi, Petra Marcata**

Foreste Sancti Georgij, Grassecte, et Porta Trahyne de nemoribus, membris et iuribus magne Foreste Lignarie Regie Curie, in valle Nemorum site et posite, de quibus forestis Trahyne et Lignarie superius in cartis . . . non nihil dictum est, ab ipsa magna foresta Lignaria Curie modo infrascripto abstracte et segregate fuerunt; scilicet, quod regnantibus Serenissimis Rege Federico et Rege Petro secundo, eius filio, cum quondam Peregrinus de Pactis senior messanensis officium Vice Magistri Iusticiariatus huius Regni, cum salario annuo unciarum centum octuaginta eius vita durante, ex concessione sibi per dictum Regem Federicum facta, tunc exerceret; et post eius decessum de summa predicta sui imperpetuum heredes uncias centum tantum anno quolibet reportare deberent, sub consueto militari servicio Regie Curie prestando, super iuribus et proventibus dohane maris Messane quousque eis de primis morticijs et excadencijs Regie Curie summam aliarum unciarum centum assignaretur, et deinde dictus Peregrinus de Pactis de regio mandato ab ipsius officij Vice Magistri Iusticiariatus exercicio se destitisset, et officium Protonotariatus Regni eiusdem sub annuo salario unciarum centum et viginti, ob renunciationem de eo sibi per tunc Mazariensem Episcopum factam, reportasset; dictus Rex Federicus providit, quod dictus Peregrinus de Pactis, eius vita durante, utrumque salarium in summa unciarum tricentarum super iuribus et redditibus tam terre Trahyne ad regiam Secreciam dicte terre spectantibus, quam nemorum ipsius foreste Trahyne, nec non forestarum Sancte Lucie de Randacio, Sancti Georgij, et Grassecte, de membris et iuribus dicte magne Foreste Lignarie Curie, cum iuribus glandium et herbagiorum percepisset; cum conditione tamen, quod si dicti introytus non sufficerent ad dictas uncias tercentas sibi fieret supplementum ipsarum de provenctibus dicte dohane maris Messane; sicuti in tribus patentibus regis liciteris sub sigillo dicti Regis Petri secundi, pro dicto Rege Federico administratoris expeditis, hec et alia latius contineri dicuntur.

Deinde autem, cum prefatus Peregrinus de Pactis, ob dilaciones et elongamenta sibi per officiales dictos redditus et forestas administrantes date, dictas uncias tricentas annuales consequi et habere non valeret, dictus Rex Federicus, suo cum regio privilegio dato Messane XIII Septembris VIII Inditionis 1325, quavis lege in contrarium disponente non obstante, providit quod idem Peregrinus de Pactis pro dictis unciis tricentis, eius vita durante et post eius obitum dicti sui heredes, pro prelibatis unciis centum annualibus, sub dicto militari servicio, dictas gabellas et iura sue Regie Curie in dicta Terra Trahyne, ac nemoribus forestarum Porte Trahyne, Sancte Lucie de Randacio, Sancti Georgij, ac Grassecte, cum dictis iuribus glandium et herbagiorum ad ipsas forestas spectantibus contingentibus, vendere et locare possent; ipsosque redditus per se eorumque statutos et commissarios percipere et habere possent. Deductis tamen de huiusmodi cabellarum iuribus et bonis ipsius terre Trahyne, et forestarum predictarum locationibus, quintis decimis et aliis iuribus Messanensi Archiepiscopo et aliis ecclesiasticis personis debitis; quas decimas et iura predictus Peregrinus eidem Archiepiscopo et personis ecclesiasticis de eisdem redditibus solvere teneretur. Qua propter Peregrinus ipse se contentum reputavit ut uncias centum super iuribus Trahyne et restans super eisdem forestis et dohane maris perciperet, incluso tamen in eis precio victualium terragiorum terre predictae. Quo quidem in privilegio hec clausula reperitur, scilicet: reservato Curie nostre, quod quia predicta terra Trahyne est de nostro demanio, ipsamque cum omnibus eiusdem terre nostris fidelibus in nostris et heredum nostrorum demanio et dominio reservamus, et semper per nos et heredes eosdem taliter volumus reservari, sicut apparet ex forma privilegij eis proinde per nos facti, quod occasione presentium nullum pati volumus detrimentum appellaciones questionum civilium movendarum inter burgenses et habitatores eiusdem terre Trahyne coram baiulo et iudicibus eiusdem terre, qui pro tempore fuerint; que appellaciones ad Secretos et magistros Procuratores Sicilie ad quorum iurisdictionem spectabant, diverti solebant ad magistrum Rationalem magne nostre Curie, et non ad predictum Peregrinum divertantur etc. Preterea ipso in privilegio continetur, quod, mortuo dicto Peregrino de Pactis, dicti sui heredes pro dictis unciis centum annualibus procuracionem et perceptio-nem proventuum et reddituum forestarum dicte Porte Trahyne, Sancti Georgij et Grassecta, cum illarum herbagiis et glandagiis perciperent, quousque eisdem heredibus alia bona annui redditus

ipsarum unciarum centum per Regiam Ćuriam assignarentur; sub consueto tamen militari regio servicio, decimis nihilominus et aliis iuribus, si que forsitan dicto Archiepiscopo, etiam ecclesiasticis personis deberentur eisdem, semper salvis, que per ipsos heredes illis solvi deberent, revocatis similiter et restitutis eidem Regio demanio cunctis aliis redditibus dicte terre Trahyne et forestarum Sancte Lucie Randatij. Quod quidem regium privilegium in Regie Cancellarie registris dicti temporis non reperitur, immo assertum fuit illud fuisse amissum et deperditum.

Tandem Peregrinus de Pactis predictus in ultimis quibus decessit eius cum testamento quendam Ansaldum de Pactis messanensem eius nepotem, filium quondam Parchivene mulieris, eius sororis, ex dictis unciis centum sue annue provisionis pro unciis tantum quinquaginta, sibi heredem instituit. Reliquas vero uncias quinquaginta ad complementum dictarum unciarum centum certo modo cuidam alij Ansaldo de Pactis etiam eius nepoto, filio quondam Nicholai de Pactis messanensis, eius fratris, legavit, volens et mandans quod dictus Ansaldus filius dicte Parchivene pro dictis unciis quinquaginta iure proprio procuracionem et perceptionem iurium, reddituum et proventuum forestarum Sancti Georgij et Grassecte de nemoribus et membris dicte magne foreste Curie Lignarie, habere deberet. Qui Ansaldus, filius dicte Parchivene, pro se suisque imperpetuum heredibus a dicto Rege Petro secundo pro dictis unciis quinquaginta super dictis forestis Sancti Georgij et Grassecte iuxta formam dicti patentis rescripti de dicta hereditaria iustitacione cum clausula, quatenus sibi iuste rite et rationabiliter facta extitit etc. sub dicto militari servicio, et cum omnibus clausulis et cautelis in dicto privilegio contentis, confirmacionem habuit; pro ut in ipsius Regis Petri secundi privilegio, dato Messane XVIII Augusti V Inditionis 1337, late patet.

Prelibato autem Ansaldo de Pactis filio dicte Parchivene, defuncto, sibi in dicta perceptione ipsarum forestarum Sancti Georgij et Grassecte Ioannem de Pactis, eius filium, de quo non apparet investitura, successisse dictum fuit.

Quo Ioanne de Pactis exinde deficiente, sibi in eadem perceptione successit Peregrinus de Pactis eius filius maior natu. Qui pro se, suisque imperpetuum heredibus, sub dicto militari servicio, de ipsa procuracione et perceptione fructuum dictarum forestarum Sancti Georgij et Grassecte, a quondam Illardense Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, cum inserto tenore dictorum privilegiorum, XXVIII Ianuarij X Inditionis 1416

investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 81 notatam, obtinuit.

Decedente exinde dicto Peregrino de Pactis iuniore, sibi in dictis forestis successit Ioannes de Pactis eius filius, qui pro se et dictis suis heredibus imperpetuum, sub dicto militari servicio, de dicta procuracione et perceptione fructuum dictarum forestarum usque ad dictam summam unciarum quinquaginta annualium et non ultra, a quondam Panormitano Archiepiscopo, tunc Regni Præside, cum inserto tenore omnium dictorum privilegiorum, XXVIII Octobris IIII Inditionis 1455 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 72 notatam, reportavit.

Obeunte demum dicto Ioanne de Pactis, sibi in dicta perceptione ipsarum forestarum successit Peregrinus de Pactis eius filius. Qui pro se, suisque imperpetuum heredibus, sub dicto militari servicio consueto, ad rationem videlicet unciarum viginti pro quolibet equo armato, iuxta annuos redditus ipsius perceptionis, a tunc Regni Prorege, de perceptione et procuracione eadem reddituum dictarum forestarum Sancti Georgii et Grassecte, nulla facta mentione de redditibus dictarum unciarum quinquaginta, et sic in fraudem Regie Curie, quando forte ipse foreste maiorem summam dictarum unciarum quinquaginta redderent, ultimo Aprilis II Inditionis 1469 investituram, in Regie Cancellarie libro iuramentorum in cartis 193 notatam, nactus fuit.

Dictoque ultimo Peregrino de Pactis nature satisfaciende, sibi in dictis forestis Sancti Georgii et Grassecte successit Ioannellus de Pactis eius filius, de quo non apparet in Cancellaria investitura. Noviter tandem dictus Ioannellus de Pactis ex dictis forestis Petrucio de Campulo messanensis quatuor vendidit marcata, puta marcatum Sancti Georgii, marcatum de Tri Fontani, marcatum de Chagi, et marcatum di la Petra, pro certo precio in quibusdam contractibus manu notarij Iacobi de Carissimo, II Novembris XIII Inditionis 1510 et II Iunij XIII Inditionis predictæ 1511 celebratis, Viceregia licentia preeunte. Qui Petrus Campulus pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descenditibus, de ipsis quatuor marcatibus ut predictur venditis, a don Ugone de Montecatheno, Regni moderno Prorege, XI Maij XV Inditionis 1512 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1514 in cartis 560 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, ipsa feuda Sancti Georgii et Grassecte per dictum Ioannellum de Pactis possidentur; que feuda anno quolibet reddunt . . . . . 07 . . .

Ipsa autem marcata Sancti Georgij Tri Funtani, Chagi et Petram per dictum Petrum de Campulo detinetur; et reddunt anno quolibet. . . . . 07 XXVIII.

Dictusque Petrucius Campulo de dictis quatuor marcatis cepit investituram a don Ugone de Moncada Vicerege, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis die XX Augusti III Inditionis, notatam in libro anni V Inditionis 1516 fol. 69; et iuravit reddere tantumdem.

Est nihilominus recte attendendum, quod possessores dictarum duarum forestarum Sancti Georgij et Grassecte in ipsis forestis non nisi uncias quinquaginta annuales percipere debent; reliquum vero reddituum earumdem Regie Curie esse oportet. Et ideo inquiratur si ipse foreste de preterito aut de presenti ultra dictas uncias quinquaginta reddere consueverunt et reddunt, pro Curie cautela. Preterea tam dicte due foreste Sancti Georgij et Grassecte, foresta Trahyne pro unciis centum annui redditus et non ultra heredibus dicti quondam Peregrini de Pactis senioris illarum primi acquiritoris concessa fuerunt, cum clausula scilicet, donec eisdem heredibus bona annui redditus ipsarum unciarum centum per Curiam assignentur. Et sic vestra Catholica Maiestas easdem tres forestas pro totidem iuxta formam dicti tituli recuperare potest, et suo Regio demanio agregare, licet ex forma Regni Constitutionum redditus ipsarum forestarum, cum sint membra et de iuribus Regni Secreiarum regiarum, alienari non possint, maxime quia huiusmodi alienaciones ex salariis officiorum Vice Magistri Iusticiarij et Prothonotarij Regni, que ad vitam illa exercentium concedi solent, et non imperpetuum descendunt.

De reliquis vero unciis quinquaginta annualibus de summa dictarum unciarum centum, super foresta predicta Trahyne ac super ipsis forestis Sancti Georgij et Grassecte deputatarum; que uncie centum certo modo et forma, ut predicatur, per prefatum Peregrinum de Pactis seniore, primum acquiritorum, iuniori Ansaldo de Pactis, filio prelibati Nicholai de Pactis, eius fratris, legatæ fuerunt, a dicto tempore dictorum Regum Federici et Petri secundi, patris et filij, nullus alius titulus sive scriptura in personam dicti Ansaldi legatarij sive suorum heredum et successorum facta reperitur; nisi quod, ut dictum est superius, in presenti opere in capitulo Foreste Trahyne in dictis cartis. . . . que foresta Trahyne per Sallimbenium de Marchisio, modernum possessorem terre Scalecte, descendenti a primo Sallimbenio de Marchisio tunc Regni Prothonotario, hodie possidetur, regnante Serenissimo Rege

Martino, per quondam Nicholaum de Pactis possidebatur. Qui Nicholaus de ipsa Trahyne foresta ac de dicta Scalecte terra prefato Sallimbenio de Marchisio seniori, qui de alia fuerat genologia et non descendenti recta linea dicti donatoris, donationem fecit, pro ut in ipso capitulo, ad quod me refero, diffusius enarratur.

Unde miror quomodo dicta foresta Trahyne ad dictum Nicholaum de Pactis, qui dictus est pater dicti Ansaldi de Pactis, legatarij prenominati Peregrini de Pactis senioris primi acquisitoris et testatoris, ut supra, pervenerit, cum sit, quod dictus quondam Peregrinus legaverit dictas uncias quinquaginta annuales super dicta foresta Trahyne, confuse cum aliis unciis quinquaginta ad complimentum dictarum unciarum centum annualium super dictis tribus forestis, scilicet Trahyne, Sancti Georgij et Grassecte, prefato Ansaldo de Pactis filio dicti Nicholay de Pactis, et huiusmodi legatum non patri, sed filio factum fuerit. Quomodo ergo nulla facta mentione de filio aut de morte ipsius filij absque herede, poterat dictus Nicholaus de Pactis in dicta foresta Trahyne succederi, et demum de illa prefato quondam Sallimbenio de Marchisio seniori de alia agnacione donationem facere. Et ideo quodcumque apparebit dictum Ansaldum legatarium, ut supra, fuisse filium dicti quondam Nicholay de Pactis, de quo fuit donatarius prefatus Sallimbenius de Marchisio, ut supra, dico huiusmodi donationem fraudulenter et in preiudicium Regie Curie factam fuisse; quo casu esset nulla et nullius efficacie et momenti.

Nihilominus, quomodocumque sit, si dicta foresta Trahyne, de qua prefatus Sallimbenius de Marchisio senior a predicto quondam Nicholao de Pactis donationem habuit, illa est in qua succedere debebat pro dictis unciis quinquaginta annualibus dictus quondam Ansaldus de Pactis legatarius, ut supra, qui dictus fuit filius dicti quondam Nicholai de Pactis, fratris prelibati Peregrini de Pactis senioris testatoris ut supra, non dubium est, quod dictus Nicholaus de illa disponere non poterat eamque prefato Sallimbenio de Marchisio seniori donare, cum in illa successores dicti Ansaldi recta linea succedere debuissent, et non dictus Nicholaus de Pactis eius pater; nam linea dicti Ansaldi deficiente, foresta ipsa dicte Rerie Curie devoluta fuisset.

Tamen, quomodocumque sit, dicta foresta Trahyne conditionaliter concessa extulit scilicet, pro redditibus dictarum unciarum quinquaginta, et cum clausula de illam recuperando pro equivalenti excambio una cum dictis aliis duabus forestis Sancti Georgij et Grassecte, sed vera corpora ipsarum trium forestarum num-

quam concessa fuerunt nisi tantum dicte uncie centum annuales, ut predicatur, ad hoc ideo est diligenter attendendum, nisi forte de opposito liquide apparet, videlicet quod dictus Ansaldus de Pactis dicti Peregrini de Pactis senioris legatarius in dictis unciis quinquaginta super dicta foresta, non fuisset filius dicti Nicholai de Pactis, cuius dictus Sallimbenius de Marchisio senior fuit donatarius, quodque ipse Nicholaus de Pactis alia via dictam Trahyne forestam acquisivisset, de quo legitimus titulus et authenticus demonstrari oporteret; et ideo possidens esset ad predicta edendum omnino compellendus pro indaganda veritate.

---

**Foresta Sancte Lucie.**

---

De foresta autem Sancta Lucia Randacij, dico quod post mortem dicti primi Peregrini de Pactis testatoris foresta ipsa Regio demanio iuxta formam privilegiorum dictorum Regum Federici et Petri secundi reduci debebat. Et nihilominus in informacione Regni secreciarum Regia Curia de dicta foresta Sancte Lucie nullum introytum, nullumque exitum fecit neque facit, minusque apparet illam per retroprincipes, cuique persone fuisse concessam. Et ideo pro Curie indempnitate est veritas inquirenda.

---

**Foresta Trahyne.**

---

Hoc etiam dicendum est de foresta Trahyne, quod sequuta prenominati quondam Peregrini de Pactis senioris morte, Regio demanio restitui debebat, verbis premaxime in privilegio dicti Re-

gis Federici premencionato contentis diligenter consideratis. Et tamen dictum fuit, quod tempore regiminis dicti Regis Martini foresta ipsa per quondam Nicholaum de Pactis, qui de illa prefato quondam Sallimbenio de Marchisio seniori tunc Regni Prothonotario donacionem fecit, absque titulo possidebatur, pro ut dictum est tam in capitulo dicte foreste Trahyne quam hoc in capitulo; et ideo ad id quod iuris fuerit attendatur.

---

**Piscopo Feudum.**

---

Feudum lu Piscopo vulgo dictum, in valle Demine et territorio terre Castri Regalis secus feudum Sancti Andree et alios confines existens, ut asseritur per quondam Riccardum Rubeum, Messanensem, suosque progenitores, de quibus non apparet in cancellaria aliquis titulus sive privilegium, antiquitus possidebatur. Quo Riccardo exinde defuncto, sibi in dicto Piscopu feudo successit Damianus Rubeus eius filius. Qui comparens coram Illerdensi Episcopo et Antonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, illisque exponens dictum quondam Riccardum eius patrem dictosque suos progenitores feudum predictum tenuisse et possedisse, et ob regni bellorum turbines privilegio et scripturas dicti feudi deperdisse, constituto tamen de dicta possessione ab ipsis Proregibus de ipso feudo lo Piscopo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio regijs antiquis regalijs Regni Constitucionibus, iuribusque Regie Curie semper salvis, XV Februarij X Inditionis 1416, confirmacionem et investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 145 notatam, reportavit.

Dictoque Damiano Rubeo ad mortem exinde deveniente. suum condidit testamentum VIII Octobris XIII Inditionis manu notarij Nicholai de Francavilla celebratum; in quo Gnelium Rubeum in dicto feudo lo Piscopo et aliis eius bonis feudalibus et burgensaticis suum instituit heredem universalem, sub qua dispositione exinde decessit. Et certis ex causis ipsa feudalia et alia bona et



signanter dictum feudum lu Piscopo Regie Curie aperta fuere et devoluta ac acquisita, Serenissimus que Rex Alfonsus feudum ipsum lu Piscopo ac bona dicti quondam Domiani Rubei concessit quondam Vitali de Castelladoris alias de Blanes. Qui Vitalis feudum ipsum per certum tempus tenuit et possedit, illius redditus et proventus percipiendo et percipi faciendo.

Deinde vero dictus Vitalis de Castelladoris alias de Blanes, nonnullis rationibus motus, prefato Gulielmo Rubeo feudum predictum di lu Piscopo, asserto puplico contractu manu notarij Iacobi de Comite IIII Novembris prime Inditionis 1437 celebrato mediante, restituit.

Quo quidem Gulielmo Rubeo feudum predictum tenente et possidente, feudum ipsum di lo Piscopo per eum quondam Simoni de Braccunerio suisque imperpetuum heredibus pro certo precio intuitu servitorum et pecuniarum intervenientium puplico mediante contractu manu notarij Petri de Medico, XXIII Maij II Inditionis 1439 celebrato, venditum fuit. Qui notarius Simon, nulla facta mencione si dicta vendicio rite et recte ac cum licentia Principis processit vel non, de feudo ipso di lo Piscopo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio regijs antiquis regalijs Regni Constitutionibus, et iuribus Regie Curie semper salvis, a quondam don Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, XV Iulij prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 264 notatam, reportavit.

Postmodum autem dictus notarius Simon de ipso feudo lo Piscopo Angelo de Braccunerio eius filio, Viceregia preeunte licentia, puplico mediante contractu manu notarij Bartolomei de Romano, XXVII Novembris V Inditionis 1484 celebrato, donacionem fecit; ob quod dictus Angelus de Braccunerio pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de feudo ipso a quondam Gaspare de Spes, tunc Regni Prorege, XX Marcij V Inditionis 1486 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 380 registratam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum lu Piscopo per dictum Angelum Braccuneri possidetur; quod feudum anno quolibet reddit . . . . . 07 XV.

Mortuo tandem dicto Angelo Braccuneri, successit sibi in dicto feudo Piscopo domina Blanca de Carducijs illius soror. Que de feudo ipso a don Ugone de Montecatheno, moderno Regni Prorege, die primo Octobris IIII Inditionis 1515 investituram, in Regie Can-

cellarie libro anni eiusdem in cartis 424 notatam, reportavit. Et per ipsam ad presens dicto currente anno possidetur.

Exinde vero dicta Blanca de Carducio de dicto feudo refutationem et donacionem fecit irrevocabiliter inter vivos Bernardino de Carducio eius filio, ut patet in contractu huiusmodi donacionis acto manu notarij Blasij de Mustica, de civitate Trayne, XXVIII Novembris IIII Inditionis 1515; dictusque Bernardinus de Carducio obtinuit pro se, suisque filiis et heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, a don Ugone de Moncada Vicerege de dicto feudo investituram, die XVIII Decembris IIII Inditionis 1515, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 341; et per eundem Bernardinum feudum ipsum in presentiarum possidetur, et reddit. . . . . 07 XV.

Et ultra dictus Bernardinus de Carducio de dicto feudo lo Piscope cepit investituram a don Ioanne de Luna Presidente, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis et successionem dominorum Regum Ioanne et Regis Caroli matris et filij die XI Decembris V Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 275; et iuravit, tactis scripturis, reddere tantumdem.

---

**Casale Novum Feudum.**

---

Feudum Casale Novum nuncupatum, in valle Demine et territorio Plani Melacij positum, ut asseritur per quondam Raynaldum de Lancea messanensem, de quo non reperitur in Cancellaria investitura, antiquitus possidebatur. Quo exinde defuncto, sibi eodem in feudo successit Anthonius de Lancea eius filius legitimus et naturalis; qui coram Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, comparens, illisque enarrans feudum predictum per eius progenitores dictumque eius patrem diu possessum extitisse, ipsiusque feudi privilegia ob bellorum revolutiones amisisse; constituto tantum de possessione, tam ex paterna successione, quam vigore cuiusdam permutacionis inter eum et Franciscum Lanceam, eius fratrem, facte; ab ipsis Proregibus de feudo

ipso pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio regis antiquis regalibus Regni Constitutionibus regieque Curie iuribus semper salvis, eorum cum Viceregio privilegio dato Cathanie in anno 1416 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 159 notato, confirmationem et investituram reportavit.

Mortuo deinde dicto Anthonio Lancea sine filijs, sibi in dicto Casali Novo feudo successit Anthonius Lancea, tanquam eius nepos et innexu sanguinis strictior. Qui Anthonius iunior pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, de dicto Casali Novo feudo a don Ioanne de la Nuça tunc Regni Prorege, VIII Maij prime Inditionis 1499 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1497 in cartis 154 notatam, obtinuit.

Dictus vero Anthonius Lancea iunior exinde de feudo eodem Casali Novo Raynaldo de Lancea eius filio primogenito legitimo et naturali, puplico mediante contractu manu notarij Vincentij de Maiorica IIII Septembris X Inditionis 1506 celebrato, donationem fecit; cuius virtute idem Raynaldus Lancea, XXVII Decembris X Inditionis 1506, de feudo ipso a Ioanne Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 375 notatam, habuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Casale Novum per dictum Raynaldum de Lancea possidetur; quod feudum anno quolibet reddit. . . . . 07 . . . ,

Licet per partem predictum feudum Casale Novum possidentem tunc Regni Proregibus data fuerit informacio, quod ob bellorum turbines in regno successos privilegia concessionis ipsius feudi amissa fuerant; quodque propterea constituto tantum de possessione, fuit illi in anno 1416 concessa prima investitura superius calendata, tamen dico (*sic*). . . . .

Mortuo deinde dicto Raynaldo Lancea, sibi in dicto Casali Novi feudo successit Antonella Lancea minor, eius filia primogenita, legitima et naturalis, ac heres universalis dicti quondam Raynaldi ex eius testamentaria dispositione; que de feudo ipso a don Ugone de Montecatheno, moderno Regni Prorege, per Anthoninum Sollima procuratorem factum per Thomasium de Mirulla et Bicti Mirulla tutores testamentarios dicte Anthonelle, de feudo ipso Casali Novo, die XXII mensis Octobris IIII Inditionis 1515 investituram, in Regie Cancellarie libro anni predicti 1515 notatam in cartis 171, reportavit. Quod testamentum fuit celebratum in actis



humilem supplicacionem Nicholay de Prothonotario, civis messanensis, familiaris et fidelis nostri dicto domino patri nostro et nobis humiliter factam, consideracione presertim gratorum obsequiorum per eum dicto domino patri nostro et nobis devote et fideliter oblatorum, et que, auctore Domino, conferre poterit in futurum, procuracionem ac iurium reddituum perceptionem proventuum Vinee Curie nostre posite in territorio et pertinenciis dicte terre Melacij, que de nostro demanio cum terra culta et inculta, arboribus silvestribus et domesticis, ac omnibus iuribus, rationibus, proprietatibus et pertinenciis suis, quam Bernardus Arnaldus usque ad tempus mortis sue a Curia nostra sub certa forma tenuit et possedit, eidem Nicholao et suis heredibus imperpetuum ad ipsius iura proventus et redditus percipiendos et habendos eorum utilitatibus applicandos, non obstante quod de demanio nostro sit; ita tamen quod tam pro ipsis iuribus, redditibus et provenctibus, quam etiam redditibus et provenctibus fundaci parvi di Dividi casio Regie Curie civitatis Messane, cuius iura redditus et proventus eidem Nicholao in tota vita sua nuper concessum, idem Nicholaus dimidij militis quamdiu vixerit et subsequenter heredes sui pro dicta tantum omni quinta parte unius militis servicio Curie nostre servire propterea teneantur. Ad quod servicium dictus Nicholaus se suosque heredes voluntarie obligavit, dictus dominus pater noster et nos, ex certa sua scientia, ex nunc duximus committendum et concedendum, fidelitati tue mandamus quatenus predictum Nicholaum, vel eius nuncium, presentes tibi licteras assignantem in corporalem possessionem predictorum omnium, cum iuribus et actionibus et pertinencijs suis predictis, premissis forma et modo presentium auctoritate inducas, sibi que facias pro inde responderi, facturus de inductione possessionis huiusmodi quatuor quinternos consimiles, continentes formam presentium diem inductionis possessionis ipsius et totum processum tuum in his habendum; quorum uno sub sigillo dicti Nicholai tibi retento, alio dicto Nicholao, vel eius nuncio sub tuo sigillo dimisso, tertium nobili Petro de Antiochia militi Regni Sicilie Cancellario et consanguineo, et quartum nobilibus Ioanni de Claramonte eiusdem Regni Siniscalco generali procuratori, ac Matheo de Sclafano magne nostre Curie magistris Racionalibus, militibus, consiliaris vel eorum in Curia Locatenentibus, familiaribus et fidelibus nostris, sub eodem sigillo tuo mictas et facias consignari. Ecce quidem notario Laurencio Cartagne de Messana notario Curie familiari et fideli nostro, quod predictum Nicholaum in possessionem dicti fundaci in predicta pro dicta causa

inducant alie nostre sub competenti forma lictere diriguntur, date Messane III Ianuarij X Inditionis etc.

Per quod quidem regium privilegium facillime percipi potest, quod dictum feudum Vineae Regis de antiquo Regio demanio, ac de iuribus dicte Regie Secrecie Melacij fuerat; et quod per ipsum Regem Petrum eidem Nicholao de Prothonotario, suisque imperpetuum heredibus sub servicio dimidij militis Regie Curie prestando eius vita durante, et post sui obitum, quod dicti eius heredes ad quintam partem dicti militis teneantur, concessum extitit.

Mortuo tandem dicto Nicholao de Prothonotario, sibi Oliverius de Prothonotario successit. Quo defuncto, sibi in ipso feudo successit Ioannes de Prothonotario eius filius qui, transgressa forma dicti regij privilegij quondam Nicholao de Balsamo quondam Tuchij messanensis, suisque imperpetuum heredibus de feudo ipso Vineae Regis donacionem fecit inter vivos irrevocabilem; quod feudum tanquam eius bonum proprium et burgensaticum francum et liberum omni servicio ac census servitute puplico mediante contractu manu quondam notarij Ioannis de Marraffo, XIII Novembris VIII Inditionis 1415 celebrato, donavit.

Verum. cum dictus Nicholaus de Balsamo donatarius predictae donacionis feudi ab Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, confirmacionem exposceret, antiquumque titulum feudi ipsius habere procuraret, privilegium Serenissimi Regis Petri primeve concessionis dicte Vineae in feudum habuit. Sed per dictos Proreges fraude et malicia dicti Ioannis de Prothonotario actenta, eo quia feudum ipsum tanquam bonum suum proprium burgensaticum et non feudale donaverat, ac forma ipsius tituli convenerat, Proreges ipsi dictam confirmacionem prefato Nicholao de Balsamo concedere primo denegarunt. Sed deinde ratione postposita et non sine consciencie nota Proreges ipsi, quo iure ignoro, eidem Nicholao de Balsamo, suisque imperpetuum heredibus, sub servicio quinte partis unius militis Regie Curie prestando, in sacri Regij demanij preiudicium non modicum, eorum cum viceregio privilegio, dato Cathanie XI Februarij 1416 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 195 notato, concesserunt.

Unde clarissime patet, quod dictus Ioannes de Prothonotario in dicte Regie Curie fraudem dictam fecit donacionem prefato Nicholao de Balsamo, de alia agnacione et genologia, tradens illi feudum antedictum tanquam rem propriam et burgensaticam et non feudalem; quo casu ipsum feudum Regie Curie devolutum erat,

et signanter quod de iuribus et membris dicte Regie Secrecie fuerat, et Regni Constitutionibus obstantibus alienari non poterat, precipue cum eodem Nicholao de Prothonotario, avo paterno dicti Ioannis donatoris, suisque imperpetuum heredibus sub dicto militari servicio concessum fuerit; quo casu, cum dictus antiquus titulus non se ad heredes et quos voluerit extendat, minusque ipse Ioannis donator primus fuerit feudi ipsius acquisite; dicta donatio, tanquam illegitime et minus iuste ac rationabiliter facta, nulla est, et ab ipsis Proregibus accepiari et confirmari non poterat, nec debebat.

Preterea essem opinionis, quod militare regium servicium dimidij militis esset, et non quinte partis unius militis, cum ob dictam donacionem in aliam agnacionem transiverit, concessio enim quinte partis dicti militis, heredibus dicti Nicholai de Prothonotario primi acquisite, et non extraneis facta fuit; et ideo ad predicta est recte attendendum pro Curie cautela.

Tamen, quomodocumque sit, dicto Nicholao de Balsamo defuncto, sibi eodem in feudo Vinee Regis successit Tuchius de Balsamo eius filius. Qui sub dicto militari servicio quinte partis unius militis pro se, suisque imperpetuum heredibus, a quondam comite Ioanne, tunc Regni Prorege, de dicto feudo XX Maij X Inditionis 1432 investituram reportavit.

Ipsa tandem Tuchio de Balsamo in possessione dicti feudi Vinee Regis existente, quondam Adam de Asmundo legum doctor in civitate Messane, pro nonnullis negocijs in Viceregem creatus, prefatum Tuchium de Balsamo super possessione dicti feudi per regij fisci procuratorem molestari temptavit. Nihilominus Serenissimus Rex Alfonsus, non obstantibus molestijs per dictum Adam de Asmundo temptatis, dictas terras sive feudum Vineam Regis eidem Tuchio de Balsamo, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub eodem militari servicio iuxta seriem et tenorem dictorum privilegiorum, ut supra exponitur, eius cum Regio privilegio dato in civitate Capue XIII Martij III Inditionis 1440 confirmavit. Et sic dictus Tuchius pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub eodem servicio quinte partis unius equi armati, de feudo ipso a Simone Panhormitano Archiepiscopo tunc Regni Preside, X Octobris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 291 notatam, obtinuit.

Deficiente denique dicto Tuchio de Balsamo, sibi in dicto feudo Vinee Regis successit Nicholaus de Balsamo, legum doctor, de quo non reperitur in Cancellaria investitura per eum, videlicet ob mor-

tem dicti Tuchij eius patris, capta, nisi tantum ob mortem Serenissimi Regis Ioannis. Quam pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub dicto militari servicio a don Gaspare de Spes, tunc Regni Prorege, in libro Regie Cancellarie anni 1479 in cartis 176 notatam, consequutus fuit.

Decedente deinde dicto Nicholao de Balsamo legum doctore, sibi eodem in feudo successit Angelus de Balsamo eius filius, de quo etiam non apparet in Cancellaria investitura.

Obeunte postremo dicto Angelo de Balsamo sine filiis eius de corpore legitime descendentibus, sibi eodem in feudo Vinea Regis successit Franciscus de Balsamo eius consobrinus, nepos predicti Nicholay de Balsamo eius patrum. Qui Franciscus, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub militari servicio, de ipso feudo a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, tam virtute institutionis testamenti dicti quondam Nicholay de Balsamo eius patrum, quam virtute donacionis sibi facte per dictum Angelum de Balsamo eius consobrinum, XVII Novembris XI Inditionis 1507 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 197 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum la Vigna di lu Re per dictum Franciscum de Balsamo possidetur; quod anno quolibet reddit. . . . . 07 . . .

---

**Fundacus Parvus Curie Appellatus Bitonti  
ac Pirago Feudum.**

---

Fundacus parvus Regie Curie Bitonti vulgo appellatus, intus messanensem civitatem in vico Cuppulariorum iuxta domos matris Ecclesie ex parte orientis, secus domos Bartuchij Frisarij ex parte occidentis, et prope domos dicte matris Ecclesie ex parte Aquilonis, ac iuxta viam publicam ex parte meridiei, positus in valle Demine, tanquam de iuribus et membris Regie Secrecie messanensis, quondam Oliverio de Prothonotario militi messanensi suisque imperpetuum heredibus et successoribus in feudum, sub servicio mili-



tari unius balistarij, per Serenissimum Regem Lodovicum cum potestate illum vendendi, locandi, permutandi, alienandi, et quocumque alio titulo in alios transferendi iure tamen Francorum, eius cum Regio privilegio dato Messane XX Iunij II Inditionis 1349 concessus extitit; de quo hospicio sive fundaco Bitonti, ac feudo Pirago superius etiam in cartis 353 verba feci.

Mortuo tandem dicto Oliverio de Prothonotario, sibi in dicto Bitonti feudo successit Ioannes de Protonotario eius filius legitimus et naturalis, de quo Regia in Cancellaria nulla apparet investitura.

Defuncto deinde dicto Ioanne de Prothonotario sine filijs, sibi eodem in fundaco successit Simon de Turtureto illius consobrinus, de quo etiam nulla reperitur investitura.

Decedente postmodum dicto Simone de Turtureto, sibi eodem in fundaco Bitonti successit Nicholaus de Turtureto eius legitimus filius et naturalis, ac maior natu. Qui, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, de ipso Bitonti fundaco a quondam Simone Panormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, sub dicto militari servicio unius balistarij iure Francorum, Regni Constitutionibus, iuribus Regie Curie et alterius semper salvis, X Septembris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 316 notatam, reportavit.

Deficiente exinde dicto Nicholao de Turtureto absque filijs, sibi in dicto Bitonti fundaco successit, ut percepi, Thomas de Turtureto eius frater, de quo in Cancellaria non apparet investitura.

Quo Thoma de Turtureto postremo absque filijs obeunte, sibi eodem in fundaco successit Matheus de Turtureto, eius frater. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, de ipso fundaco a quondam Ioanne de la Nuca tunc Regni Prorege, XXI Aprilis V Inditionis 1502 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 397 notatam, obtinuit.

Ipsoque Matheo de Turtureto nature satisfaciente, sibi eodem in Bitonti fundaco successit Franciscus de Turtureto eius filius primogenitus. Qui pro se, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus iure Francorum, de fundaco predicto a don Ugone de Montecatheno, Regni moderno Prorege, die III Iunij prime Inditionis 1513, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1512 in cartis 717 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, dicto anno 1513 decurrente, ipsum Bitonti fundacum dictus Franciscus de Turtureto tenet et possidet. Qui fundacus anno quolibet reddit. . . . . 07 XVI.

Fuitque dictus Franciscus Turturetus ob eius demerita et fellonias decapitatus, dictumque fundacum Bitonti devolutum Regie Curie, per quam exinde fuit venditum Ieronymo la Rocca certo precio, ut patet in actu liberacionis et possessionis, die VIII Maij VII Inditionis 1519; et cepit investituram a domino Vicerege don Hectore Pignatello comiti Montillionis die XV Iulij VII Inditionis 1519, notatam in libro anni VII Indicionis 1518, fol. 38; et iuravit reddere tantundem.

---

**Feudum Pirago.**

---

Quo ad feudum Pirago in Plano Melacij existens, dico, quod illius unam medietatem pro indiviso prefatus Oliverius de Protho-notario possidebat, quo tamen iure Regia in Cancellaria non apparet; alteram vero medietatem quondam Nicholaus Tranquida de terra Castri Regalis detinebat. Qui Nicholaus Tranquida cum absque herede decessisset, et eadem feudi Pirago medietas propterea Regie Curie devoluta fuisset, illam Serenissimus Rex Martinus quondam Beltrando de Montodron, suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio dato Leocate X Marcij VIII Inditionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 139 notato, concessit.

Dictus vero Beltrandus de Muntodron eandem feudi medietatem, Regia licencia preeunte, pro certo precio quondam Ioanni Crisaphi, puplico contractu mediante manu notarij Ioannis de Carasto VIII Septembris X Inditionis 1401 celebrato, vendidit. Quem contractum Rex idem Martinus prefato Ioanni Crisaphi, iuxta privilegium prefato Beltrando concessum, alio cum eius Regio privilegio dato Cathanie III Octobris X Inditionis 1401, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 206 notato, confirmavit.

**Sicamino Feudum sive Casale, Nemus Ecclesia  
Sancti Blasij, Psilosmore Terre.**

---

Casale sive feudum de Sicamino cum Ecclesia Sancti Blasij nemore et terris Psilosmore, in valle Demine et territorio Melacij positum, Serenissimo Regerio Normando, Comite Italie, Calabrie et Sicilie, Regni huius ulterioris Sicilie ab Infidelium manibus primo acquirentore, regnante, per Comitem ipsum Galterio de Gavarrecta, suisque filiis et heredibus sui virtute privilegij concessum fuit. Quod privilegium est tenoris sequentis scilicet :

Privilegium factum a me Rogerio Comite Italie, Calabrie et Sicilie, et datum tibi militi Galterio dicto de Gavarrecta, mense Madij Indicionis tercię; qui pure et sine dolo nobis servierunt, et ad finem apparuerunt et amplexi fuerunt nostri servicij dignum in his benefacere gratiam autem assummere ut domino placeamus, alias autem extollere quod toto dominio nostro et mandato et servicio compleantur. Hic igitur te dictum militem Galterium Gavarrectam sine desidia invenimus ad nostra servicia servientem, satis multa pro mercede gratiam donamus tibi et filiis tuis et heredibus in valle Melacij feudum casalis dictum de Sicamino, cum tenementis suis, divisum sic anasida dicta Apsicha et ascendit a paraspone, deinde pervenitur ad vallonem de Dasiu, deinde descendit ad flomariam, et ascendit per flumen flumem et pervenitur ad serraginam; deinde ascendit et pervenitur ad Manusam, et sic ascendit vallonem et pervenitur ad Cumfuci, deinde descendit ad Zesire et ascendit per serrum de Villa et pervenitur aliquo Succhi; deinde ascendit ad Ipiscarmam et ascendit ad platam, et ascendit per serrum usque ad salicem, deinde descendit ad vallonem de Cirasus, et sic ascendit per vallonem vallonem usque ad Milivison et sic ascendit et pervenitur a Perrocuchon et descendit per cristam de Trichana, deinde descendit ad sallidam de Ziquia, et sic descendit a Mesocheruria, deinde descendit ad flumem et descendit per flumen flumen et pervenitur ad Nasidam de Psicha, et sic concluditur. Similiter damus eis nemus, quod est intus in ipsa divisione; damus autem tibi ad flomariam terre Montis fortis et Ecclesiam Sancti Blasij cum terris ipsius Ecclesie, et ibidem molendinum et terram dictam de Psilosmo-

re et villanum unum Sarracenum cum filijs eius Theomenus, et possessiones eius, hoc dictum feudum sicut ipsum divisum, ut diximus, dedimus ipsum tibi predicto Galterio Gavarrecta et tuis heredibus ad habendum ea et possidendum imperpetuum; non habeat potestatem audere aliquis de nostris heredibus aliquando auferre a vobis dictas feudi res, super hoc enim presens privilegium scriptum est et roboratum et sigillatum mea consueta bulla plumbea, datum est tibi prefato Galterio de Gavarrecta mense et inditione prescriptis, anno VI Inditione DCXXIII. Rogerius Comes Italie et Calabrie et Sicilie et christianorum Ajutor (1).

Decurso demum longi temporis curricule, videlicet a die data dicti privilegij Comitis Rogerij usque ad tempus quo serenissimus Rex Alfonsus regnabat, feudum ipsum Sicamino ad quondam Ambrosianum Sicaminum pervenit, de quo nullus in Cancellaria titulus apparet, sive investitura. Quo Ambrosiano defuncto, dictum feudum Geraldo Sicamino illius filio cessit. Qui Geraldus pro se, suisque filiis et heredibus, constito tamen de possessione dicti Ambroxiani eius patris, ac eiusdem Geraldi cum inserto tenore preinserti privilegij dicti Comitis Rogerij transumptati, a tunc Regni Proregibus, sub consueto militari servicio, de ipso Sicamino feudo, XVII Marcij 1416 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 219 notatam, reportavit.

Mortuo deinde dicto Gerardo de Sicamino, sibi in dicto Sicamino feudo successit Tucius de Sicamino, eius filius primogenitus legitimus et naturalis, de quo in Cancellaria non reperitur investitura.

Decedente postmodum dicto Tucio de Sicamino sine filijs, sibi in dicto Sicamino feudo successit Nicholaus de Sicamino eius frater, filius dicti quondam Geraldi secundogenitus. Qui Nicholaus pro se, suisque filijs et heredibus sub consueto militari servicio de feudo ipso a Nicholao Speciali, tunc Regni Prorege, XVIII Augusti III Inditionis 1425 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1424 in cartis 537 notatam, habuit.

Deficiente demum dicto Nicholao de Sicamino, sibi in predicto Sicamino feudo successit Smiralda eius filia legitima et naturalis, tunc uxor Nicholay de Farachio. Que dum vixit feudum ipsum tenuit et possedit, tamen de illa non reperitur investitura.

---

(1) Come rendesi per tutti evidente, il diploma del Conte Ruggiero, allorchè ne venne eseguito il transunto, uscì scorrettissimo dalla penna del traduttore.

Obeunte exinde dicta Smiralda, sibi in dicto Sicamino feudo successit Rogerius de Farachio eius filius et dicti quondam Nicolai iugalium. Qui Rogerius pro se suisque filijs et heredibus de ipso Sicamino feudo, a tunc Panhormitano Archiepiscopo Regni Preside Regie Curie iuribus Regni Constitutionibus, antiquisque regalijis semp̄er salvis, XX Ianuarij II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 420 notatam, obtinuit.

Tandem dicto Rogerio de Farachio nature satisfaciente, sibi in dicto Sicamino feudo successit Bernardinus de Farachio, dicti Rogerij et Ricce iugalium filius. Qui Bernardinus pro se, suisque filijs et heredibus de ipso feudo a quondam don Gaspare de Spes, tunc Regni Prorege, XII Februarij IIII Inditionis 1486 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1485 in cartis 306 registratam, nactus fuit.

Actendendum tamen est, si dictus Bernardinus Farachi fuit vere filius illius Rogerij de Farachio, qui de ipso feudo in anno 1453 ut predicatur, investituram consequutus fuit; nam ipse Bernardinus dixit se filium fuisse Rogerij de Farachio. Sed quia a dicto anno 1453 usque ad dictum annum 1486 multum temporis evanuit, possibile esset quod dictus Rogerius, qui dictam habuit investituram, non fuisset dicti Bernardini pater; et ideo ad hoc edendum compelli posset.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Sicamino per dictum Bernardinum de Farachio possidetur, quod feudum anno quolibet reddit . . . . . 07 . . .

---

**Salina Siccamini.**

---

Salina quedam in feudo Siccamino, de quo superius in cartis . . . dixi, posita, per quondam Infantem don Petrum de Aragonia, fratrem Serenissimi Regis Alfonsi tunc in Regno generalem Vicarium, quondam Ioanni de Bonfilio militi messanensi in feudum integra, sub consueto militari servicio, eius tantum vita durante, vel que Salina in ipso Siccamini feudo inveniri sperabatur; cum clausula, quod dictus Ioannes de Bonfilio pro dicta Salina nemi-

nem in superiorem, nisi Regiam Curiam, recognoscere teneretur, concessa extitit; sicuti in ipsius Infantis Petri de Aragonia privilegio, dato Messane XV Iunii 1436 et in Regie Cancellarie libro anni 1435 in cartis 420 notato, continetur.

Sed quia de ipsa salina in dicta Regia Cancellaria nullum aliud privilegium sive scripturam inveni, est diligenter attendendum, ac recte inquirendum in quo Salina ipsa consistat, et in cuius posse reperiat. Quia a tempore mortis dicti Ioannis de Bonfilio citra, dicta concessio extincta fuit; et ipsa Salina Regie Curie devoluta. Et evenire potuisset, quod aut baro dicti feudi, aut aliquis alius Salinam ipsam occupatam detineret; quod in maximam tenderet Regie Curie fraudem, presertim cum in compotis Regie Secrecie terre Melacij de dicta Salina nullus fiat introitus neque exitus.

---

**Censualia Secrecie Messane 07 LXXXVIII.**

---

Etsi de censualibus, sive cabellis censualium Regie Curie, que de membris et iuribus Regie Secrecie civitatis Messane vallis Demine semper fuerunt et sunt, et summam capiunt unciarum LXXXVIII, in Regni Secreciarum Capibrevio in capitulo dicte Secrecie in cartis 55 notato, diffusius verba protulerim; nihilominus cum ea in feudum sub onere regij militaris servicij concessa fuerunt, de illis pro tue Regie Celsitudinis servicio, ac pro confectione Rolli feudorum regni noviter conficiendi; nec non ut percipi possit si illorum moderni possessores recta linea a primis eorum acquisitoribus descendunt, vel ne. Preterea ut facilius discerni valeant ea que cum clausula equivalentis excambij concessa fuere, ut pro totidem reperiri possint, seu alijs pro maiori precio in casu regie necessitatis concedi, iuxta instructiones per tuam regiam Celsitudinem traditas, hoc in loco aliquid dicere singulatim proposui, prout inferius continetur.

**Censuale Messane 07 XX. Baccarati Feudum.  
Cabella Statera Messane.**

---

Censuale unciarum viginti annui redditus, de iuribus Secrecie Messane, per Serenissimum Regem Federicum secundum, patrem Serenissimi Regis Petri secundi. quondam Galterio de Magna, et suis imperpetuum heredibus, sub servicio unius militis, hoc modo concessum extitit, videlicet; quod dictus Rex Federicus secundus eidem Galterio, et dictis suis heredibus, ac sub eodem servicio uncias viginti annuales super morticijs et excadencijs Regie Curie, suis cum assertis regijs patentibus licteris concessit. Que uncie viginti ex ordinacione Curie exinde ad uncias duodecim annui redditus modificate fuerant; quas uncias duodecim annuatim, Galterius ipse a tunc regio thesaurusario in excambiam et integram satisfactionem sue provisionis unciarum duodecim recipiebat. Sed dictis patentibus regijs licteris per ipsum Galterium de Magna certa ex causa resignatis, et per Regiam Curiam laceratis, dictus Rex Petrus secundus, predicti Regis Federici filius, eidem Galterio de Magna procuracionem et perceptionem iurium honorum reddituum et proventuum feudi Baccarati, siti et positi in tenimento terre Placie, quod fuerat quondam Iacobi Cannata militis, et Regie Curie certis ex causis per ipsum Regem Petrum Secundum aggregatum extiterat, concessit; cum hoc tamen quod dictus Galterius de redditibus dicti feudi Perrono Cannata, filio muto dicti Iacobi Cannata, pro eius vita et uxoris sue, ex dicte Regie Curie provisione uncias vigintiquatuor, et Iuliano de Magna, filio ipsiusmet Galterij pro eius uxore, filia quondam Perroni Sapurito messanensibus uncias quindecim solvere teneretur, sub certis forma et servicio, in eius asserto Regio privilegio contentis; que perceptio eidem Galterio sub certa forma concessa fuit, sub eodem servicio unius militis, dum bella, que tunc temporis in regno vigeant, durarent. Reliqui vero fructus et proventus dicti feudi ipsi Galterio cederent, in satisfactionem dicte sue assignacionis sive provisionis, de quibus se bene contentum reputavit. Nihilominus quandocumque tam tempore pacis, quam belli, feudum ipsum a dicto Galterio abstraheretur, sive per ipsum Regem Federicum et Regem Petrum pa-

trem et filium, alij concederetur, sive heredibus dicti quondam Iacobi Cannata restitueretur, dicta provisio unciarum duodecim per dictum regium thesaurarium eidem Galterio solveretur, quemadmodum in eisdem regijs patentibus licteris contineri asseritur.

Mortuo deinde dicto Perrono Cannata muto, prefatus Rex Petrus secundus quondam Rubeo de Rubeo messanensi Aydoni comiti et regni magistro Rationali, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, dictum feudum Baccarati, casu quo ad Regie Curie manus rationabiliter deveniret, pro ea quantitate pecunie ad quam redditus et provenctus annui feudi eiusdem ascenderent, concessit: que pecunie quantitas deberet tamen deduci a provisione quam anno quolibet comes ipse a Regia Curia percipiebat, iuxta formam per ipsam Regiam Curiam in talibus tunc observatam. Cum hoc tamen, quod si forte feudum ipsum Regie Curie devolvi non contingeret, ipseque comes illud forte emeret, ius Regie Curie in ipsa emptione competens ipsi comiti cederet, de quo iure Rex ipse de speciali gratia eidem comiti relaxacionem faciebat; pro ut in alijs ipsius Regis Petri secundi patentibus licteris contineri enarratur.

Sed cum propterea dictus Galterius de Magna ab ipsa procuracione et perceptione reddituum et proventuum feudi ipsius Baccarati amotus, bellis perdurantibus, extitisset; Rex predictus providit quod idem Galterius de Magna pro se et suis heredibus ad dictam suam annuam provisionem unciarum viginti super pecuniam dictorum censualium magnorum et parvorum Regie Secrecie Messane sibi exsolvendam, sub dicto regio militari servicio unius militis, eis modo et forma quibus heredes quondam iudicis Falconi de Falconibus messanensis quandam eorum provisionem super dictis censualibus per Regiam Curiam eis assignatam percipiebant, restitueretur. Quodque eidem Galterio, dictisque suis heredibus de dictis uncijs viginti annualibus eius provisionis per Secretos dicte civitatis Messane responderent; quemadmodum in alijs dictis regijs patentibus licteris datis Cathanie, XXV Octobris VI Inditionis 1337, continetur.

Nihilominus est attendendum, quod forma et titulus concessionis facte dicto Galterio de Magna, dictisque suis heredibus, iuxta formam concessionis facte prelibato iudici Falconi de Falconibus, cum illis clausulis et reservationibus in privilegio dicti Falconi contentis, intelligi debet.

Deinde autem ad dicti Galterij de Magna iteratam supplicationem, dictus Rex Petrus secundus eidem Galterio, dictisque suis he-



redibus prefatas uncias viginti annuales, sub eodem militari servicio unius militis, super certis censibus nonnullarum personarum dicte Regie Secrecie messanensis nomine Regie Curie obligatarum, que persone singulatim in privilegio dicti Regis denominantur, consignari fecit; prout in alijs Regis eiusdem patentibus licteris, que in Regia Cancellaria non reperiuntur, apparere exponitur.

Qui Galterius de Magna exinde de ipsis uncijs viginti annuallibus per eum, ut supra, super dictis censualibus percipiendis quondam iudici Ioanni de Magna eius filio, suisque imperpetuum heredibus, donacionem inter vivos fecit irrevocabilem. Que donacio ipsa in Cancellaria non invenitur.

Preterea Galterius de Magna predictus, per eius testamentum actum in anno 1340 inter cetera Nicolie eius nepti, tunc uxori Philippi de Mauro militis, suisque heredibus illius de corpore legitime descendentibus, predictas uncias viginti censualium predictorum legavit; cum condicione tamen quod si dicta Nicholia sine liberis eius de corpore legitime descendentibus decessisset, censualia ipsa Galterio de Magna iuniori eius nepoti, filio prenominati Iuliani de Magna militi, ipsius Galterij de Magna senioris frater cederent.

Sed cum prefati Ioannes de Magna et Galterius de Magna iunior, mortuo dicto Galterio de Magna seniore, ab hoc seculo migrassent, superstitute eis dicta Nicholia, filia dicti quondam Ioannis de Magna, substitucio legati, quo ad dictum Galterium iuniorem, extincta fuit. Unde post mortem dictorum Galterij de Magna senioris, et Galterij de Magna iunioris, dicte uncie viginti annui redditus super dictis censualibus solvende, ad dictam Nicholiam pervenerunt. Et sic Serenissimus Rex Federicus iunior dicti Regis Petri secundi filius, prefate Nicholie de Mauro, suisque heredibus predictis iure Francorum, sub dicto militari servicio unius equi armati, dicta censualia predicto Galterio de Magna seniore, eius avo, ut pretangitur consignata, non obstante quadam alia concessione de dictis iuribus censualium, per ipsum Regem Petrum secundum quondam iudici Gregorio de Gregorio, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub certis modo et forma et servicio facta. Quam concessionem dictus Rex Federicus, tam vigore capituli per eum civibus messanensibus concessi, tempore redductionis civitatis Messane ad regium dominium et fidelitatem, quam de certa eius sciencia et regie potestatis plenitudine, revocavit, acceptavit et confirmavit; quemadmodum in aliis patentibus licteris dicti Regis Federici, datis Messane XX Augusti III Inditionis 1366, late patet.

Mortua tandem dicta Nicholia de Mauro, sibi in dictis uncijs viginti censualium predictorum successit Violans mulier, eius filia, et dicti quondam Philippi de Mauro, eius mariti, tunc uxor Ioannis de Griso alias de Seraphinis. Que Violans pro se, suisque heredibus iure Francorum, sub dicto militari servicio unius equi armati de ipsis uncijs viginti censualium in prenotatis regijs patentibus licteris et privilegijs nominatis ab Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, iuribus Curie et alterius semper salvis, cum inserto tenore omnium predictarum scripturarum, eorum cum Viceregia provisione data Messane XVII Marcij X Inditionis 1416 confirmationem et investituram reportavit.

Mortua exinde dicta Violante, sibi in dictis censualibus successit Margarita de Saraphinis, alias de Griffio, eius soror secundogenita, predictorum Philippi et Nicholie de Mauro filia, de qua non reperitur investitura.

Deficiente postmodum dicta Margarita de Seraphinis alias de Griso, sibi in dictis uncijs viginti censualium successit. . . . eius filia, tunc uxor Thome de Gregorio, de quibus similiter non apparet investitura.

Tandem dictus Thomas de Gregorio de mense septembris XIII Inditionis 1464 obiit; dicteque uncie viginti censuales in posse quondam Ioannis de Gregorio legum doctoris pervenerunt. Sed quia Regia in Cancellaria aliqua non reperitur investitura per dictum Ioannem de Gregorio de dictis censualibus capta, ratio reddi non potest si filius dicti quondam Thome fuerat vel non, ac quo iure in illis successit.

Decedente demum dicto Ioanne de Gregorio, sibi in dictis uncijs viginti censualibus successit Iacobus de Gregorio, eius filius, legitimus et naturalis ac maior natu. Qui pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de ipsis censualibus a Ioanne de la Nuça, tunc regni Prorege, XVII decembris VI Inditionis 1502 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 204 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, dicte uncie viginti annui redditus censualium predictorum per dictum Iacobum de Gregorio possidentur, et sunt. . . . . 07 XX

Qui Iacobus de Gregorio de dictis censualibus, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII Ianuarij V Inditionis notatam in libro anni 1516 fol. 487. Et nihilominus advertatur, quod dictus Iacobus de Gregorio recepit ultra dictam summam unciarum viginti.

Nihilominus vestra Catholica Maiestas meminisse debet, se eius cum sacris instructionibus providisse, quod Regij demanij censualia alienata, que ad rationem de decem pro centenario sive pro equivalenti excambio redimi possunt, maxime si in huiusmodi alienationum concessionibus huiuscemodi luendi clausula contineatur, recuperentur, aut in casu necessitatis per Regiam Curiam ad rationem de quinque aut sex pro centenario vendantur.

Tamen titulus dictorum censualium, iuxta titulum et concessionem de alijs censualibus quondam iudici Falcono de Falconibus factam, absque titulo ac sub illis modo et forma, quibus heredes dicti Falconi a Regia Curia illa tenebant, intelligi debet, que concessio est cum clausula dandi quodcumque equivalentis excambium.

Post presentis tamen capituli conclusionem, aliud quoddam Serenissimi Regis Lodovici privilegium meas devenit ad manus, per quod apparet, quod post mortem dicti Regis Petri secundi, succedente in regno dicto Rege Lodovico illius filio, prenominatum Galterium de Magna seniore, primum dictorum censualium acquisitorem, eiusque filios, una cum nonnullis alijs messanensibus contra dictum Regem Lodovicum rebellionem patrasse; quam ob rebellionem dictus Rex Lodovicus eius cum regio oportuno privilegio, expressa et repetita prius per eum continentiam dicti privilegij Regis Petri eius patris, pro dictis censualibus prefato Galterio seniori concessi, cum clausula scilicet: quodque, quodcumque Curia ipsa providerit et vellet, licitum esset ei predictum census debitum per personas subscriptas modo prefato ad eius manus et dominium revocare, proviso tamen prius dicto Galterio et suis heredibus per eandem Curiam nostram de equivalenti excambio dictarum unciarum viginti in morticijs et excadencijs ad manus ipsius Curie provenientibus etc. concessionem censualium predictorum per dictum Regem Petrum eidem Galterio seniori, ut supra factam, revocavit; ipsaque censualia exinde prenominato Gregorio de Gregorio legum doctori suisque heredibus eius de corpore legitime descendentes, sub dicto militari servicio concessit; sicuti in ipso regio privilegio, dato Cathanie in anno 1344 et in Regie Cancellarie libro anni 1367 in cartis 6 notato, continetur; in quo dicta censualia particulariter et singulatim iuxta illorum summam denotantur.

Deinde vero Serenissimus Rex Federicus, frater prefati Regis Lodovici, ad instanciam prenominatę Nicholie, filie prefati quondam iudicis Ioannis de Magna, uxoris prefati Philippi de Mauro, eidem Nicholie predicta censualia eatenus quatenus dicto quondam Galterio seniori concessa extiterant, suo cum regio privilegio, no-

tato in eodem Regie Cancellarie libro dicti anni 1367 in cartis 14, restituit.

Sed cum ob rebellionem dicti Galterij senioris, suorumque filiorum, ut predicatur, censualia ipsa fuerunt Regie Curie aperta et devoluta, ac alteri concessa, agnati et cognati dictorum rebellium a successione ipsorum censualium exclusi fuerunt. Et sic dicta Nicholia non poterat in illis succedere, nisi docuisset remissionem et in integrum restitutionem dictorum rebellium; unde dicendum est, se falso dictum Regem Federicum informasse; nam si forte Rex ipse scivisset prenominatos rebelles extitisse, eidem Nicholie restitutionem censualium predictorum non fecisset. Et sic pro Curie cautela ad predicta attendatur.

Est preterea attendendum, quod concessio de dictis censualibus quondam iudici Gregorio de Gregorio et suis heredibus facta, fuit per Serenissimum Regem Federicum penitus revocata, et censualia ipsa quondam Nicholie mulieri, filie quondam iudicis Ioannis de Magna, tunc uxori Philippi de Mauro, restituta fuere. Qui quidem Rex postmodum in excambium dictarum unciarum viginti super eisdem censualibus Orlando de Gregorio, filio et heredi quondam Bartholomei de Gregorio militis, filij et heredis prefati quondam iudicis Gregorij, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, omnes redditus et provenctus cabelle Staterarum Regie Curie ad Regie Secrecie dicte messanensis Civitatis officium spectantium, sub militari servicio unius equi armati, suo cum regio privilegio dato Messane VI Novembris VI Inditionis 1368 concessit.

Decedente exinde dicto Orlando de Gregorio, sibi eodem in Staterarum reddito successit Anthonia eius filia. Que pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, ut supra, de ipso Staterarum reddito a Serenissimo Rege Martino, sub servicio et prestacione paris unius calcarium auratorum anno quolibet in festo Beate Marie de mense Augusti Regie Curie solvendorum; que reductio, ut asseruit, per dictum Regem Federicum sua cum regia provisione, data Messane V Iunij XII Inditionis 1373, facta fuit, investituram datam Cathanie III Augusti XV Inditionis 1407 reportavit.

Deficiente demum prelibata Anthonia, sibi in dicto Statetarum reddito successit Margarita eius filia, tunc uxor quondam Ioannis Rizu. Que pro se, suisque heredibus et successoribus de prelibatis privilegij, a Serenissimo Rege Alfonso cum illorum insertione suo cum regio privilegio dato Caiete XXVII februarij prime Inditionis 1438 confirmacionem obtinuit. Cuius privilegij per Notarium

Nicholaum Iurbam messanensem XXI Ianuarij XIII Inditionis 1510 factum fuit publicum transumptum, quod per modernum possidentem penes officium Regie Cancellarie presentatum extitit, et penes ipsam Cancellariam conservatur.

Ipsa autem Staterarum cabella, matrimonij contemplacione, ad Franciscum Romanum, tanquam maritum Nicholie, filie Ioannis Thome de Ricio pervenit, et per dictum Franciscum in presentiarum, anno 1513 decurrente, possidetur. Que Statere, ut percepi, anno quolibet reddunt . . . . . 07 LXX

Ex adverso tamen percepi, dicta censualia Messane usque ad dictam summam unciarum viginti, per illos de Gregorio etiam possideri; a posse quorum iam revocata fuerant, et Orlandus de Gregorio pro se suisque heredibus, ut supra, pro equivalenti excambio ipsorum censualium redditus dicte cabelle Staterarum habuit et consequutus fuit; et nihilominus mihi videtur eosdem de Gregorio utramque rem possidere.

Tamen, quomodocumque sit, prefato Orlando de Gregorio in excambium dictarum unciarum viginti censualium, prelibate Nicholie filie Ioannis de Magna, ut predicatur, restitutarum, redditus dicte cabelle semel concessa fuit. Unde equum videtur et honestum, quod possessori dicte cabelle Staterarum Messane super quibusvis iuribus Regie Curie uncie viginti annui redditus tradderentur, et cabella predicta recuperaretur.

Interea autem desisti non deberet, quin relacio haberetur a Secreto dicte Civitatis, quare precium dictorum calcarium auratorum, quolibet anno in mense Augusti, non exegit; cum in illius compotis de calcaribus predictis nullus fiat introytus.

Dictus vero Iacobus de Gregorio de dicto censuale unciarum viginti, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram, die XVIII Ianuarij V Inditionis notatam in libro anni 1516 fol. 487; et iuravit dicta censualia reddere sibi uncias viginti quinque et tantum percipit . . . 07 XXV.

Non quod debet habere et exigere uncias viginti et non amplius.

**Feudum Scale.**

---

Feudum Scale, situm et positum in territorio Asari, de membris dicte terre, alias (?) venit in posse Francisci de Ansalone, tanquam filij et succedentis ob mortem quondam Ioannis de Ansalone legum doctoris, et de huiusmodi successione nulla in Cancellaria apparet investitura. Tandem, mota lite inter eundem Franciscum et Sipionem de Ansalone fratres, dictus Scipio reportavit de dicto feudo sententiam in sui favorem a magna Regia Curia, die XXVI Septembris VIII Inditionis 1514, et tamen nullam cepit ipse Scipio investituram; nunc vero, currente anno 1517, dictum feudum possidetur per eundem Scipionem de Ansalono, et reddit ut suo iuramento firmavit . . . . ., 07 XXXVI.

Nihilominus prefatus Scipio de dicto feudo Scale cepit investituram a don Ioanne de Luna, Preside, ob mortem domini Regis Ferdinandi, die XVII anuarij V Inditionis 1517, notatam in libro Cancellarie anni 1516 fol. 378; et iuravit reddere tantumdem.

---

**Censuale Messane unc. XX Falconi de Falconibus.**

---

Concessit quondam iudici Falconi de Falconibus messanensis Serenissimus Rex Federicus, Serenissimi Regis Petri secundi genitor, uncias duodecim annuales sibi eius tantum vita durante per regios Thesaurarios sue Regie Curie nomine annis singulis exolvendas. Quam concessionem Rex idem Federicus ad heredes imperpetuum dicti Falconi de Falconibus, sub onere regis militaris servitij Regie Curie prestandi, suo cum regio privilegio, dato Messane XIII Octobris V Inditionis 1321, ampliavit.

Cumque exinde ipse Falconus de Falconibus easdem uncias

duodecim annuales ab ipsis Thesaurarijs commode consequi non potuisset, ad eius supplicacionem Rex Federicus predictus pro dictis uncijs duodecim eidem Falcono de Falconibus nonnulla censualia, Regie Curie Regie Secrecie Messane obligata, usque ad summam ipsarum unciarum duodecim, existencia in dicta civitate Messane in contratis Amalfitanie magne et parve, Castri ad mare et tercianatus veteris; que censualia eidem Curie per certas personas descriptas et nominatas in quodam privilegio dicti Regis Federici, cum denominatione etiam domorum censatarum debebantur, sub dicto tamen regio militari servicio, concessit, cum clausula tamen scilicet: ita quod, pro eo quod dicta censualia sunt de mero demanio nostre Curie, quandocumque eadem Curia nostra voluerit censualia ipsa ad manus et possessionem sui demanij revocare liceat; et hoc facere proviso prius per eandem Curiam ipsi iudici Falcono et suis heredibus imperpetuum de equivalente excambio provisionis pretacte etc.; quemadmodum in ipsius Regis Federici alio privilegio, dato Messane primo Iulij XI Inditionis 1328, latius exaratur.

Deinde autem, ultra dictas uncias duodecim annui censualis, Rex ipse Federicus eidem iudici Falcono de Falconibus, alias uncias octo annuas ad complimentum unciarum viginti super nonnullis alijs censualibus dicte Regie messanensis Secrecie, in ipsius Regis Federici privilegio particulariter de uno in unum expressis, pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub servicio unius equi armati Regie Curie prestando, cum clausula reddimendi quandocumque pro equivalenti excambio provisionis eius in morticijs et excadencijs Regie Curie, eius cum regio privilegio, dato Messane VII Octobris II Inditionis 1333, concessit.

Mortuo exinde dicto Falcono de Falconibus, sibi in dictis uncijs viginti predictorum censualium successit Bonjoannes de Falconibus, eius filius, ex illius testamentaria dispositione. Qui Bonjoannes pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub dicto militari servicio, a dicto Rege Federico de ipsis uncijs viginti censualibus, eius cum regio privilegio dato apud Montem Albanum, XXVIII Maij III Inditionis 1336, confirmacionem et investituram reportavit.

Defuncto postmodum dicto Bonjoanne de Falconibus, ex eius testamentaria dispositione, sibi in dictis uncijs viginti censualium predictorum successit Falconus de Falconibus iunior, eius filius. Qui pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum, de predicta annua provisione unciarum viginti

in prenotatis censualibus consistenti, sub dicto militari servicio unius equi armati Regie Curie modo et forma in predictis privilegijs contentis, a Serenissimo Rege Federico, filio dicti Regis Petri secundi et nepote dicti Regis Federici senioris, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 51 et 53 notatam, obtinuit.

Decedente exinde dicto Falcono de Falconibus, sibi in dictis censualibus unciarum viginti successit Anthonius de Falconibus eius filius. Qui Anthonius pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de dictis censualibus, a quondam Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc regni Proregibus, sub servicio dicti unius equi armati, cum inserto tenore dictorum privilegiorum, XXI Decembris X Inditionis 1416 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1419 in cartis 289 notatam, consequutus fuit.

Deficiente demum dicto Anthonio de Falconibus, sibi in dictis censualibus successit Alvira mulier, eius filia, uxor quondam Anthonij Barbulicta. Que pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de dictis censualibus a quondam Nicholao de Speciali, tunc regni Prorege, sub servicio dicti unius equi armati, X Octobris III Inditionis 1425 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 131 registratam, nacta fuit.

Tandem, ut asseritur, censualia predicta ad Alviram filiam legitimam et naturalem quondam Catherinelle, sororis legitime et naturalis prenominate quondam Alvire filie prefati quondam Anthonij de Falconibus, uxorem Pini de Ferrerio, pervenit; quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus sive scriptura reperitur. Qui Pinus de Ferrerio, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio de censualibus ipsis, a tunc Regni Prorege, primo Octobris VII Inditionis 1473, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 121 notatam, habuit.

A quo quidem anno 1473, usque ad presens, anno 1513 decurrente, de censualibus predictis nullum alium actum sive investituram inveni. Tamen esse posset, quod dictus Pinus de Ferrerio et Albira iunior, iugales, seu eorum aliquis viveret per quos feudum ipsum in presentiarum possideatur. Nihilominus pro Curie cautela veritas inquiratur.

Et mortuo dicto Pino de Ferrerio, successit in dictis censualibus Ioannes Petrus de Ferrerio, eius filius, qui nullam in Cancellaria cepit investituram.



In presentiarum vero dictus Ioannes Petrus de Ferrerio, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die. III Aprilis V Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 fol. 539; et reddit anno quolibet . . 07 XIII.

---

**Censuale Messane unc. XXXII. tt. XX. gr. III.  
Bartholomei de Ansalone.**

---

Fuerunt olim per sacros Sicilie Reges quondam Bartholomeo Sallimpipi suisque imperpetuum heredibus concessae uncie XXXII tt. XX. gr. III annualis redditus, de censualibus Regie Curie ad officium Regie Secrecie civitatis Messane spectantibus, in feudum sub servicio militari unius equi armati et medij; de qua concessione Regia in Cancellaria nulla apparet investitura. Tandem, Serenissimo Rege Petro secundo regnante, dictus Bartholomeus Sallimpipi et Ioanna, iugales, tam pro eis quam pro parte Adoardi, Philippi et Beatricis, eorum filiarum, censualia predicta quondam Bonsignoro de Ansalono, suisque imperpetuum heredibus, sub onere dicti regij servicij unius equi et dimidij armati, pro unciis ccc. sive cambio puplico mediante contractu manu notarij Ioannis de Natali VI Decembris II Inditionis 1333 celebrato; in quo censualia ipsa, cuius sint summe, et per quas personas solvantur, denotata sunt, vendiderunt. Sed cum, tunc temporis, Regie Curie visum non fuisset, virtute Regni Constitucionum, soluto prius precio, decima tantum deducta, infra legitimum tempus dicta iura censualia, pro ut Regia Curia ipsa per dictum Bonsignorum emptorem, requisita fuit emere et retinere; dictus Rex Petrus secundus vendicionem predictam, quatenus iuste, rite et rationabiliter factam extitit, eidem Bonsignorio de Ansalono, suisque imperpetuum heredibus, sub dicto onere regij militaris servicij unius equi et dimidij armati, iure Francorum, regni Constitucionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, eius cum regio privilegio, in quo dictum vendicionis instrumentum insertum est, dato Panhormi VI Marcij VIII Inditionis 1339, acceptavit et confirmavit.

Quo quidem Bonsignoro de Ansalono, in cuius personam fuit ipsum celebratum privilegium, defuncto, sibi in dictis censualibus successit Bartholomeus de Ansalono eius filius, de quo non reperitur investitura in Cancellaria, ob mortem dicti eius patris capta.

Ipsoque Bartholomeo decedente, sibi in dictis iuribus censualium successit Bonsignorus de Ansalono eius filius. Qui de iuribus ipsis a tunc Regni Prorege, XVI Marcij XIII Inditionis 1419 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 259 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum dicto Bousignoro de Ansalono iuniore, sibi in dictis censualibus successit Bartholomeus de Ansalono, eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub dicto militari servicio unius equi et dimidij armati, de dictis censualibus a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, cum inserto tenore dicti privilegij Regis Petri secundi et contractus, Regni Constitutionibus iuribusque Curie et alterius s-mp-er salvis, XXV Januarij II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 274 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, censualia ipsa sive ius censualium per dictum Bartholomeum de Ansalono possidentur; que sunt . . . . . 07 XXXII. tt. XX gr. III.

Nihilominus, iuxta consultam provisionem per vestram Catholicam Maiestatem, eius cum sacris instructionibus mihi commissis super luicione dictorum censualium, pro utilitate Regie Curie factam, ex quo ipsa Regia Curia ultra medietatem lucraretur, cum per privilegium dictorum censualium ad summam predictam unciarum XXXII. tt. XX. gr. III ascendendum constet, illa per Bartholomeum Sallinpipi Bonsignoro de Ansalono pro unciis ccc. vendita fuisse. Que vendicio, quodammodo venit ad rationem de decem pro centenario, Regia Curia predicta posset censualia prelibata reddimere. Et ideo in hoc quod sui regij fuerit servicij et utilitatis, tua regia Serenitas providere poterit.

**Censualia Messane 07 XXIII Yeronymi in Porto.**

---

Concessionem unciarum XXIII annui redditus super censualibus Regie Curie, in burgo Sancti Ioannis civitatis Messane existentibus, tanquam de membris et iuribus Regie Secrecie messanensis, in feudum a Sicilie Regibus quondam Riccardus de Maniscalco reportavit; tamen quo titulo ac sub qua forma ille obtinuit, Regia in Cancellaria non reperitur.

Deinde vero temporis discursu, censualia ipsa ad quondam Gentilem mulierem, filiam quondam Bartholomei de Marescalco, neptem quondam Guilelmi de Marescalco militis, pervenerunt. Unde presumitur dictam Gentilem in ipsis censualibus, tanquam heredem heredum dicti quondam Riccardi de Marescalco, primi acquiritoris, successisse; tamen usque ad dictam Gentilem de ipsis censualibus Regia in Cancellaria aliqua non reperitur investitura seu alius actus.

Mortua tandem dicta Gentile, orta que lite inter quondam Mazullum de Porto actorem, tanquam proximiorum in gradu prefate Gentili, ex una, et Raynerium de Bonfilio conventum, tanquam curatorem eidem Gentili datum, in cuius posse dicta censualia reperta fuerant, parte ex altera; per sententiam a magna Regia Curia, ac per aliam sententiam a Curia sacre Regie Consciencie latis, fuit provisum et declaratum censualia antedicta ad prefatum Mazullum de Porto, tanquam proximiorum in gradu ipsi Gentili spectare, cum sit feudum et iuxta regni Statuta indivisibile, et ad unum tantum integritate perventurum, sicuti in ipsis sententijs continetur; et sic ipsarum sententiarum virtute dictus Mazullus de Porto censualia predicta consequutus fuit, de quibus, cum in tunc Proregum manibus iurasset nullum habuisse de eis privilegium pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, ab ipsis Proregibus X Maij XIII Inditionis 1420 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 356 notatam, obtinuit: in qua per extensum dicta censualia annotata sunt.

Mortuo tandem dicto Mazullo de Porto, sibi in dictis censualibus successit Salvator de Porto eius filius. Qui pro se, suisque

heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub dicto consueto militari servicio, de dictis censualibus a quondam Infante don Petro, tunc regni Prorege, XXII Iunij XIII Inditionis 1436 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1435 in cartis 426 notatam, consequutus fuit.

Postmodum autem ipsa censualia Salvo de Porto cesserunt, qui asseruit, XIII Decembris V Inditionis 1471 de illis se investisse: tamen in Cancellaria nulla reperitur de ipso investitura; et sic ratio dari non potest, quinam fuerit dictus Salvus, ne si recta linea a primo acquiretore descendebat.

Demum Salvus de Porto antedictus Iheronimo de Porto eius filio de ipsis censualibus propter nuptias donacionem fecit irrevocabilem. Qui Ieronymus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de censualibus predictis a Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, II Augusti VI Inditionis 1503 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1502 in cartis 655 notatam, nactus fuit.

Nuper autem, anno 1513 decurrente, censualia predicta per dictum Ieronymum de Porto possidentur, que sunt . 07 XXIII.

Cum Regia in Cancellaria nullus de dictis censualibus unciarum XXIII titulus sive privilegium reperiat, ratio assignari non potest de forma et modo, quibus censualia ipsa a dicta regia messanensi Secrecia abstracta fuerunt, et dicto Riccardo de Marescalco concessa; mihi videtur quod illorum titulus et forma iuxta formam aliorum prenotatorum censualium comprehendere debet, et sic pro equivalenti excambio ad rationem de decem pro centenario recuperari possunt. Cui redemptioni, si pars possidens ipsa censualia contradixerit, ad edendum verum et antiquum titulum cogi posset et compelli; et ideo quod iuris fuerit provideatur.

Est preterea attendendum, quod orta lite inter personas, quibus iura censualium regij demanij ad prefatam regiam messanensem Secreciam spectantia concessa extiterant, ex una, et personas ad ipsa iura persolvendum obligatas, parte ex altera; eo quod persone quibus censualia ipsa concessa fuerant, patronos prediorum, ad huiusmodi iurium solucionem obligatorum ad solitum censum solvendum compellebant. Ipsi vero patroni et emphiteote allegabant, se huiusmodi census persolvere non debere, cum ob bellorum revoluciones predia ipsa, possessiones et domus huiusmodi censibus obligate, pro maiori parte dirute et devastate ac combuste fuissent. Fuit tandem per magnam Regiam Curiam rationum provisum, quod si proventus et loheria prediorum ipsorum ascende-

rent quantitatem sive equalitatem census, patroni predicti ad persolvendum medietatem proventuum predictorum tenerentur; reliqua vero medietas pro reparacione prediorum ipsorum, et predictorum patronorum vite substentacionem ipsis patronis remaneret.

Sed si provenclus et loheria prediorum predictorum summam dicti census transcenderent, patroni eorum, tam pro annis preteritis iura ipsa persolverent; si forte ad illa solvendum tenerentur, quam abinde in antea, scilicet ad annos tres. duas tercias partes censuum ipsorum. reliqua vero tertia pars pro reparacione possessionum earumdem, et pro substentacione vite ipsorum patronorum relaxata cederet.

Preterea quod, si idem patroni cum eorum familia easdem possessiones habitarent et colerent, vel illas ad usum proprium tenerent, medietatem census huiusmodi infra triennium persolvere tenerentur. Reliqua vero medietas eis relaxata rationibus predictis intelligeretur. Quo triennio decurso, ad totum integrum ius census satisfaciendum tenerentur.

Pro domibus autem dirutis, devastatis, vel combustis, patroni ipsarum per tempus annorum septem, ad dictum ius census solvendum non tenerentur; infra quod tempus patroni ipsi procurare potuissent, si voluissent, reedificacionem et refectionem domorum earumdem. Quo septennio decurso, ex tunc in antea ad dictum ius census satisfaciendum tenerentur. Sed si infra tempus predictum domus ipse non reedificarentur, repararentur, vel reficerentur, tali casu domus ipse sic dirupte, combuste, et devestate ad manus et dominium personarum, quibus censualia ipsa concessa fuerant, ut supra, pro parte Regie Curie devolverentur, et revocarentur.

Fuit similiter provisum per eandem Curiam, quod persone predictae, quibus censualia ipsa deberentur, et pro illis Regie Curie servire, obligate essent, non nisi ad medietatem servicij in eorum privilegijs contentis, pro diminucione et relaxacione partis censuum, ut predictur, relaxatorum ipsi Curie servire tenerentur; sicuti in ipsa regia provisione in Regie Cancellarie libro annorum 1360-1366 in cartis 4 notata, continetur.

Sed quia huiusmodi provisio super predictis, ut predictur, facta recte atque per optime facta extitisse, videtur tam per ea, que tunc temporis successerunt, quam per ea, que in futurum evenire possent; mihi visum est hoc in loco pro Curie cautela de illa mencionem facere.

**Cathalamita, Sancti andree. Feuda.**

---

Feuda Cathalamita et Sancti Andree nuncupata, in valle Demine et territorio terre Castri Regalis iuxta feudum lu Piscopu feudum Tricine et alios confines posita, per quondam Matheum de Seraphinis messanensem, de quo nullus apparet titulus, possidebatur. Quo tandem sine filijs eius de corpore legitime descendentibus defuncto, ipsa duo feuda per excadenciam Regie Curie aperta fuere et devoluta. Sed quia quondam Ioannes de Montecatheno, tunc Adernionis comes, nonnulla privilegia a Serenissimis Regibus don Ferdinando et don Alonso, patre et filio, obtinuerat expectative unciarum ducentarum annui redditus super excadencijs regijs, tam in feudalibus, quam in burgensaticis, in excambium illarum unciarum ducentarum annui redditus, quas super tractis regni reportaverat; per dictum Regem Alfonso provisum extitit, quod dicta duo feuda Cathalamita et Sancti Andree eidem Ioanni de Moncada traderentur. Et sic Vicerex, qui in regno tunc preerat, cum feuda ipsa ad uncias sex annui redditus extimata fuissent, pro totidem illa eidem Ioanni de Montecatheno consignari fecit, et a dictis uncijs ducentis annualibus deducte fuerunt dicte uncie sex; et sic remanserunt uncie centum nonaginta quatuor.

Cumque exinde quondam Paulus Muleti messanensis, tanquam consanguineus dicti quondam Mathei de Seraphinis, super dictis feudis Cathalamita et Sancto Andrea ius habere pretenderet; cum dicto Ioanne de Montecatheno comite ad conventionem devenit, videlicet, quod ipse Paulus dicto comiti Ioanni de Montecatheno uncias quatragesima persolvit; dictus vero comes Ioannes eidem Paulo Muleti, suisque imperpetuum heredibus, omnia iura que in ipsis feudis tenebat cessit; et de toto eo, quod forte feuda predicta ultra dictam quantitatem valerent, cum illa, comes ipse pro dictis uncijs sex annualibus habuisset, eidem Paulo donacionem fecit inter vivos irrevocabilem; quemadmodum de predictis omnibus, in quibusdam regijs privilegijs, ac in dicto conventionis contractu manu notarij Bartholomei de Bonaiuto Cathaniensis. IIII Iunii III Inditionis 1425, late patet. Quem conventionis huiusmodi contractum quondam Nicholaus de Speciali, tunc regni Prorex, eidem

Paulo Muleti, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, regijs antiquis regalijis, iuribusque Curie semper salvis, cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum, eius cum Viceregio privilegio dato Cathanie XXIII Iunij II Inditionis 1425, et in Regie Cancellarie libro anni 1424 in cartis 397 notato, continetur.

Deinde autem, mortuo dicto comite Ioanne de Montecatheno, Guillelmus Raymundus de Montecatheno dicti comitatus Adernionis comes, prefati comitis Ioannis filius de feudis predictis Cathalamita et Sancto Andrea, tanquam de bonis per dictum comitem Ioannem, eius patrem, pro uncijs quatragesima venditis, quondam Ioanni de Maniscalco, donacionem fecit. Quam donacionem Serenissimus Rex Alfonsus, eidem Ioanni de Maniscalco, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, acceptavit et confirmavit; nec non omnia iura sue Regie Curie spectantia, seu quomodolibet super dictis feudis devoluta, eidem Ioanni suo cum regio privilegio dato in Castello novo Neapolis XII Septembris X Inditionis 1446; de quo viceregia emanavit executoria, data Panhormi XII Decembris predictae X Inditionis 1446, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 139 notata, irrevocabiliter concessit.

Perquisitis tandem Regie Cancellarie libris, a dicto anno 1446 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipsis duobus feudis, nullam investituram sive alium actum inveni. Verum in anno 1479, quondam Matheus Iacobus Muleti pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, V<sup>o</sup> Ianuarij XIII Inditionis 1479, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 488 notatam, consequutus fuit. In qua nulla fit mentio, quo iure in ipsis feudis successit, aut si recta linea a predicto quondam Paulo Muleti, inter quem et dictum comitem Ioannem fuit prenotata conventio celebrata, descendit.

Minusque reperitur revocatoria aliqua privilegij prenotati confirmatorij donacionis facte prefato Ioanni de Maniscalco per prelibatum Guillelmum Raymundum de Montecatheno, ut supra.

Et sic recte, perpensata dicta investitura, de dictis feudis per prefatum quondam Matheum Iacobum Muleti, ob mortem dicti Regis Ioannis capta, dicendum est, ipsa feuda non fuisse a posse dictorum de Muleti abstracta; tamen pro Regie Curie indemnitatem, edat possessor omnes titulos et investituras, que in Cancellaria non reperiuntur, iuxta iuris dispositionem. Nihilominus quomodocumque sit, feuda ipsa per Matheum Iacobum de Muleti possidentur, que anno quolibet reddunt. . . . . 07 XX.

Actendum tamen est, cum feuda ipsa, ultra dictas uncias . . reddant, si Regia Curia, assignatis prius illorum possessori uncij sex annui redditus, pro quibus feuda ipsa, ut predicatur, concessa fuere, feuda eadem recuperare posset.

Preterea inquirendum est, si heredes et successores dicti comitis Ioannis de Montecatheno predictas uncias ducentas integriter super regni tractis possident, aut si dicte uncie sex annui redditus, pro quibus dicta feuda sibi concessa extiterant, a dictis uncij ducentis deducte fuerunt, aut non : nam Regia Curia ab ipsis uncij sex annualibus exempta est; apparere enim debet in comptis officij magistri Portulanatus regni, si per heredes dicti quondam comitis Ioannis de Montecatheno dicte uncie ducente integriter percipiuntur, vel ne.

Dictusque Matheus Iacobus Muleti de dictis feudis Sancti Andree et Cathalamita a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, die XV Septembris V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni in cartis 54, et iuravit reddere . . . . . 07. XX.

---

**Trisina, Cundro alias Fundro Casalia.  
Cabellia Vini Trisine. Fundacus di lu Mutu.**

---

Cum de feudo et casali Trisina ac casali Cundro alias Fundro, in Plano Melacij positus, nec non de Cabellis vini Trisine, et Fundaco di lo Mutu hoc in loco dicere proposuissem, reperi, dictum feudum Trisine, antiquitus per Monasterium Sancti Placiti de Caloniro et Hospitale Sancti Leonardi Angeli grandis de Messana, de quibus in Cancellaria non apparet titulus, possessa extitisse. Tandem in vim Regni Constitutionis, qua prohibetur bona feudalia ad manus mortuas, seu Ecclesiam, vel ecclesiasticas personas, pervenire posse; Serenissimus Rex Alfonsus feudum predictum Trisinam a posse dictorum Monasterij et Hospitalis abstraxit, illudque quondam Ioanni de Bonfilio militi, suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, in feudum novum, sub con-



sueti militari servicio, iuxta Regni Constitutiones, cum cessione etiam omnis iuris, omnisque actionis realis, personalis, mixte, utilis, directe, et varie; quod et quam Regia Curia quomodocumque et qualitercumque super dicto feudo habere poterat, eius cum Regio privilegio dato in Castronovo Neapolis XXV Septembris 1423, de quo viceregia emanavit executoria, data Cathanie ultimo Iunij III Inditionis 1425, et in Regie Cancellarie libro anni 1424 in cartis 431 notata, concessit.

Preterea idem Rex Alfonsus prefato Ioanni de Bonfilio, suisque imperpetuum heredibus, omnia iura et actiones, que et quas Regia Curia contra et adversus Nicolaum Castagna militem, et alios detinentes dictum feudum seu casale et eius territorium ac cabellam vini dicti feudi Trisine seu casale, quod dicitur lu Cundro, alio cum eius Regio privilegio dato ibidem VIII Augusti 1421, de quo etiam viceregia emanavit executoria, cum quadam clausula ibi in favorem heredum dicti quondam Nicholai Castagna apposita, data Cathanie XIII Iulij III Inditionis 1425, concessit. Unde agitata lite, tam in magna Regia Curia, quam in Curie sacre Regie Conscience, inter dictum Ioannem de Bonfilio actorem ex una, et Federicum de Vigintimilijis patrem et legitimum administratorem Margarite filie sue, ut heredis in bonis feudalibus dicti quondam Nicholai Caslagna conventum, parte ex altera; super petitione dicti casalis Cundro cum iuribus et pertinencijs suis et prefate cabelle vini Trasine, ac dicti fundacis di lu Mutu, fuerunt tandem servatis servandis dicti heredes condempnati ad tradendum et restituendum prefato Ioanni de Bonfilio dictum casale Cundro cum cabella vini, ac etiam cum cabella vini dicti feudi Trasine et fundaci di lo Mutu. Que casalia et cabellas predictorum virtute cum dictus Ioannes de Bonfilio teneret et possideret de illis idem Ioannes, pro se suisque heredibus et successoribus a quondam don Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, sub consueto militari servicio antiquis regalijis, Regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie semper salvis, eius cum Viceregio privilegio, dato Panhormi primo Augusti prime Inditionis 1453, confirmacionem et investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 489 notatam, obtinuit.

Perquisitis tamen Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1453 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de ipso Trasine feudo, ac de prefato Cundro casali, nullum reperitur privilegium sive scriptura; verum percepi, quod dictum casale Cundro per . . . . . de Bonfilio in presentiarum possidetur, quod anno quolibet reddit 07. . . .

Dictum vero feudum Trasine cum fundaco di lu Mutu per eun-

dem. . . . . de Bonfilio etiam possidetur, et reddit anno quolibet. . . . . 07. . . . .

Pro interesse ergo Regie Curie videatur antiquus titulus feudorum predictorum, et eorum possessores dent rationem quare ipsi eorumque progenitores de eis non se investiverunt iuxta Regni Statuta.

---

**Malecta Feudum.**

---

Feudum Malecta nuncupatum, in valle Demine et territorio terre Randacij positum, per quondam Nicholaum de Homodeo dicte terre Randacij, de quo in Cancellaria titulus non apparet aliquis, antiquitus possidebatur. Sed mortuo exinde dicto Nicholao de Homodeo, feudum predictum ad quondam Margaritam eius filiam, tunc uxorem Benedicti de Antiochia militis, de qua etiam non apparet investitura, pervenit.

Demum, Serenissimo Rege Lodovico regnante, cum prefata Margarita, tanquam filia et heres prenominati Nicholay de Homodeo eius patris, quondam Simoni de Sabatino eiusdem Randacij terre ad uncias centum teneretur, facta per eundem Simonem de Sabatino contra predictam Margaritam, dicto hereditario nomine, executione in magna ducali Curia Serenissimi ducis Ioannis de Aragonia patris, balij et tutoris prelibati Regis Ludovici, que executio super dicto Malecte feudo effectum habuit per ipsam ducalem Curiam; feudum Malecta antedictum quondam notario Francisco de Homodeo de eadem Randacij terra pro precio unciarum CXXV venditum fuit: de quibus eidem Simoni Sabatino creditori ut supra de uncijs centum octo et tarenis viginti, in una manu, et in alia manu de alijs uncijs duabus et tarenis quindecim pro expensis per ipsum Simonem factis in ipsa ducali Curia, manualiter persolutum extitit. Reliquas vero uncias tresdecim et tarenos viginti quinque ad complimentum ipsarum unciarum CXXV pro precio vendicionis eiusdem feudi, ipsa ducalis Curia prefatis Margarite et Benedicto de Antiochia iugalibus dedit et assignavit; Con-

cessitque eadem ducalis Curia prelibato notario Francisco de Homodeo, predicti feudi emptori, plenam licentiam dictum feudum vendendi et alienandi, ac de eo tanquam de re propria quicquid sibi placeret faciendi; sicuti in quodam iudiciali puplico instrumento per ipsam ducalem Curiam, XVI Ianuarij XII Inditionis 1344 acto, diffusius continetur. Quam vendicionem quatenus iuste, rite et rationabiliter facta extitit, dictus Rex Lodovicus eidem notario Francisco de Homodeo, suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, antiquis regalijs, regni Constitutionibus, iuribusque Curie semper salvis, cum inserto tenore dicti instrumenti, eius cum regio privilegio dato Cathanie XIII Aprilis XII Inditionis 1344 acceptavit et confirmavit.

Mortuo exinde dicto notario Francisco de Homodeo, et Simone de Homodeo, eius filio exinde succedente, feudum ipsum Malecta per dictum Simonem et Gulielmum de Homodeo patrem et filium quondam Raynaldo de Spatafora, eiusdem Randacij terre, suisque imperpetuum heredibus, sub dicto militari servicio, pro precio unciarum CXXXX puplico mediante contractu, manu notarij Andree Cammarini de Siracusa, XI Februarij X Inditionis 1386, regnante Serenissima Regina Maria, venditum fuit. Et tamen in Cancellaria de ipso Raymundo Spatafora in vim dicte emptionis nulla reperitur investitura.

Defuncto postmodum prefato Raynaldo Spatafora, sibi in dicto Malecta feudo successit Geroceta Spatafora, eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus iure Francorum, sub dicto militari servicio, de feudo ipso a tunc regni Proregibus, XX Iunij XIII Inditionis 1420 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 460 registratam, reportavit.

Nihilominus, cum idem Geroceta Spatafora Serenissimo Regi Alfonso asseruisset, quod dictum Malecta feudum per quondam Ioannem de Precioso Randacij, ex concessione sibi de eo facta per quondam Serenissimum Regem Federicum, eius cum regio privilegio dato in terra Castri Ioannis in anno 1348, quod inde in anno 1446, per quod tempus anni fere 98 connumerantur, in puplicum transumptum manu notarij Manfredi de Maroceta redactum extitit, possidebatur. Qui Ioannes de Precioso feudum ipsum diu tenuit illudque in ultimis, quibus decessit, eius cum testamento quondam Rogerio Spatafora illius fratri materno legavit. Qui Rogerius feudum ipsum quondam Raynaldo Spatafora eius fratri, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, in excambium cuiusdam redditus unciarum decem, quas Rogerius ipse anno quolibet eidem

Raynaldo eius fratri super introitibus sui castri Rocelle persolvere tenebatur, dedit et assignavit. Quodque demum feudum predictum, ob mortem dicti Raynaldi de Spatafora, patris ipsius Girocte exponentis, ad ipsum Giroctam pervenit, dictus Rex Alfonsus, actencto quod feudum Malecta predictum antiquitus habitatum fuerat, eidem Gerocte, suisque imperpetuum heredibus, facultatem habitandi illud concessit, necnon eidem merum et mixtum imperium in eodem feudo ad suum tamen regium beneplacitum, suo cum regio privilegio dato Neapoli in anno 1449, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 40 notato, etiam concessit.

Unde de huiusmodi informatione est valde mirandum, nam tacita veritate factam fuisse apparet, actencto quod, iuxta superius exposita, ac per acta et scripturas prenotatas clarissime de contrario demonstratur, feudum enim predictum nunquam per dictum Ioannem de Precioso, sed per prenominatum Nicholaum de Homodeo possessum extitit. Et post eius mortem, per Curiam dicti ducis Ioannis prefato Francisco de Homodeo, venditum, et inde per ipsum notarium Franciscum de Homodeo eiusque filium, quondam Raynaldo Spatafora ipsius Gerocte informantis patri iterum venditum fuit; quod cum ita fuerit, quare prelibatus Geroccta Spatafora ausus est suo Regi et domino huiusmodi sinistram exponere informacionem? Nam feudum ipsum nunquam fuit habitatum, ac Regis ipsius beneplacita, exinde per Pragmaticas Sanctiones revocata fuere et extincta; adeo quod nullius sunt efficacie et momenti.

Preterea Geroccta Spatafora antedictus, Serenissimo Rege Ioanne Vestre Catholice Maiestatis genitore regnante, coram don Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege comparens, exposuit, quod cum ipse tanquam iuvenis et iuris ignarus, nesciens differentiam que est inter formam largam et strictam, a dicti regni olim Proregibus de dicto feudo Malecta investituram in forma stricta reportaverat, cum illam iuxta continenciam antiqui tituli Regis Lodivici, in anno 1344 concessi, ac contractus vendicionis feudi eiusdem per Simonem et Gulielmum de Homodeo, patrem et filium prelibato Raynaldo Spatafora eius patri, facte, in larga forma obtinere debuisset, quod utique sibi in forma larga dictum feudum confirmaretur, cum voluisset dicte ample forme antiqui tituli stare. Et sic dictus don Lupus Prorex providit, quod ipse Geroccta feudum predictum iuxta formam primi tituli possideret, non obstante investitura prelibatorum olim Viceregum: quemadmodum in ipsius don Lupi Viceregis provisione, data Panormi xx Octobris IIII Inditionis 1470 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 20 notata, continetur.

Ecce ergo qualiter Gerocta predictus sinistra et tacita veritate dictum Regem Alfonsum informarat, cum dixisset dictum Malectam feudum predicti Ioannis de Precioso fuisse; qui illud quondam Rogerio Spatafora donarat, quodque idem Rogerius exinde feudum predictum prelibato Raynaldo Spatafora, illius fratri, et ipsius Gerocte patri, in excambium, ut supra, dederat, nam veritas fuit et est, prout ipsemet Gerocta affirmavit, quod dictus Raynaldus Spatafora feudum predictum a predictis Simone et Gulielmo de Homodeo, prout per dictos contractus et scripturas apparet, emit; quod hac de causa per dictum Geroctam expositum fuisse, opinor, ut emptionem dicti feudi absconderet, ne in vim regie Pragmatice *Post Bella*, que tunc temporis celebrata extitit, feudum ipsum per Regiam Curiam revocaretur.

Postmodum autem ipsum Malecta feudum in posse Ioannis Spatafora pervenit; de quo cum investituram in Cancellaria non invenerim, ratio dari non potest si dictus Ioannes fuit dicti Gerocte filius, seu quo iure in dicto feudo successit. Verum quod ipse Ioannes, ob mortem dicti Serenissimi Regis Ioannis, XI Decembris XIII Inditionis 1479, de feudo ipso investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 123 notatam, obtinuit.

Mortuo demum dicto Ioanne Spatafora, sibi in dicto Malecta feudo successit Ioannellus Spatafora eius filius. Qui de feudo predicto pro se, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, a Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XV Iulij II Inditionis 1499 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1498 in cartis 475 notatam, reportavit.

Deinde autem ipse Ioannellus Spatafora de dicto Malecta feudo, nec non et de feudo Michanesi, de quo inferius in cartis . . . verba faciam, Ioanni Michaeli Spatafora eius filio propter nuptias donationem fecit. Qui Ioannes Michael, pro se et dictis suis heredibus, de ipsis duobus feudis a don Ugo de Montecatheno, moderno Regni Prorege, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1509 in cartis 818 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, prelibatum Malecta feudum per ipsum Ioannem Michaellem Spatafora possidetur; quod feudum anno quolibet reddit . . . . . 07 C.

Dictus vero Ioannes Michael Spatafora ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside de dicto feudo cepit investituram, die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 481; et Nardus Cassenti pro eius parte iuravit dictum feudum Malecti reddere tantundem. Dictum vero feudum Michanesi iuravit reddere alias uncias centum, sive . . . 07 C.

**Nassari Casale sive Feudum, Cabella Vini ibidem vendendi.  
Molendinum ibidem cum Vinea et Domus in Messana.**

---

Feudum sive casale Nassari nuncupatum, in valle Demine et in Plano Melacij existens, in quo antiquitus triginta duo vassalli fuerant, per Serenissimum Comitem Rogerium Nortmandum, primum Regni huius a Sarracenorum manibus acquirentem, Sicilie, Calabrie et Italie Comitem, quondam Ansaldo Vicecomiti de Arri suisque imperpetuum heredibus et successoribus, una cum quadam vinea, et duobus terrarum salmatis, ac quadam domo in Messana, nec non et cum quodam molendino, de quo medietatem emit, olim concessum extitit, sicuti in ipsius Comitis Rogerij privilegio dato Messane in anno . . . . continetur.

Inde vero ad diuturna tempora, ipsum feudum sive casale Nassari cum illius turri et fortificio ad quondam Anthonium de Nassari et Bonsignorum de Nassari, patrem et filium messanenses, pervenit. Qui pater et filius coram Serenissimo Rege Alfonso, Vestre Catholice Maiestatis patruo, tunc in Messana civitate degenti, comparentes, illique asserentes, se recta linea a prefato Vicecomite de Arri, in cuius personam fuit dictum privilegium celebratum, descendere, ac in dicto feudo iuridice succedere debere, virtute ipsius privilegij a dicto Rege Alfonso, cum ipsius privilegij inserto tenore, pro se suisque heredibus et successoribus, de eodem Nassari feudo confirmationem et concessionem reportarunt. Quibus etiam, patri et filio, Rex idem Cabellam Vini in dicto feudo vendendi, in feudum sub feudali servicio, cum fuisset de membris dicti casalis, et ob bellorum turbines ad Regie Curie manus pervenisset, eius cum regio privilegio, dato Messane XV Aprilis 1485, etiam restituit, et de novo imperpetuum concessit.

Mortuo demum absque filijs dicto Bonsignoro, sibi in dicto Nassari feudo successit Ioannes de Nassari, eius frater, filius secundogenitus prefati Anthonij de Nassari. Qui Ioannes de Nassari pro se, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, de eodem Nassari feudo et Cabella Vini a quondam Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, antiquis regalij, Regni Constitutionibus, et iuribus Regie Curie sem-

per salvis, cum inserto tenore privilegiorum superius expressorum, penultimo Ianuarij II Inditionis 1453, confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 201 notatam, reportavit.

Verum percepi quod dictus Bonsignorus de Nassari, eius cum ultimo testamento, dictum Nassari feudum quondam Gregorio de Pericono alias de Nassari, asserto eius consanguineo, legavit. Cui Gregorio per Regij Fiscii Procuratorem fuit mota lis et questio in Magna Regia Curia super dicto feudo, sub pretextu quod Regie Curie apertum erat et devolutum. Sed lata contra ipsum Gregorium et in favorem dicti Fiscii Procuratoris sententia, Gregorius ipse ad Consistorium Sacre Regie Consciencie appellavit. In quo, causa pendente et nondum decisa, quondam don Gaspar de Spes, tunc Regni Prorex, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, a tua regia Celsitudine, de omnibus iuribus, que in dicto feudo Regia Curia habebat, donacionem habuit inter vivos irrevocabilem, sub consueto militari servicio, cum fuisset per dictam Curiam Sacre Regie Consciencie, vel per alios iudices, quomodocumque sentencialiter provisum et declaratum, sicuti in regio privilegio a tua diva Serenitate obtento, dato Hispalis XV Ianuarij III Inditionis 1485; de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XVI Septembris VII Inditionis 1488, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis II notata, diffusius continetur.

Cumque, exinde dictus Gregorius de Nassari de huiusmodi provisione et concessione per vestram Catholicam Maiestatem prelibato don Gaspari de Spes facta, se gravatum sentiret; ad tuum regium culmen recursum habuit, et ostenso per eum tuo sacro regio Consilio testamento per prefatum Bonsignorum de Nassari, filium prenominati Anthonij de Nassari, in quorum amborum personas fuit facta confirmacio et investitura dicti feudi per dictum Regem Alfonso; qui Bonsignorus absque filijs obijt, ob quod substitucio ad dictum Gregorium cadebat; Gregorius ipse a dicto Sacro Regio Consilio, et Alfonso la Cavalleria, tunc regio Vicecancellario, sentenciam in sui favorem reportavit, que est tenoris sequentis.

Iesu Christi, et eius Genitricis semper Virginis Marie, nominibus humiliter imploratis; Nos Ferdinandus Dey gratia, Rex Castelle, Aragonum, Legionis, Sicilie, Tholeti, Valencie, etc. Visa supplicacione humiliter porrecta coram nobis per Gregorium de Pericono alias de Nassari, Secretarium in regno nostro Sicilie, in et cum qua nobis humiliter supplicavit, ut eidem iustitiam ministrari

manderemus et faceremus super appellatione a quadam sententia contra eum lata, et in favorem nostri Regij Fisci; in et cum qua fuit pronunciatum feudum de Nassari ex causis ibidem contentis fuisse apertum, ac pertinere Regio nostro Fisco, pro ut in dicta supplicatione latius per eundem Gregorium fuit petitum et supplicatum. Quam quidem supplicationis et appellationis causam commisimus magnifico Alonso de la Cavaleria, consiliario et vicecancellario nostro dilecto ac iuris utriusque doctori, ut facta per eum nobis relatione, iusticiam inde providere valeremus: viso processu primitivo et contentis in eo, visaque sententia in Fisci favorem lata in prima instancia; visaque appellatione a dicta sententia interposita pro parte dicti Gregorij de Pericono alias de Nassari et Catherinelle; visisque productis et probatis ab utraque parte tam in primitiva instancia, quam in secunda, factaque nobis relatione per dictum Vicecancellarium nostrum in regio nostro Consilio, votisque a Consiliarijs doctoribus coram nobis datis eisque in unam sententiam conformibus inclusimus iuxta dicta vota. Et sic facta prius assignacione dictis partibus et utriusque earum ad diem et horam presentes ad hanc nostram sententiam audiendam, dicto Gregorio humiliter supplicante et instante sacrosanctis Evangelijs coram nobis positus et illis per nos reverenter inspectis, ut de vultu Dei nostrum procedat iudicium, pronunciamus in modum qui sequitur. Quia per merita dictorum processuum et contentorum in eis constat evidenter, feudum predictum vocatum de Nassari, situm in Plano Melacij prope feudum Monasterij Sancte Marie de Gala, et feudum Sancte Anne, pertinuisse cuidam Bonsignoro de Nassari, tam ex investitura Comitis Rogerij Ansaldo heredibus et successoribus suis facta, quam ex investitura sive concessione. Serenissimi Alfonsi Regis, patris nostri (*sic*) dive memorie, Anthonio et dicto Bonsignoro, eius filio, heredibus et successoribus suis imperpetuum facta, dictumque Bonsignorum per suum ultimum testamentum certis substitutionibus factum, dictum feudum reliquisse dicto Gregorio de Pericono, advenisseque casum substitutionis dicti Gregorij, constatque a magno tempore citra feudum predictum detemptum fuisse, et possessum sub regali prestacione, videlicet, Salmarum frumenti duarum et salme unius orde, quolibet anno Cappelle regali fundate in Palatio nobilis civitatis Messane; insuper etiam constat de nobilitate dicti Gregorij, aut minus talique satis servitio et conditioni dicti feudi congruit et convenit: id circo ipsius regni Sicilie Capitulis actentis, et alias iusticia et equitate suadentibus, pronunciamus per hanc nostram definitivam sententiam, bene esse



per dictos Gregorium et Catherinellam appellatum a dicta sententia contra eos lata, et male et iniuste fuisse pronunciatum per iudices magne Regie Curie in dicto nostro Sicilie regno, qui tunc temporis dictam sententiam tulerunt, et dictam sententiam reformando, et in melius commutando, declaramus, evenisse casu institutionis seu substitutionis dicti quondam Bonsignori facte de dicto feudo in personam dicti Gregorij, et ipsum Gregorium succedere debere in dicto feudo, ipsumque feudum ad eum spectare et pertinere, non obstantibus in contrarium allegatis, productis, et probatis pro parte nostri Regij Fisci, iuribus regijs semper salvis, neutram partem in expensis condemnando, et ex causa lata fuit hec sententia per nos seu in nostri personam per magnificum dilectum Consiliarium et Vicecancellarium nostrum predictum Alfonso de la Cavallaria, utriusque iuris doctorem, de nostra seu ipsius mandato lecta et publicata per dilectum et fidelem scribam mandati nostrum Ioannem Domingus notarium publicum serie et nomine magnifici dilecti Consiliarij et secretarij nostri Petri Camanjes militis ac notarij publici infrascripti, et cause huiusmodi scribe in quadam camera sive palatio habitacionis et residentie dicti nostri Vicecancellarij, quam eo tunc fovebat et faciebat, in quadam domo vulgariter dicta del Como 1485, Regnorumque nostrorum videlicet Sicilie anno 18, Castelle et Legionis 12, Aragonum vero et aliorum 7<sup>o</sup>; presente, instante et dictam sententiam ferri postulante et humiliter supplicante prefato Gregorio de Pericono alias de Nassari pro una parte, altera vero parte, scilicet Iacobo Rocca scriba nostro ac Procuratori Fisci et Patrimonij nostri in Curia nostra, licet citato contumaciter, inde absente presentibusque etiam protestibus fidelibus nostris Petro Bonajano notario civitatis Mayoricarum, Petro Barcalò Mercatore et Ioanne Carasquer Carpenterio sive fuxior civitatis Valentie, et pluribus alijs in multitudine copiosa, sig<sup>t</sup>num Ferdinandi Dei gratia Regis Castelle Aragonum, Legionis, Sicilie etc. qui hanc sententiam tulimus, eidemque sigillum nostrum comune negotiorum Sicilie impendenti iussimus apponendum. Io el Rey, sig<sup>t</sup>num mei Petri Camanjes Serenissimi domini Regis Secretarij eiusque auctoritate per universam terram et dominationem suam publici notarij, qui hanc sententiam, nomine meo, per dictum Ioannem Domingus, ut pretangitur, lectam et publicatam, et in hanc formam redactam, mandato domini Regis, scribi feci cum rasis et correctis in linea secunda, ubi legitur Secretarium in regno nostro Sicilie, in et cum qua nobis humiliter clausi, Petrus Camanyas ex sententia in audiencia lata, et per

dictum Ioannem Domingus, ut predicatur, puplicata. Visa per Alfonso de la Cavalleria Vicecancellarium et generalem Thesaurarium et pro Conservatore Sicilie.

Sed quia in dicta preinserta sententia continetur, prefatum Gregorium de Nassari, in dicto Nassari feudo, ob testamentum et substitutionem dicti quondam Bonsignori successisse; miror, quare declaratum non fuerit, an Ioannes de Nassari filius secundogenitus Anthonij de Nassari, et frater minor prefati Bonsignori, absque filijs et heredibus decesserit. Nam mortuo dicto Bonsignoro absque filijs, ut supra, dictus Ioannes de Nassari, eius frater successit, quo casu de ipso Ioanne erat mentio facienda, si sine filijs et heredibus decessit, an non, et si virtute dicti testamenti prefatus Gregorius succedere debebat in dicto Nassari feudo. Qui Gregorius non erat de cognomine de Nassari, sed de Pericono, et credo, quod ex alia agnacione descendebat, vel ex muliebri cognatione recta linea descendenti a primo acquiretore. Et ideo mirandum est, quare dictus Vicecancellarius, qui preinsertam sententiam tulit, de ipso Ioanne nullam fecit mentionem. Qui Ioannes prelibato Bonsignoro eius fratri maiori successit; et per tempora ipsum Nassari feudum tenuit, et possedit, et de eo investituram a tunc regni Preside nactus fuit, ut superius enarratur. Ergo pro Curie cautela processus super his actitatus revideri deberet, ut intelligi posset, an dictus Ioannes de Nassari absque filijs forte obiisset, et in eo linea de Nassari finivisset, quo casu Regia Curia per regias excaencias in dicto feudo succedere deberet; aut si pro aliquo pacto dictus Gregorius in dicto feudo omnino succedere debebat, in vim dicte substitutionis et testamenti per dictum Bonsignorum conditi cum Gregorius ipse fuerit de alia agnacione, et ut ad dictam successionem devenisset, cognomen de Nassari capere voluit. Quapropter cum non invenerim aliquam factam fuisse mencionem, quomodo dictus Ioannes de Nassari frater et successor in prefato feudo prelibati Bonsignori obierit, dubium facio, an dictus Gregorius de Pericono potuerit in dicto feudo Nassari succedere. Nihilominus, quomodocumque sit, mortuo dicto Gregorio de Pericono et de Nassari nondum capta per eum ipsius feudi possessione, eius filij et heredes, a Vestra Catholica Maiestate alias obtinuerunt provisiones dicte preinserte regie sentencie observatorias, datas in Villa Vallis Oleti XXIII Decembris VII Inditionis 1488: de qua nec non de quadam alia sententia super illius executione lata viceregie executorie a don Ferdinando d'Acuña Prorege concessa, date Panhormi XI Ia-

nuarij VIII Inditionis 1488, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 264 notate, emanarunt.

Quarum quidem sentenciarum et provisionum virtute, Franciscus Bonsignorius de Pericono alias de Nassari, prefati Gregorij filius, de ipso Nassari feudo possessionem nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Nassari per dictum Franciscum Bonsignorum de Pericono et de Nassari possidetur; quo anno quolibet reddit . . . 07 . . .

Exinde dictus Franciscus de Bonsignoro et de Nassari mortuus fuit, nulla de eius successione apparente investitura, licet iam sunt anni tres a die eius mortis, ut fertur.

Tamen feudum ipsum Nassari venit in posse domine Anthonine eius uxoris, et minime nequaquam in officio Regie Cancellarie apparet investitura in personam dicte domine Anthonine.

Demum Anthonina ipsa, tamquam tutrix testamentaria Cesaris eius filij, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo Nassari cepit investituram, die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro Cancellarie anni 1516 fog. 434, et iuravit reddere . . . . . 07 XXXX.

---

**Cuto Feudum, Schillita Alias Xillica.  
et Buffali Marcata.**

---

Feudum Cuto nuncupatum, in valle Demine positum, quod nemus Regie Curie et antiqui regij demanij fuerat, per quondam duces Ioannem de Aragonia Randacij et totius vallis Castellionis et Franceville marchionem, et regni huius ut tutorem Serenissimi Regis Lodovici tunc in minori etate existentis Vicarium, antiquitus possidebatur. Qui dux Ioannes duo membra ipsius nemoris Curie vocata Schillita alias Xillica et Bufali quondam Corrado de Procida militi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub recognitione unius paris calcarium comunium, Regie Curie anno quolibet prestandorum, tunc temporis concessit, sicuti in eius ducali privilegio dato Cathanie XIII Maij XI Inditionis 1343, in quo ter-

mini et confinia ipsorum duorum membrorum dicti nemoris, videlicet Schillita et Bufali, denominantur, nullatenus dicto feudo Cuto mencionato diffusius enarratur.

Sed ut melius vestra Catholica Maiestas percipere possit, si per privilegium dicti ducis Ioannis, cuius Vestra Regia Serenitas est heres, comprehendi potest totum dictum feudum sive nemus Cuto, quod demaniale erat, mihi visum est hoc in loco inseri privilegium ipsum, quod est tenoris sequentis videlicet:

Ioannes Infans Dei gratia Dux Ducatum Athenarum et Neopatrie Marchio Randacij et totius vallis Castellionis et Franceville etc. ac nobilis Civitatis Messane Gubernator et Regni Sicilie Vicarius generalis. Delectat nos premia servicijs respondere, illis precipue quos constat ad nostra obsequia labores personales continue non vitasse, quare nostra preconia ornari decernimus cum benemeritis dona et gratias elargimur; per presens itaque privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod ad supplicationem Celsitudini nostre factam per Corradum de Procida militem, familiarem et fidelem nostrum, consideratione presertim serviciorum per eum et suos nostris divis parentibus, recolende memorie, prestitorum, nobis etiam a nostra infantia usque ad hec felicia tempora, que prestat ad presens et prestare poterit in futurum, concedente Domino, gracia eidem militi et suis heredibus et successoribus, tam singularibus quam universalibus, imperpetuum membra duo, scilicet Schillita et li Bufali nemoris Curie nostre vocati Cuto, subscriptis finibus limitata, cum omnibus iuribus, proprietatibus et pertinencijs eorum, sub recognitione tamen paris unius calcarium comunium militaris per eum, heredes, et successores suos nostre Curie heredibus, et successoribus nostris quolibet anno prestanda. In quorum membrorum corporalem possessionem idem miles per Vicesecretum nostre Curie Randacij, devotum nostrum, ad literas nostras proinde sibi factas primo die presentis mensis Maij huius XI Inditionis, positus extitit et inductus Curie nostre, constitit per unum ex tribus quinternis factis Curie nostre missum, quem in archivo ipsius Curie nostre mandavimus et fecimus conservari, de innata nobis clementia et speciali gracia concedimus et donamus liberaliter, fidelitate regia nostraque devocione, heredum et successorum regionum nostrorum, predicta, recognitione et cuiuslibet alterius iuribus semper salvls. Fines vero dictorum membrorum sunt hij, videlicet: Schillita ab oriente sunt terre Sancti Philippi de valle Demine Simmari et ascendit per serrum serrum usque ad Montem Sorum, ubi est porta Ran-

dacij versus septentrionem, et deinde ascendit per collem collem, membri dicti di la Chona, usque ad flumen. Et ab occidente est foresta Thahyne, et ascendit usque ad membrum, quod vocatur li Bufali. Et predicti alterius membri dicti Bufali ab una parte sunt terre sancti Theodari, ab alia parte est nemus magistri Christoferi de Romano familiaris et devoti nostri, versus meridiem et a parte altera est feudum dicti militis, quod vocatur Sancta Lucia, et sic concluditur. Ad huius autem nostre concessionis robur et munimen perpetuo valiturum, presens privilegium eidem militi fieri iussimus, et sigillo Maiestatis nostre pendentem muniri. Datum Cathanie anno Dominice Incarnacionis 1343 XIII Maij XI Inditionis, Regni Sicilie Vicarius generalis. Registratum.

Ob quod firme sum opinionis, quod ipsius preinserti privilegij tenore actencto, feudum ipsum Cuto totum integrum concessum non fuisse dicendum est, nisi dicta duo membra. Nihilominus, quomodocumque sit, post annos et tempora videlicet, in anno 1421 quo tempore Serenissimus Rex Alfonsus regnabat, per quod tempus anni fere 78 connumerantur, quondam Rogerocta de Spatafora de terra Randaçij coram tunc Regni Proregibus comparens, cum pretenderet in dicto feudo Cuto succedere debere, exposuit, quod dictus Corradus de Procida, in cuius personam dictum ducale privilegium factum extitit, illius virtute, dum vixit, ipsum feudum tenuit et possedit. Et nihilominus dicta duo membra Schillita et Bufali, nemoris Curie vocati Cuto, in aliquo non nominavit.

Mortuo vero dicto Corrado de Procida, asseruit eidem successisse Anthonius de Procida miles, eius filius legitimus et naturalis, quem dixit feudum predictum tenuisse et possedissee, ac in ultimis, quibus decessit, eius cum testamento celebrato Cathanie in anno 1383 suum in dicto feudo et membris predictis quondam Ioannem de Castagna heredem instituisse, nulla tamen facta mentione, si de agnacione ipsius Antonij testatoris fuerat.

Deficiente postmodum dicto Ioanne Castagna, illi in dicto feudo quondam Granatam mulierem, uxorem quondam Arnaldi Spatafora, patris ipsius Rogerocte, filiam prefati Ioannis Castagna, successisse asseruit.

Decedente demum prelibata Granata, sibi eodem in feudo ipsum Rogeroctam Spatafora, eorundem Raynaldi et Granate iugali filium, successisse dixit, et sic ab ipsis tunc regni Proregibus. Rogeroctus ipse, pro se et suis heredibus et successoribus, tam singularibus quam universalibus, iure francorum, sub consueto militari servicio, X Novembris XV Inditionis 1421 de feudo pre-

dicto, cum inserto tenore dicti ducalis privilegij, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 68 notatam, consequutus fuit.

Defuncto tandem dicto Rogerecto Spatafora, ipsum Cuto feudum in posse quondam Sallimbenij et Ioannis Spatafora fratrum, filiorum quondam Anthonij Spatafora, pervenisse assertum fuit.

Ipsoque Sallimbenio Spatafora decedente, sibi ex eius testamento in bonis dicti eius patris, Ioannella eius filia uxor Antonij de Platamone successit.

Facta deinde inter ipsam Ioannellam de Platamone et prefatum Ioannem Spatafora, eius avunculum, bonorum divisione, ipsi Ioannelle medietas dicti feudi Cuto, et aliorum bonorum feudalium cessit. Qui Ioannes Spatafora non apparet in Cancellaria ob mortem eius predecessoris, sed ob mortem Serenissimi regis Ioannis investituram obtinuisse, que in libro dicte Cancellarie anni 1479 in cartis 123 notata est.

Nihilominus in Cancellaria nulla reperitur scriptura, per quam comprehendi possit, quo iure et titulo prefati Sallimbenius et Ioannes Spatafora fratres in dicto feudo Cuto at alijs successerint, et sic ratio dari non potest, cuius fuerint filij, nec si recta linea a dicto Rogerecto Spatafora, filio prefato Granate Castagna, descendunt. Et ideo possessor ad edendum titulos de primo ad ultimum cogi posset.

Dicta vero Ioannella de Platamone, ob mortem dicti Sallimbenij Spatafora eius patris, de dicti feudi Cuto alia medietate pro indiviso ac de medietate feudi Malecte, pro se suisque heredibus et successoribus iure Francorum, a quondam Gaspere de Spes, tunc regni Prorege, VI Ianuarij XIII Inditionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 187 notatam seu registratam, reportavit.

Obeunte postremo dicta Ioannella de Platamone, sibi in dicto Cuto feudo successit Ioannes Ferdinandus de Platamone, eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus, ex se et Anthonino de Platamone eius marito genitus. Qui pro se, suisque heredibus predictis iure Francorum, de toto dicto Cuto feudo cum dictis membris Schillite et Bufali a quondam Ferdinando d'Acuña, tunc Regni Prorege, XVIII Ianuarij XII Inditionis 1493 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 79 notatam, obtinuit.

Nihilominus ipsa in investitura nulla mentio fit, quo iure totum dictum Cuto feudum cum prefatis duobus membris Schillite et Bufali ad ipsum Ioannem Ferdinandum de Platamone pervenit,

cum prefata Ioannella eius mater, vigore sue investiture de medietate tantum dicti feudi pro indiviso se investiverit. De reliqua vero medietate prelibatus Ioannes Spatafora, ut predicatur, investituram obtinuerit.

Tamen in presentiarum, anno 1513 decurrente, totum dictum feudum Cuto integrum cum dictis duobus membris Schillita et Bufali per predictum Ioannem Ferdinandum de Platamone possidentur; quod anno quolibet reddit. . . . . 07 XXXX.

Et ideo ex prenarratis apparet de omnibus esse veritatem inquirendam ad preinserti privilegij interpretacionem, pro Curie cautela. Nam tenore dicti privilegij omnino apparet non totum dictum integrum feudum concessum extitisse, nisi tantum predicta duo membra, quo casu alia pars feudi ipsius Regie Curie cessisse videtur. Et sic cum totum dictum feudum concessum non fuerit, sed dicta duo tantum membra, totum reliquum et signanter corpus dicti feudi seu nemoris Curie (*sic*) Cuto, dicte Regie Curie esse debet.

Dictusque Ioannes Ferdinandus de Platamone de dictis feudis Cuto Xillica et li Bufali et collium superiorum a don Ioanne de Luna Preside, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, cepit investituram die XVII Novembris V Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 345; qui tactis scripturis iuravit dicta feuda reddere tantumdem.

---

#### Mallardu Feudum.

---

Feudum mallardu appellatum, in valle demine et Plano Melacij positum, invenire nequivi in Cancellaria quo iure a sacro Regio demanio segregatum fuerit, et alteri concessum. Tamen dictum fuit feudum ipsum per quondam Bartholomeum de Humano militem, et deinde per Angelum de Humano eius filium, possessum extitisse. Qui Angelus nullo de ipso feudo titulo ostenso, sed tantum per eum de illius possessione constituto, pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, de

ipso feudo a tunc Regni Proregibus, regijs antiquis regalijs, regni Constitutionibus et Regie Curie iuribus semper salvis, XXI Ianuarij prime Inditionis 1422 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 166 notatam, reportavit.

Postmodum autem feudum predictum ad quondam Ioannem Anthonium de Humano, de quo non invenitur in Cancellaria investitura, pervenit. Et sic ratio dari non potest, a quo ipse Ioannes Anthonius descendit, aut si filius sive ex descendantibus a dicto Angelo de Humano fuerit.

Tandem ipso Ioanne Anthonio deficiente, sibi eodem in Mallardo feudo successit Tuchius de Humano eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, de ipso feudo a don Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XI Marcij XV Inditionis 1497 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1496 in cartis 333 registratam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Mallardo per prefatum Tucium de Humano possidetur; quod anno quolibet reddit . . . . . 07 . . .

---

**Valluni Salsu, Mandri Bianchi, Serri di li Alastri, Cutignusa Feudum.**

---

Cum Ioannes de Muczicato, terre Asari, quoddam burgensaticum territorium, sive terre pecias Mandri Bianchi, Serri di li Alastri, et Cutignusa appellatas, et in unum agregatas. ac certis finibus limitatas, possideret; intenderetque tunc temporis idem Ioannes quoddam aliud territorium, Valluni Salsu nuncupatum, quod erat salmatarum fere ducentarum, emere; ad Serenissimum Regem Alfonsum, Vestre Catholice Maiestatis patrum, recursum habuit, ut illud infeudare posset. Tandem ad ipsius Ioannis de Muczicato supplicationem, Rex prefatus eidem Ioanni pro se suisque heredibus et imperpetuum successoribus, provisionem concessit, sive gratiam infeudacionis predicti territorij Vallonis Salsi, cum prelibatis terrarum pecijs, ut feudum antiquum et quaternatum esset;



ac regie Secrecie messanensis agregatum, sub servicio unius balistarij Regie Curie prestando; quod feudum a quorumcumque officialium terre Sancti Philippi, Camere reginalis, ac aliorum officialium terrarum et locorum regni iurisdictione, cum reservatione antiquarum regaliarum Regio demanio reservatarum, assuetarum, eius cum regio privilegio, dato Neapolis XXI Maij V Inditionis 1457, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie libro anni predicti 1457 in cartis 41 notata, exemit et liberavit.

Sed perquisitis Regie Cancellarie codicibus, a dicto anno 1457 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de ipso feudo Valluni Salsu nullum aliud privilegium sive investituram, actumve reperi. Et sic ignoro, si dictus Ioannes Muzicato vivit an non; et si vivit, feudum ipsum occupativo modo per eum detineretur, cum non constet de emptione per eum de dicto feudo Valluni Salsu forte facta; et si non vivit, similiter illud possidentes iniuste illud detinent. Et ideo pro veritate dilucidanda inquiratur possidens, ut de omnibus noticia habeatur pro Curie cautela.

---

#### **Manchina Feudum cum Nemore.**

---

Feudum Manchina nuncupatum, in valle demine et territorio terrarum Franceville et Castellionis positum, quod terrarum tenimentum Regie Curie, de membris et iuribus regie Secrecie terre Tauromenij, antiquitus fuerat; quondam Berengario de Monterubeo militi, suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, regijs antiquis regalijs, Regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie semper salvis, Serenissimus Rex Federicus, eius cum regio privilegio dato Messane XII Aprilis XII Inditionis 1314, concessit.

Qui Berengarius exinde de ipso terrarum tenimento Regie Curie cum nemore ipsarum terrarum Bernardo Raymundo de Monterubeo eius filio donacionem fecit inter vivos irrevocabilem.

Postmodum autem dicto Berengario de Monterubeo, patre predicti Bernardi Raymundi de Monterubeo, defuncto, dictus Rex Fe-

dericus eidem Bernardo Raymundo, suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, tam dictam donationem sibi per dictum Berengarium eius patrem factam, quam nonnullas litium cessiones, et iurium renunciaciones, ipsimet Bernardo Raymundo per Iacobum Moscanum messanensem, puplico mediante iudiciali instrumento, ac sententia inde lata per iudicem Bartholomeum de Parisio sacre Regie Conscientie iudicem factas, quam etiam cunctas alias iurium cessiones, renunciaciones, et donaciones eidem Bernardo Raymundo, tam per Berengarium de Monterubeo, etiam filium dicti quondam Berengarij senioris, fratrem prefati Bernardi Raymundi, quam per Mathiam de Lauria et per Veram, tunc uxorem Petri de comitibus Gangalandi; ac etiam Inventum de Gangalandus eius filium, et consortes, de predicto feudo ex quibuscumque iuribus, racionibus vel causis eis competentibus, puplicis mediantibus assertis instrumentis factas, eius cum regio privilegio, dato Messane in anno 1333, cum clausula tamen quatenus concessiones, renunciaciones et donaciones iuste et rationabiliter facte sunt etc., acceptavit et confirmavit.

Deinde autem prefatus Bernardus Raymundus de Monterubeo de ipso feudo Manchina cum nemore, pro se suisque heredibus a Serenissimo Rege Petro secundo, cum potestate et facultate illud donandi, vendendi, permutandi, in dotem constituendi, et in quamcumque personam transferendi, ecclesiasticis personis dumtaxat exceptis, eius cum regio privilegio, dato Cathanie in anno 1337 confirmationem reportavit.

Regnante tandem Serenissimo Rege Lodovico, prefati Regis Petri secundi filio, predictus Bernardus Raymundus de Monterubeo in ultimis, quibus decessit, per eius codicillos Berengarium de Monterubeo, eius fratrem legitimum et naturalem, in omnibus bonis suis feudalibus et burgensaticis heredem instituit.

Qui Berengarius in vim dicte hereditarie institutionis, quam dictus Rex Lodovicus eidem Berengario, suisque imperpetuum heredibus, sub militari servicio, iuribusque Curie semper salvis, eius cum regio privilegio dato Messane primo Aprilis prime Inditionis 1348, acceptavit et confirmavit, eidem fratri suo successit.

Inde vero ad tempora et annos cum assertum extitisset ipsum Manchine feudum cum nemore ex successione ad quondam Constaniam mulierem, matrem quondam Ioannis de Romano militis, pervenisse, et de possessione tantum Curie constitisset, Ioannes ipse de Romano, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de feudo ipso cum nemore a don

Lupo Ximenem Durrea, tunc regni Prorege, antiquis regalijs, regni Constitutionibus, iuribusque Curie et alterius semper salvis, sub consueto militari servicio, Illi Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 470 notatam, habuit.

A quo quidem anno 1453 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, perquisitis Regie Cancellarie codicibus, nullum aliud privilegium, sive de dicto feudo scripturam inveni, minusque percipere adhuc potui in cuius posse existat.

Nihilominus, quicquid sit, per dicta antiqua privilegia iam constat, ipsum Manchina feudum cum nemore de membris et iuribus Regij Demanij fuisse, quod ab illo Regni Constitutionibus obstantibus segregari non poterat. Et ideo tam ex predictis, quam ob non captas investituras Regia Curia ad illud revocandum ius habet extremum. Et sic inquiratur possidens quem Petrum de Romano baronem terre Montis Albani esse percepi, ut de omnibus notitiam tribuat. Quod feudum anno quolibet reddit. . . . 07 . . .

---

**Rivoya Feudum.**

---

Feudum Rivoya nuncupatum, in valle Demine et territorio terre Randacij positum, granchia Abbacie Sancti Luce de Siminara parcium Calabrie, ut asseritur, antiquitus fuerat, quod sub certa prestacione, seu cabella, in posse quondam Boniamici Manjanti et Margarite ingalium pervenit. Qui iugales, cum exinde quondam eorum filiam nomine Thuram Conello La Balba matrimonio copulassent, eisdem sponso et sponse dictum Rivoya feudum in dotem dederunt. Ex quibus Conello la Balba et Thura, iugalibus postmodum Altavilla eorum filia suscepta et nata fuit.

Perpetrata tandem contra Serenissimum Regem Alfonso Vestre Catholice Maiestatis patrum per Calabrenses rebellionem, quidam frater Bernardus de Maya ordinis Predicatorum bona predictae Abbacie Sancti Luce hoc in Sicilie Regno existencia, et signanter dictum Rivoya feudum, ab ipso Rege sibi impetravit prefatumque

Conellum propter non solutum canonem dicte prestacionis seu cabelle eodem feudo privavit; illudque eidem Conello ad emphiteusim et annum censum florenorum quatuor iterum concessit; cum pacto tamen, quod si dictus Conellus per annum unum in solutione dictorum florenorum quatuor annualium cessasset, quod idem frater Bernardus, concedens, feudum ipsum sibi revocare posset. Cumque exinde idem Conellus in dicta prestacione annui census cessasset, prefatus frater Bernardus predictum Conellum eodem Rivoya feudo spoliavit, illudque Ioanni de Basilico militi iterato concessit.

Mortuo tandem dicto fratre Bernardo de Maya, certis ex causis feudum predictum Rivoya in posse Regij Fisci pervenit. Et quamvis inter dictum Conellum la Balba et Regium Fiscum super dicto feudo lis orta fuisset, nihilominus quondam Rogerius de Paruta, tunc Regni Prorex, ad nonnullorum regionum familiarium supplicationem, actenta paupertate eiusdem Conelli, ac onere, quo premebatur pro maritando dictam Altavillam eius filiam, humanitate punctus, regia auctoritate qua fungebatur, eidem Conello, suisque imperpetuum heredibus et successoribus omnia iura omnesque actiones, que et quas Regia Curia ipsa in dicto Rivoya feudo tenebat, cessit; eumque dictosque suos heredes et successores in locum dicte Regie Curie posuit, ac in corporalem possessionem feudi eiusdem induci fecit; cum hoc tamen, quod ipse Conellus dictique sui heredes et successores ad annuam prestacionem seu cabellam, ad quam antea tenebantur pro dicto feudo, eidem Regie Curie tenerentur.

Et nihilominus idem Prorex eidem Conello omne id totum ad quod tenebatur pro decursis tunc temporibus quibus dictum feudum possederat, relaxavit, quemadmodum in eius Viceregio privilegio dato Panhormi XXVIII Maji II Inditionis 1439, et in Regie Cancellarie libro anni 1398 in cartis 130 notato, hec omnia serius enarrantur.

A quo quidem anno 1399 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, Regie Cancellarie codicibus diligenter perquisitis, de ipso Rivoya feudo nullum aliud privilegium sive investituram, aliamve scripturam inveni. Et sic rationem dare nequeo in cuius posse reperiatur, seu si eidem Abbatie Sancti Luce de Siminaria partium Calabrie restitutum fuerit. Nihilominus, actento quod feudum ipsum Regie Curie fuit semel devolutum et per prefatum Proregem predicto Conello, suisque heredibus. ut supra concessum, cum nihil aliud in contrarium reperiatur, feudum ipsum in Rollo, noviter conficiendo, apponendum esset.

Estque etiam recte actendum, si dicta annua prestacio sive cabella vel census Regie Curie iuxta feudi ipsius obligationem annis singulis prestita fuit, et cui; ut facta de omnibus clara notificatione Regie Curie indemnitati provideri possit.

---

**Rayneri Feudum.**

---

Feudum Rayneri nuncupatum, in valle Demine et Plano Melacij positum, per quondam duces Ioannem de Aragonia, de quo nullus in Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Qui feudum ipsum quondam Iacobo de Labruzo militi, suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, pro precio unciarum ducentarum vendidit; et de illo pluri quod forte valeret feudum ipsum, ultra dictas uncias ducentas, puplico mediante instrumento, manu quondam notarij Bartholi de Philippo, XXII Augusti VIII Inditionis 1340 celebrato, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem.

Mortuo tandem dicto Iacobo de Brucio, sibi in eodem Rayneri feudo successit Ioanna, eius et quondam Benvinute iugalium filia.

Qua exinde defuncta, sibi in ipso feudo successit Ioannes Denti, eius et quondam Simonis Denti ingalium filius legitimus et naturalis. Qui Ioannes decrepita in etate demum constitutus, de feudo eodem Ruberto Denti eius filio legitimo et naturali ac maiori natu donationem fecit inter vivos irrevocabilem. Idemque Robertus Denti pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus de feudo ipso iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis regijs regalijs, Regieque Curie iuribus semper salvis, a quondam Raymundo de Perillos, tunc regni Prorege, XXV Aprilis V Inditionis 1442 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1441 in cartis 377 notatam, habuit.

Nihilominus Regia in Cancellaria de predicto vendicionis feudi eiusdem instrumento nulla regia confirmacio reperitur, minusque apparet de feudo ipso tam a dicto Iacobo de Abrucio emptore, quam

a Ioanna eius filia, quam etiam a Ioanne Denti ipsius Ioanne filio, captas fuisse debitas investituras.

Postremo autem feudum Rayneri predictum ad quendam Ioannem Denti devenit. Qui Ioannes Denti iunior cum ob mortem suorum predecessorum investituram capere postposuerit, ratio dari non potest cuius fuerit filius, sive quo iure in ipso feudo successerit. Verum idem Ioannes Denti iunior apparet pro dicto feudo in anno 1463 solitum iuramentum et homagium fidelitatis et vassallagij in posse tunc regni Proregis prestitisse, quod in Regie Cancellarie iuramentorum libro in cartis 179 notatum reperitur. Et tamen non exponitur quo iure et cui Ioannes ipse in eo successerit.

Decedente deinde dicto Ioanne Denti iuniore, sibi in eodem Rayneri feudo successit Petrus Denti eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, a tunc Regni Proregibus de feudo ipso, penultimo Iulij VIII Inditionis 1476 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1475 in cartis 310 notatam, reportavit.

Finaliter autem quedam Sicilia uxor Gilifortis de Urso dictum Rayneri feudum per primum et secundum decretum per magnam Regiam Curiam factum, pro restitutione certarum suarum dotium, sibi adiudicari fecit. Quorum virtute pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de feudo ipso Sicilia predicta a Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XVIII Decembris VIII Inditionis 1504 investituram, in Regie Cancellarie libro anni predicti in cartis 4 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Rayneri per predictos Gilifortem de Urso et Siciliam iugales possidetur; quod anno quolibet reddit . . . . . 07 XVIII.

Demum autem Ioannellus Denti, filius prenominati quondam Petri Denti, ob cessionem litis sibi factam de dicto Raynerij feudo per Nicholectam de Urso, tanquam filium prefate Sicille de Urso, prout apparet tenore capitulorum et contractus matrimonialis, celebrati in actis notarij Mathei Corsu, XXVI Augusti III Inditionis 1515, pro se suisque heredibus et successoribus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, de feudo eodem Raynerio a don Ugone de Montheatheno moderno Regni Prorege, XVI Ianuarij III Inditionis 1516 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1515 in cartis 347 notatam, reportavit.

Et in presentiarum, dicto anno 1516 decurrente, feudum predictum Raynerij per ipsum Ioannellum Denti possidetur, cepitque

etiam a dicto Vicerege de dicto feudo investituram, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, die XIII Iulij III Inditionis notatam in libro dicti anni fol. 18; et iuravit tactis scripturis reddere tantumdem.

---

**Nimiri Feudum.**

---

Feudum Nimiri nuncupatum, in valle Demine et territorio Sancte Lucie Plani Melacij positum, per quondam Albarum de Sacco messanensem, de quo non reperitur in Cancellaria titulus, antiquitus possidebatur. Qui de feudo ipso quondam Giliberto de Urso eius consanguineo, suisque heredibus et imperpetuum successoribus, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem, et quandam aliam donacionem per eum primitus factam Giliberto Sacco eius filio naturali revocavit; quemadmodum in quodam puplico huiusmodi donacionis instrumento, manu notarij Pauli de Carissimo messanensis, XXVII Maij VI Inditionis 1443 celebrato, hec et alia late patent; quam donacionem et feudum Serenissimus Rex Alfonsus, Vestre Catholice Maiestatis patruus, eidem Giliberto de Urso donatario, suisque heredibus et successoribus imperpetuum iure Francorum, sub consueto militari servicio, eius cum regio privilegio, dato in Castro prope Penturam III Augusti 1443, de quo viceregia emanavit executoria, data Panhormi primo Novembris prime Inditionis 1443, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 89 notata, acceptavit et confirmavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Nimiri per eundem Gilibertum de Urso possidetur; quod anno quolibet reddit. . . . . 07 . . . .

Nihilominus pro Regia Curia indemnitatem oportet, quod titulus prenominati Albari de Sacco donatoris habeatur, ut videri possit, sub qua forma fuerat illi ipsum Nimiri feudum concessum, et si illud prefato Giliforti de Urso eius consanguineo donare poterat, ac per quem Regem fuerat eidem Albaro concessum.

**Colla Suprana alias Muntigrossu. Colla Subtana. Territorium di la Casa alias Casa. li colli. Colla di Misser Simuni. Colla di Iannuzu. Feuda.**

Feuda vulgo colla Suprana alias Muntigrossu, et Colla Subtana, ac territorium di la casa nuncupata, in valle Demine et territorio Randacij iuxta feuda Grassecta, et lu Fraxino, ac prope feudum Aqua sancta posita, hoc modo antiquitus possidebantur; videlicet, quod due partes feudi Colle Suprane, et medietas feudi Colle Subtane per quondam Rogerium Spatafora messanensem; reliqua vero tercia pars Colle Suprane, ac altera medietas Colle Subtane per Antonium Spatafora, qui eadem tanquam bona burgensatica possidere asseruerunt. Tandem dictus Antonius Spatafora et Dulcis mulier, iugales, omnes predictas prefatorum feudorum partes, quas possidebant; nec non et quoddam aliud eorum territorium, vocatum territorium di la Casa, eisdem feudis coniunctum, que tunc temporis li Colli, lu terzu di la Colla di Misser Simuni, la mitati di la Colla di Iannuzu et lu territorio di la Casa vocabantur; francas, liberas et exemptas ab onere census et cuiuslibet servitutis, tanquam rem burgensaticam, pro precio unciarum quinquaginta duarum vendiderunt; cum pacto tamen, quod prefati iugales bona predicta ad eorum opus, et non alterius, infra annos sex pro eodem precio sibi reddimere possent; et abinde de illis aliquam aliam alienacionem in alios facere non valerent, quam si forte facerent pro nulla haberetur, dictaque bona ad ipsum Rogerium reverterentur; sicuti in quodam publico huiusmodi vendicionis instrumento, acto olim die XIII Octobris X Inditionis 1432, hec et alia diffusius enarrantur.

Inde vero ad annos fere decem, cum dictus Rogerius Spatafora ad Serenissimum Regem Alfonsum, Vestre Catholice Maiestatis patrum, tunc regnantem, et in civitate Putheoli residentem, recursum habuisset, illique exposuisset, ad sui noticiam pervenisse prenominata bona per quondam Ioannem Vanches, tunc Regij Fisci Procuratorem, in quodam Rollo seu quinterno vel cedulario eius manu descripto, non ut bona burgensatica, sed tanquam feudalia bona descripta reperiri, eo inscio et penitus ignorante, eidem



Regi, ut res suas tucius et sine scandalo possideret, humiliter supplicavit, ut bona ipsa tanquam feudalia in larga forma iuxta Sicilie regni Statuta, sibi suisque imperpetuum heredibus et successoribus concederet; ob quod, Rex idem, eidem Rogerio Spatafora, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, dictum contractum vendicionis cofirmavit; nec non bona predicta, ut predicatur vendita, tanquam feudalia in larga forma, secundum Regni eiusdem consuetudinem, sub consueto militari servicio, cum prerogativis honoribus, oneribus, et aliis iuribus in similibus feudalibus bonis in dicta larga forma iuxta consuetudinem predictam melius et plenius statutis et consuetis, ac ex eis Regie Curie spectantibus iuribusque eiusdem Regie Curie et alterius semper salvis; eius cum regio privilegio dato in dicta civitate Puteolorum, XIII Marcij V Inditionis 1442, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi X Aprilis V Inditionis predictae, et in Regie Cancellarie libro anni 1441 in cartis 319 notata, concessit.

In anno autem 1453 idem Rogeroctus Spatafora coram dicto Rege iterum comparens, illi per suam in scriptis supplicacionem exposuit, quod cum ipse ante predictam vendicionem sibi ut preditur factam, suas partes dictorum feudorum supra expressas, non ut feudales, sed ut burgensaticas tenuisset et possidisset, et propterea non teneretur de eis iuxta Capitulum, per ipsum Regem super investituris feudorum capiendis celebratum, se investire, cum ut predicatur burgensatice essent, quod utique Rex idem suam regalem aperiret mentem et quomodo eum, suosque heredes propterea vivere oporteret, declararet. Quamobrem Rex ipse suam aperiens regiam mentem declaravit atque providit, quod dictus Rogeroctus suiue heredes partes quas idem Rogeroctus, ut profertur, a dicto Anthonio Spatafora et Dulci iugalibus emerat in feudum sub militare servicio iuxta suam regiam confirmacionem et privilegium possideret. Quas vero partes ante dictam emptionem detinebat, eo modo ipse suiue heredes possiderent, prout ante ipsam emptionem eos possidere consueverant; sicuti in ipsius alio Regis Alfonsi privilegio dato apud Campum Lutium, XII Octobris II Inditionis 1453, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 288 notata, hec et alia serius exponuntur. In quo regio privilegio inter cetera huiusmodi leguntur verba, scilicet: Et ceteras colles sive terras et possessiones, quas tanquam suas et ante prefatas emptiones tenebat et possidebat, de quibus declaracionem petit, an sub feudo et tanquam feudalia aut in allodio et tanquam burgensatica tenere; cum eisdem volumus quod eis

modo et forma et cum illis iuribus, preeminencijs, iurisdictionibus, prerogativis et introytibus, quibus temporibus retroactis et in hunc usque diem easdem tenuit, tenetque et de presenti possidet deinde ut ipse et sui heredes et successores imperpetuum teneat et teneant, declarantes etc. Nihilominus pro Regie Curie indemnitatem est recte attendendum, quod per annos fere decem post privilegium prefati Regis Alfonsi infeudationis dicti feudi, reperio per Rollum et Cedularium prelibati Fisci Regij Procuratoris Colla predicta feudum esse. Dictus Rogerocta Spatafora, nulla facta per eum mentione de eo quod antea impetrarat, eidem Regi supplicavit, ut suam aperiret regiam mentem, et declararet si dicta Colla seu territoria in feudum, aut in allodium tenere debuisset: actencto quod partes per eum possessas non in feudum sed in burgensaticum, ut predicatur, possidebat; quod non modice est admiracionis, et videtur Regiam Curiam deceptam fuisse et nimis lesam, cum per annos fere decem fuisset antea provisum et per privilegium confirmatorium vendicionis parcium dictorum territoriorum per prefatos Anthonium Spatafora et Dulcem, iugales, eidem Rogerocto facte statutum et ordinatum, quod ipse Rogerocta Colla eadem sive bona in larga forma sub feudali nomine et militari servicio perpetuo tenere deberet et possidere. Nihilominus, quomodocumque sit, licet dictus Rex Alfonsus non fuerit de predictis recte informatus, tamen per prenotata verba suo in regio privilegio apposita, videlicet, quod eis modo et forma quibus temporibus retroactis etc., scilicet antedictam emptionem et in hunc usque diem easdem tenuit etc. Rex idem iam providit, quod eisdem modo et forma ea teneret et possideret; quo casu verba ipsa sunt recte consideranda et interpretanda, an propterea comprehendi debeat sue fuisse regie mentis bona ipsa per dictum Rogeroctam ante dictam emptionem possessa in purum et francum puta in burgensaticum et non in feudale sibi concedere quod equidem dubitationem affert. Nam casu quo Rogerocta predictus verum titulum dictorum territoriorum non ostentaverit, sui que successores illum non demonstraverint, seu abinde demonstrabunt, ut percipi possit, si ad francum allodium sive in feudum concessa fuerunt, actencto premaxime, quod per Cedularium sive Rollum manu dicti Fisci regij Procuratoris factum constat, territoria ipsa esse feuda, et non rem burgensaticam, quod per partis predictae impetrantis informacionem colligitur, dico, ipsa territoria sive bona, esse dicenda feuda et non burgensatica, signanter cum partes bonorum ipsorum, ut supra venditorum, post dictam regiam confirmacionem fuerint et sint in feudum concesse,

sub quo etiam perpetuo stare debent. Tamen cum omnia territoria predicta, tam videlicet que per ipsum Rogeroctam detinebantur, quam que per prefatum Anthonium Spatafora etiam possidebantur, in unum membrum possideantur, illorum quota parte actenta, vel in feudum integriter detinenda sunt, sive in allodium. Et ideo ad iuris dispositionem me remitto. Tandem cum dictus Rogerius Spatafora ad mortem devenisset, manu notarij Pini Camarda II Novembris III Inditionis 1470 suum condidit testamentum, per quod in eius bonis feudalibus et alijs quondam Sallimbenium et Ioannem Spatafora fratres eius nepotes, filios Anthonij Spatafora, eius, fratris suos instituit universales heredes. Et sic ipsis Sallimbenio et Ioanne Spatafora in ipsis feudalibus succedentibus, et inde dicto Sallimbenio ad mortem etiam deveniente, Ioannella eius filia per eum, suo cum testamento manu notarij Mathei Curenti de Randacio, XXI Novembris III Inditionis 1470 celebrato, instituta fuit universalis heres. Que cum in bonis dicti Sallimbenij Spatafora eius patris, et signanter in bonis feudalibus successisset, ipsa feudalia bona penes eam et dictum Ioannem Spatafora, eius patrum, comaniter pro indiviso remanserunt. Qui Ioannes Spatafora et Ioannella Spatafora, patruus et neptis, cum in comune vivere non statuissent, bona ipsa hereditaria et signanter feudalia inter se dividere curarunt. Que feudalia hec fuerunt, videlicet: feudum Malecta, de quo iam superius in cartis 731 verba feci; feudum Cuto ac Xillicta alias Schillita et feudum Bufali, de quibus etiam superius in cartis 739 non nihil dixi; ac prenotata feuda Colla Suprana et Colla subtana. Qua facta divisione, eidem Ioannelle, que tunc temporis Anthonini de Platamone uxor erat, feuda predicta Cuto, Xillica, Bufali, Colla Suprana et Colla Suptana, ac nonnulla alia burgensatica territoria, in partem cesserunt; sicuti de huiusmodi honorum divisione publico contractu manu notarij Raynerij Pellicani, XV Septembris VIII Inditionis 1489 celebrato, apparere dicitur.

Que quidem Ioannella, uxor prefati Antonini de Platamone, ad mortem exinde deveniens, publico mediante asserto donacionis contractu, facto manu notarij Guilelmi de . . . cathaniensis, III Decembris III Inditionis 1485, omnia eius bona feudalia Ioanni Ferdinando de Platamone, eius filio, et dicti Anthonini de Platamone iugalium, irrevocabiliter inter vivos dedit; cuius virtute idem Ioannes Ferdinandus de feudo ipso di la Colla Suprana et Colla Subtana ac alijs possessionem nactus fuit.

Noviter autem (ut percepi) dictus Ioannes Ferdinandus de Platamone iddem feudum di la Colla suprana et Colla Subtana, vi-

ceregia licentia preeunte, pro uncijs septingentis. carta tamen gratie reddimendi quandocumque mediante, pro eodem precio, francum, liberum et exemptum ab omni onere census et oblationis, nec non a regio militari servicio, Anthonio la Rocca messanensi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, vendidit; ad que onera Regie Curie persolvenda se suosque heredes et imperpetuum successores principaliter obligavit; sicuti in quodam pulico contractu manu notarij Ieronymi Manyanti messanensis, XII Novembris prime Inditionis 1512 celebrato, diffusius continetur.

Cuius quidem contractus vendicionis virtute, idem Anthonius la Rocca pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus de feudo ipso di la Colla Suptana a don Ugone de Montecatheno, Regni moderno Prorege, VI Iunij prime Inditionis 1513 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1512 in cartis 724 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno predicto 1513 decurrente, feudum ipsum di la Colla Suptana per dictum Anthonium la Rocca possidetur; quod anno quolibet, prout eius iuramento firmavit, reddit uncias quinquaginta et pro totidem iura officialium persolvit, et sunt uncie . . . . . 07 L.

Necnon et cepit ipse Anthonius de dicto feudo a don Ioanne de Luna Preside investituram, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, die XIII Septembris V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni fol 552; et iuravit reddere uncias XXXXII, tamen falso in contrarium primi iuramenti.

Nihilominus est attendendum, quod in Rollo noviter conficiendo fiat expressa mentio, quod pro dicto feudo Colla subtana ad regium militare servicium dicti contractus vendicionis virtute prefatus Ioannes Ferdinandus de Platamone venditor tenetur. Et licet ipsum feudum eidem militari servicio teneatur; tamen ad maiorem cautelam predictus Ioannes Ferdinandus in nota Rolli predicti, pro dicto militari servicio prestando, etiam apponatur.

**Colla Suprana Feudum.**

---

Feudum autem Colla Suprana, licet per partem illud possidentem pretendatur esse burgensaticum territorium, et non feudum, nihilominus firme sum opinionis, rationibus superius assignatis, illud sub forma feudali, et non burgensatica esse tenendum. Et ideo quid iuris fuerit videatur.

In presentiarum autem, dicto anno 1513 currente, feudum ipsum Colla Suprana per prefatum Ioannem Ferdinandum de Platamone possidetur; quod annis singulis reddit . . . . 07 . . . .

Exinde vero dictus Ioannes Ferdinandus de Platamone feudum ipsum Colle Suprane, carta gratie reddimendi quancumque, vendidit Anthonino la Rocca pro precio unciarum . . . . . ut patet in contractu facto manu notarij Ieronymi Manianti messanensis, die XIII Novembris VII Inditionis 1518. Qui quidem Anthoninus de dicto feudo Colle Suprane cepit, pro se suisque heredibus et successoribus, investituram a don Hectore Pignatello comite Montis Leonis in presentiarum Vicerege, die XV Iulij VII Inditionis 1519, notatam in libro 1519 VII Inditionis fol. 37; et iuravit reddere . . . . . , . . . . . 07 XXIII.

---

**Salitium Casale sive Feudum.**

---

Casale et feudum Salitium appellatum, in valle Demine et territorio civitatis Messane prope pertinencias casalis Castanie positum, per Monasterium sive Archimandricatum Sanctissimi Salvatoris Lingue Fari Messane, de quo non reperitur in Cancellaria titulus, possidebatur. Quod Monasterium sive illius monachi feudum predictum bis vendiderunt; primo videlicet Filiono Cuglituri

pro certa summa, carta gratie reddimendi mediante; et deinde cum eadem gratia reddimendi, francum ab omni onere census, et cuiuslibet servitutis Bartholomeo de Iuenio pro precio unciarum quatricentarum, puplico mediante contractu manu notarij Iacobi de donato messanensis in anno 1480 celebrato. Quem contractum quondam Gaspar de Spes, tunc Regni Prorex, eidem Bartholomeo de Iuenio sua cum viceregia provisione, data Messane XXII Maij XIII Inditionis 1480, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 124 notata, acceptavit et confirmavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, nullam haberi potui noticiam, si dictum Monasterium Sanctissimi Salvatoris Feudum predictum a posse dicti Bartholomei de Iuenio emptore sibi redemit, vel ne. Nihilominus videndum est, si ex causa dicte alienacionis feudi eiusdem illius possessor ad dictum militare servitium tenetur, vel non.

---

**Massaria alias Criti Feudum.**

---

Feudum Massaria vocatum, quod antiquitus Criti nuncupabatur, in valle Demine et territorio civitatis Pactarum positum, per quondam Eufemiam de Pacto, de qua non apparet titulus in Cancellaria, possidebatur. Que cum exinde Ioanni de Balsamo nupsisset, illi feudum predictum in dotem apportavit. Qui Ioannes cum a Serenissimo Rege Alfonso pro dicta eius uxore et filijs, iam tunc natis et abinde ex eis nascituris, ac eorum descendibus, de dicto feudo confirmationem habere procuraret; ipsemet Rex eidem Ioanni de Balsamo suisque filijs et heredibus eius de corpore legitime descendibus, iam tunc natis et abinde nascituris, dicti feudi confirmationem concessit. Sed in ea, nullo pacto, fuit dicta eius uxor in aliquo nominata, que feudum ipsum in dotem apportavit; quemadmodum in eius regio privilegio dato in Castris prope Vitudiam, XI Septembris anno 1441, late patet.

Inde vero ad annos fere quinque, scilicet in anno 1447, prefata Eufemia de Balsamo ad don Lupum Ximenem Durrea, tunc

Regni Proregem recursum habuit; cui exposuit, quod per errorem scribe, qui predictum confirmacionis privilegium composuit, et scripsit, et huiusmodi materiei inscius fuerat; cum per Ioannem de Balsamo eius virum antedictum, qui absens erat, informatus non fuisset, privilegium ipsum in personam ipsius Ioannis de Balsamo, eius viri, et eius filiorum, et non in personam dicte Euphémie, illius uxoris, contra voluntatem ipsorum iugalium emanatum fuerat. Et sic eidem Proregi supplicavit, ut illi provideret; ob quod ipse Prorex, dicta actencta informacione, eius cum viceregio privilegio, dato Panhormi XXVIII Marcij X Inditionis 1447, et in Regie Cancellarie libro anni 1446 in cartis 226 notato, cum inserto tenore ipsius regij privilegij confirmacionis, inter cetera sub his verbis providit, scilicet: Et ita volumus et statuimus, quod preinsertum Regium privilegium dicte eius uxori et suis filijs ex se et dicto eius marito natis et nascituris concessum fore intelligatur, quemadmodum in sui personam realiter et specificè dictaret; quod privilegium sibi servetur, tanquam si in eo de his specialis mencio fieret, illo verbo ipsum Ioannem militem vocante minime obstituto etc.; prout in ipso viceregio privilegio continetur.

Nihilominus ignoro, an dictus Prorex prelibatum regium privilegium Regis Alfonsi, absque expresso regio mandato corrigere et regulare potuerit, an non, et si simplici informacioni dicte Euphémie, non constituto sibi de errore scribe compositoris ipsius regij privilegij, ut prefertur, fidem adhibere debuit.

Tamen, quicquid sit, feudum ipsum la Massaria alias li Criti ad Balsamum de Balsamo pervenit; de quo cum non reperitur in Cancellaria investitura, ratio reddere non potest, quo iure in eo successerit, aut si filius dicti Ioannis de Balsamo mariti prefate Euphémie, ut supra, fuerit, vel alias consanguineus.

Tandem ipso Balsamo de Balsamo defuncto, sibi in eodem feudo successit Ioannes Iacobus de Balsamo eius filius tunc minor. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus de feudo ipso a don Gaspare de Spes tunc in regno Prorege, XIII Octobris XV Inditionis 1481 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 48 notatam, reportavit.

Hodie autem, anno 1513 decurrente, feudum predictum la Massaria sive Criti per Ioannem Iacobum de Balsamo possidetur; quod anno quolibet reddit uncias . . . . . 07 L.

Qui Ioannes Iacobus de Balsamo cepit investituram de dicto feudo Massarie a don Ioanne de Luna, Preside, pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui

privilegij, ob mortem Catholici quondam domini nostri Ferdinandi Regis, die XVII Septembris V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni fol. 78; et iuravit reddere tantumdem.

---

**Malpirtuso Feudum.**

---

Feudum Malpirtuso appellatum, in valle Demine et territorio terre Nicoxie existens, burgensaticum territorium antiquitus fuerat, per quondam Petrum Sabia, de eadem terra Nicoxie, possessum. Quod cum in feudum eregi, cum nonnullis alijs territoriis per eum tunc emendis, usque ad salmatas ducentas exaptctaret; ad eius supplicationem Serenissimus Rex Alfonsus de huiusmodi feudali erectione eidem Petro Sabia, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, concessionem fecit, quod feudum regio militari servicio unius balistarij Regie Curie prestando, iuxta regni consuetudinem obligavit; pro ut in eius regio privilegio, dato in castello Turris Octavi, XXVIII Octobris XIII Inditionis 1450, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi III Decembris anni predicti, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 130 notata, continetur.

Deinde vero dictum feudum Malpirtusu ad quondam Nicolaum Sabiam, de quo non apparet in Cancellaria investitura, pervenit; et sic ratio dari non potest a quo descendat, et si fuit dicti Petri Sabia filius, aut alias, pro ut in quadam investiture nota, data V Octobris XIII Inditionis 1479 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 73 notata, videri potest.

Perquisitis demum Regie Cancellarie registris a dicto anno 1479 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipso Malpirtuso feudo nullam aliam inveni investituram, aliumve actum, et sic ignoro in cuius posse existat; unde est eius inquirendus possessor, ut de his noticiam tribuat; quod feudum anno quolibet reddit . . . . . 07 XXXX.

Tamen dictus Petrus Sabia de dicto feudo Malpirtuso, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside ce-



pit investituram die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 442; et dominus Federicus Sabia eius procurator iuravit reddere tantundem.

---

**Migeti Feudum Petra Algorri Territorium.**

---

Casale sive feudum Migeti et feudum sive territorium Petra de Algorri, in valle Demine et tenimento terre Nicoxie posita, de sacri regij Demanij membris antiquitus fuerant. Quod casale Migeti per terre eiusdem Nicoxie Universitatem, sub debito terragio Regie Curie anno quolibet prestando, possidebatur. Tamen Serenissimus Dominus Imperator Federicus eidem Universitati dictum ius terragij casalis ipsius Migeti relaxavit, ipsique etiam Universitati dictum territorium Petre de Algorri, cum omnibus iustis tenementis et pertinentijs suis, imperpetuum concessit. Nec non idem Dominus Imperator, ac ipsius etiam Imperatoris genitor, Universitati eidem illos tricentos nautas sive marinarios, ad quos annis singulis Universitas ipsa Regie Curie tenebatur pro servicio Stoli sive classis ipsius Regie Curie, suo cum imperiali privilegio, dato Nicosini VIII Maij XII Inditionis 1209, relaxavit.

Tempore vero quo Serenissimus Rex Alfonsus, Vestre Catholice Maiestatis patruus, regnabat, cum quondam don Lupus Ximenes Durrea, tunc regni Prorex, de regio mandato a regni feudatarijs titulos et privilegia feudorum eorum exposceret, viso prius per eum dicto imperiali privilegio, eidem Universitati Nicoxie feudum Migeti predictum iuxta formam dicti privilegij, et cum illius inserto tenore, ita quod Universitas ipsa tam dictum feudum per terrarum tenimentum prelibatum in capite a Regia Curia teneret et cognosceret cum omnibus et singulis Regie Curie iuribus reservari in similibus solitis, iuribusque Regie Curie semper salvis; acceptavit et confirmavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feuda ipsa per dictam Nicoxie Universitatem possidentur; que anno quolibet reddunt . . . . . 07 CCCLXXX.

Nihilominus actendum est, quod Universitas ipsa Nicoxie, ob mortem Serenissimorum Sicilie Regum Vestre Catholice Maie-statis progenitorum, de feudis ipsis, prout tenebatur, investituras non cepit; nec non ut feudum ipsum in Rollo noviter conficiendo apponatur pro regio militari servicio, ac dictis antiquis regalijs conservandis, est etiam opera adhibenda pro Curie Regie indem-pnitate.

Et noviter dicta Universitas terre Nicoxie, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna, Preside, de dicto feudo nunc per eam nominato Vaccarrie alias Petra di Scorti, in-vestituram die XVI Ianuarij V Inditionis notatam in libro anni 1516 fol. 416; et don Franciscus Lignuvirdi eiusdem Universitatis procurator et ambaxador iuravit dictum feudum reddere tantumdem.

---

**Muntigrossu; Feudum.**

---

Feudum Muntigrossu appellatum, in valle Demine et territorio terre Nicoxie existens, territorium quondam Gulielmi Donguida antiquitus fuerat. Quod exinde a don Lupo Ximene Durrea, tunc Regni Prorege, sub consueto militari servicio infeudatum fuerat.

Mota exinde per Universitatem dicte terre Nicoxie heredibus dicti Gulielmi lite, fuit demum inter eos concordatum, et cum deliberacione tocius consilij dicte terre contractatum, quod infeudacio predicta remaneret, prout in ipso accordij contractu manu notarij Gulielmi de Salamone, XV Maij II Inditionis 1469 celebrato, continetur. Quem contractum dictus don Lupus Ximenes Durrea Prorex, cum illius inserto tenore, quatenus rite et recte processerit, natura tamen feudi in aliquo non mutata, servicio militari, iuri-bus et pertinentijs reservacionibus et alijs omnibus contentis, ex-ceptis et expressis in privilegio dicto quondam Gulielmo pro dicto feudo concesso, reservatis Regie Curie, et alijs quibuscumque sal-vis remanentibus penitus et illesis, eius cum viceregio privilegio dato Agrigenti XXIII Maij II Inditionis 1469, et in Regie Cancel-larie libro anni 1468 in cartis 151 notato, continetur.

A quo quidem anno 1469 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de feudo ipso Muntigrosso nulla alia reperitur investitura.

In presentiarum autem, anno predicto 1513 decurrente, feudum ipsum Montigrosso per Anthonium Donguida, filium prefati Guillelmi Donguida possidetur; quod feudum anno quolibet reddit . . . . . 07 XX.

Dictus vero Anthonius Donguida, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna, Presidente, cepit investituram die VII Ianuarij V Inditionis 1517, notatam in libro Cancellarie anni 1516 in cartis 348. Qui per Gulielmum Donguida, eius filium et procuratorem, tactis scripturis, iuravit reddere tantumdem.

---

**Marcu di Buternu. Marcu di Gradu. Feuda.**

---

Feuda lu Marcu di Buterno et lu Marco di Gradu vulgo nuncupata, in valle Demine et tenimento terre Sancti Philippi de Argirione posita, per quondam Didacum de Vaquedano ex Curie reginalis concessione, que Regia in Cancellaria non reperitur, ut asseritur, antiquitus possidebantur.

Deinde autem feuda ipsa ad quondam Petrum de Albanes navarrensem, de quo cum in ipsa Cancellaria nullus reperiatur titulus ratio dari non potest quo iure ipsi cesserint, et a dicto Didaco de Vaquedano defecerint, pervenerunt. Qui Petrus Albanes cum Serenissime Regine Blance ad quandam pecuniarum summam pro quodam cambio per eum ab ipsa Regina recepto teneretur, feuda ipsa eidem reginali Curie renunciavit et cessit. Et sic ipsi reginali Curie aperta fuere et devoluta. Illaque Martino Sorban, suo maiori roposterio, eius intuitu serviciorum suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, sub consueto militari servicio reginali Curie prestando, ipsa Regina Blanca concessit et donavit, cum clausula: Et cum tenimentis, et pertinentijs eorum omnibus universis, cum quibus Didacus de Vaquedano a Curia reginali habuit, tenuit, et possedit; ac prout, et sicut olim Regia Curia et reginalis Curia predicta soliti sunt

hactenus ab antiquo tenere et possidere ac tenuerunt et possiderunt, seu habere tenere et possidere debebant omnibus temporibus retroactis, ac poterant, etc. nec non cum clausula: Ipsiisque uti, frui, et gaudere, et ea vendere, donare, permutare, alienare, et de eis, et in e's, quicquid sibi et heredibus suis placuerit, tanquam de re propria, libere facere velle eorum proprietario iure et titulo donacionis presentis etc. antiquis tamen regalijs, et Regni Constitutionibus, ac regie, reginalisque Curie iuribus, ac alterius semper salvis; sicuti in quodam puplico ipsius Regine Blance donacionis et concessionis huiusmodi instrumento, manu notarij Andree de Anfusio messanensis XXI Iunij VIII Inditionis 1415 celebrato, hec et alia late patent.

Quamquidem reginalem donacionem et concessionem Serenissimus tunc Infans Ioannes pro Serenissimo Rege Alfonso Regni Prorex, cum ad comunem et usualem Regni eiusdem formam redigere voluisset, feuda ipsa eidem Martino Surban, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis regalijs, Regni Constitutionibus et Regie Curie iuribus, ac alterius semper salvis, suo cum regio privilegio, dato Cathanie V Iulij VIII Inditionis 1416, acceptavit et de novo concessit.

Unde colligi potest, quod licet a regni Regibus feuda in amplissima forma concedantur, possunt nihilominus per Reges successores feuda eadem ad strictissimam formam, pro heredibus de corpore legitime descendentibus iure Francorum, redigi, cum videatur ea esse comunis et usualis forma, progenitoresque non posse successoribus eorum, necessitate urgentissima non imminente, preiudicare.

Postmodum autem Serenissima Regina Maria eidem Martino Surban, tunc Castri Philippi de Argirione castellano, eius intuitu servitorum suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, quascumque concessionem et gracias, ac alios titulos, quibus Martinus ipse feuda predicta tenebat et possidebat, confirmans eadem illi, dictisque suis heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis regalijs, iuribus Regie Curie et alterius, ac regni Constitutionibus semper salvis, eius cum reginali privilegio, dato Barchinone XXIII Maij 1432, de novo concessit.

Mortuo demum dicto Martino Sorban, feuda ipsa di lo Marcu di Buterno et di lo Marco di Gradu ad Ioannem Surbanum eius filium, de quo non apparet in Cancellaria investitura, pervenerunt. Qui Io-

annes de Surban et Iaymus eius frater, cum a quodam Ioanne de Cardines, tunc reginalis Siracusane camere Gubernatore, pro Serenissima quondam Regina Elisabeth, olim Vestri Regij Culminis Uxore, licentiam obtinuisset vendendi, donandi permutandi, et alienandi feuda ipsa di lu Marcu di Buterno et di lu Marco di Gradu, ac de illis imperpetuum, sive ad tempus donacionem faciendi, cui aut quibus voluissent, ac pro precio, quo melius convenire potuissent, cum carta, aut sine carta reluendi, non obstante quod huiusmodi vendicio, seu donacio equedigno non fieret, saperetque divisionem aliorum feudorum, forte coniunctorum, et unica concessione et servicio concedendorum, dispensato etiam concessioni eisdem Ioanni et Iaymo fratribus, et eorum progenitoribus per regiam aut reginalem Maiestatem facte, ac non obstante dispensacione Capituli *Volentes* et proibicione, ut in ipsa licentia data in terra Minei XXVIII Aprilis XV Inditionis 1482 continetur, fratres ipsi de feudis predictis di lu Marcu di Buterno, et di lo Marcu di Gradu eidem Ioanni de Cardines Gubernatori, suisque imperpetuum heredibus et successoribus donacionem fecerunt inter vivos irrevocabilem, puplico mediante contractu manu notarij Ioannis de Gravina XXVIII Aprilis XV Inditionis 1482 celebrato. In quo donatores ipsi usufructum feudorum ipsorum in vita et per totum eorum vite terminum tantum sibi reservarunt, cum conditione etiam, videlicet; post quorum donatorum obitum absque filijs de eorum corporibus legitime descendentibus, dicta feuda, et quodlibet ipsorum, cum usufructibus eorum, pleno iure ad dictum magnificum donatarium revertantur; cum pactis et condicionibus subscriptis, quod si dicti donatores vel aliquis ipsorum haberent filios legitimos et naturales ex legitimo matrimonio natos, quod eo casu presens donacio sit et esse debeat nulla, et intelligatur pro non facta, et tantum habeat effectum, quando dicti donatores decederent sine filijs de eorum corporibus legitime descendentibus, ut supra, etc.; sicuti in ipsa donacione serius exponitur.

Defunctis postmodum dictis Ioanne Surbano et Iaymo eius fratre donatoribus prelibatis, cum prefatus Ioannes Cardines coram dicta quondam Regina Elisabet comparuisset, illi supplicavit, ut cum feuda ipsa di lu Marcu di Buterno et Marcu di Grado post mortem eorundem Ioannis et Iaymi fratrum, defectu agnatorum et succedentium eis, ad ipsam Reginam, suamque reginalem Curiam, iuxta feudorum Consuetudines et Regni Constituciones, Capitula et Pragmaticas aperta fuissent et devoluta; ipsamque feudorum predictorum donacionem ipsi tanquam primo acquiritori in vim dicte

donacionis suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, confirmaret et de novo concederet; ipsa Regina Elisabet eidem Ioanni Cardines Gubernatori suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio sue reginali Curie debito, donacionem ipsam ac feuda predicta acceptavit et confirmavit, et quomodocumque sibi, sueque reginali Curie devoluta fuissent, et in futurum devolvenda, de novo concessit et infeudavit, cum clausula scilicet: hac videlicet retencione et forma, quod vos dictus Ioannes Cardines et vestri heredes predicti dicta feuda cum onere eisdem imposito a nobis et successoribus nostris in dicto Sicilie Regno in capite teneatis etc. nec non et cum clausula, vosque dictus Ioannes et heredes vestri de legitimo corpore descendentes imperpetuum dicta duo feuda habeatis et teneatis ac possideatis, eisdemque utamini et fruamini, prout et quemadmodum hactenus supradictus Martinus et Ioannes Sorban habuerunt, tenuerunt et possiderunt et usi fuerunt sub forma, modo onere et servicijs in preinsertis dictorum feudorum privilegijs et hic contentis etc.; pro ut in ipso reginali privilegio cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum et donacionis, dato Terragone XIII Marcij II Indicionis 1484, de qua viceregia emanavit executoria data Panhormi XXV Octobris IIII Inditionis 1485, hec et alia diffusius enarrantur.

Demum Vestra Regia Celsitudo, eius cum regio privilegio dato ibidem Taraçone XXIII Marcij 1484 cum inserto tenore omnium et singulorum predictorum, de quo viceregia emanavit executoria, data Panhormi XXV Octobris IIII Inditionis 1485, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 115 registrata, ipsum reginale privilegium eidem Ioanni Cardines suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, acceptavit et confirmavit, eademque feuda di lu Marcu di Buterno et di lo Marcu di Gradu, Regni Constitucionibus, ac militari servicio Regie Curie debito semper salvis, de novo concessit.

Decedente postremo dicto Ioanne de Cardines, sibi eisdem in feudis di lo Marco di Buterno et di lo Marcu di Gradu successit Didacus de Cardines, eius filius, de quo Regia in Cancellaria non apparet investitura. Nihilominus mihi persuadeo cum feuda ipsa in tenimento reginalis Cammere existant, ipsum Didacum de Cardines de illis a reginali Gubernatore Camere huiusmodi se investivisse, quod in reginali archivo Siracusane Civitatis videri poterit, postquam in Regia demaniali Cancellaria de hoc nihil apparet.

**Rachalcatuni Feudum.**

---

Feudum Rachalcatuni nuncupatum, in valle Demine et territorio terre Petralie Superioris positum, quomodo ab ipso territorio segregatum fuerit Regia in Cancellaria nullus reperitur titulus. Tandem feudum ipsum ad quondam Simonem de Pignero pervenit; quo exinde defuncto, successit sibi in dicto feudo Anthonius de Pignero eius filius. Qui cum exinde asseruisset, se in dicto feudo ex suorum progenitorum successione successisse, ac iurasse suas ad manus nullum privilegium sive aliam scripturam pervenisse, a quondam don Lupo Ximene Durrea, tunc Regni Prorege, de feudo eodem pro se, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, antiquis regalijs et Regie Curie iuribus semper salvis, VIII Iulij prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 479 notatam, obtinuit.

Postmodum autem predictum Rachalcatuni feudum ad Melchiorum de Pignero pervenit, de quo cum non inveniatur investitura, ratio dari non potest, quo iure in eo successerit, et a quo descendat.

Decedente demum dicto Melchiore Pignero, feudum ipsum ad Euphemiam de Pignero, eius filiam, pervenit; de qua etiam, ob mortem dicti eius patris, non reperitur investitura. Verum Euphemia ipsa, per obitum Serenissimi Regis Ioannis, de feudo ipso XV Ianuarij XIII Inditionis 1480 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 367 notatam, reportavit.

Ipsaque Euphemia de Pignero, ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 429; et Ieronymus Fuxa, eius filius et procurator, iuravit dictum feudum reddere. . . . . 07 XXXX

---

**Casale Iordanum Feudum.**

---

Feudum Casale Iordanum vulgo nuncupatum, in valle Demine secus territorium terre Petralie positum, per quondam Beatricem de Cardona, uxorem quondam don Petri de Cardona, comitatus Golisani Comitis, pro certo precio quondam Federico de Perdicario legum doctori, mediante quodam asserto puplico contractu manu notarij Guilielmi Lamanca, in anno VIII Inditionis 1490 celebrato, venditum fuit. Qui Federicus, dicte emptionis vigore, de feudo eodem a quondam Ferdinando d'Acuña, tunc regni Prorege, XV Octobris X Inditionis 1491 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 116 registratam, habuit.

Mortuo postmodum dicto Federico de Perdicario, sibi in dicto Casali Iordano feudo successit Lactancius de Perdicario eius filius legitimus et naturalis, tunc minor. Qui de feudo eodem a magistro Iusticiario tunc Regni Preside, XXI Marcij XIII Inditionis 1495 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1494 in cartis 385 notatam, consequutus extitit.

Cumque deinde Blascus de Lancea, legum doctor, a prenomi- nato don Petro de Cardona comite ius luendi feudum predictum Casale Iordanum carta tamen gratie etc. puplico mediante contractu manu notarij Dominici de Leo XXVIII Augusti XV Inditionis 1496 celebrato emisset, cuius virtute feudum predictum ab Allegrancia uxore, relicta quondam prefati Federici de Perdicario, veluti matre, tutrice et curatrice Lactancij prenominati ipsorum iugalium filij, recuperasset, de feudo eodem Casale Iordano a Ioanne de la Nuça tunc Regni Prorege, XVIII Ianuarij prime Inditionis 1497 investi- turam, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 236 registra- tam, obtinuit.

Et his temporibus, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Ca- sale Iordanum per prefatum Blascum Lanceam legum doctorem pos- sidetur; quod anno quolibet reddit. . . . . 07 . . . .

Deinde, scilicet ultimo loco, dictus dominus Blascus de Lan- cea de dicto feudo donacionem fecit propter nuptias domino Sal- vatori de Magistro Anthonio baroni Iacij, marito domine Elisa-



becte Antonine, eiusdem domini Blasci filie, insolutum precij unciarum CVI. in dotem promissarum, et cum eadem facultate reddimendi quandocumque, ut patet in ultimo contractu facto manu notarij Dominici di Leo die VI Septembris III Inditionis 1514; virtute cuius contractus, dictus dominus Salvator de Magistro Anthonio cepit de dicto feudo investituram a domino don Ugone de Moncada, moderno Vicerege. pro se et suis, die XII Iulij III Inditionis 1515, registratam in libro dicti anni IIII Inditionis 1515 fol. 69.

Cepitque etiam dictus Salvator, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de dicto feudo Casalis Iordani a don Ioanne de Luna Preside investituram, die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro Cancellarie anni 1516 fol. 446; et iuravit reddere tantumdem.

Exinde vero fuit facta revendicio dicti feudi, et iterum per dominam Mariam de Cardona, tanquam procuratricem don Petri de Cardona eius filij, comitis Golisani, fuit facta revendicio et assignacio dicti feudi Casalis Iordani Petro Fesauli de terra Girachij, carta gratie reddimendi, pro precio unciarum mille; sicuti apparet tenore puplici contractus facti manu notarij Francisci de Capuchio de Petralia die XXIII Marcij, VII Inditionis 1518; et sic dictus Petrus Fesauli per eius procuratorem cepit de dicto feudo investituram, die primo Augusti VII Inditionis 1519, ab illustre domino Comite Montisleonis Vicerege, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 70; et iuravit dictus procurator reddere tantumdem.

---

**Vaccara alias Montagna Feudum.**

---

Feudum la Vaccara alias la Muntagna appellatum, in valle Demine et tenimento terre Nichoxie existens, per Universitatem terre eiusdem Nichoxie possidetur; de quo feudo cum in Regia Cancellaria nullus reperiatu r titulus, ratio reddi non potest, qua sub forma a Sicilie Regibus, Vestre Catholice Maiestatis Progenitoribus, illi concessum extiterit. Que quidem concessio ipsa in Cancellaria reperiri deberet, cum precipue feudum ipsum la Vaccara seu la Montagna, pro ut a nonnullis terre ipsius incolis percepi, feudum

sit antiquum et paternum. Tamen, quomodocumque sit, Universitas terre eiusdem ipsum feudum quondam Francisco de Minutellis pro annis septem, carta tamen gracie reddimendi quandocumque mediante, cum publico contractu manu notarij Ioannis de Comite XVIII Augusti XI Inditionis 1493 celebrato, vendidit. Qui Franciscus propterea de feudo ipso a quondam Ferdinando d' Acuña, tunc Regni Proroge, II Marcij XII Inditionis 1494 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1493 in cartis 246 notatam, nactus fuit.

Nihilominus, ut percepi, feudum iddem eidem Universitati restitutum fuit, et per illam hodie, anno 1513 decurrente, possidetur; quod anno quolibet reddit . . . . . 07 . . . .

Unde, pro regij militaris servicij indempnitate, in Rollo noviter conficiendo poni debet, cum ob innumerabilium vinearum aliarumque rerum in eo existencium cultum, optimi sit redditus.

---

**Chamemi Feudum. Nugaydum Feudum cum turri.  
Oglastro Marcatum sive Marcato di Luglastro.**

---

Feuda Chamemi et Nugaydu cum turri, ac Oglastru marcatum sive marcatum di Luglastro vulgo nuncupata, in Valle Demine ac marchionatu Geracij posita, tanquam de iuribus et membris marchionatus ipsius per eiusdem marchionatus Marchionem olim possidebantur. Que si feuda de per se existunt, quo iure ad illum pervenerint, nullus Regia in Cancellaria titulus invenitur. Nihilominus quondam Marchionissa marchionatus predicti, tanquam mater, balia et tutrix quondam don Philippi de Vigintimilijs eius filij, marchionatus sepredicti Marchionis feuda antedicta quondam Ioanni de Ansalono legum doctori pro certo precio, publico mediante contractu manu notarij Angeli de Prancacijs XVIII Octobris XII Inditionis 1493, cum carta tamen gracie reddimendi, vendidit.

Qui Ioannes de Ansalono, dicti contractus vendicionis virtute, de feudis eisdem a quondam Ferdinando de Acuña, tunc Regni Proroge, XXVI Septembris XIII Inditionis 1494 investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 98 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum dicto Ioanne de Ansalono, sibi in dicto feudo Nugaydo cum turri successit Franciscus de Ansalono eius filius, nunc baro Pictinei, de quo in Cancellaria non invenitur investitura; quod in regiarum regaliarum preiudicium, et contra regni Statuta et Constitutiones tendere videtur.

Et inpresentiarum, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Mi-  
gaydo cum turri per prefatum Franciscum de Ansalono posside-  
tur; quod anno quolibet reddit . . . . . 07 . . . .

---

**Feudum Chamemi.**

---

Feudum autem Chamemi cum marcato Oglastro antedicto, ut  
percepi, penes Simeonem de Vigintimilijs, modernum marchionatus  
ipsius Geracij Marchionem, reperitur; quod si autem ex luicione  
vel alias sibi pervenit, in Cancellaria non apparet.

---

**Vanella Feudum.**

---

Feudum la Vanella, in valle Demine situm et positum, per don  
Petrum de Cardona, modernum comitatus Golisani Comitem, posside-  
batur, sive possidetur. Nihilominus si ipsum Vanella feudum de  
eiusdem comitatus sive aliarum suarum baroniarum membris erat,  
ipsa in Cancellaria non apparet. Tamen, quomodocumque sit, cum  
quondam Nicholaus de Raynaldo cephaleditanus ab ipso don Petro Co-  
mite certam pecuniarum summam recipere deberet, pro eodem  
debito, in vim primi et secundi decreti, feudum antedictum sibi  
adiudicari fecit; cuius adjudicationis vigore exinde de feudo eo-

dem a quondam Ferdinando d' Acuña, tunc Regni Prorege, III Novembris XIII Inditionis 1494, investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 173 notatam, reportavit.

Sed quia de feudo prelibato Anthonio de Rainaldo, nullus ex eius successoribus de feudo eodem investituram reportare curavit, que eadem in Cancellaria reperiatur, ratio dari non potest, an feudum ipsum eidem Comiti sive ex luycione, seu alias, restitutum fuerit. Et sic pro Curie cautela et regij militaris servicij indempnitate inquirendum esset, in cuius posse existat; quod feudum anno quolibet reddit. . . . . , . . . . 07 . . . .

---

**Miri Feudum.**

---

Feudum Miri, in valle Demine et territorio terre Sancte Lucie positum, per quondam Bernardinum Rizu messanensem, de quo non apparet in Cancellaria titulus, olim possidebatur. Quo tandem defuncto, sibi in dicto Miri feudo successit Ioannes Rizu eius filius. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegij, de feudo eodem a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Vicerege, ob mortem dicti eius patris, XXII Marcij X Inditionis 1507 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1506 in cartis 795 registratam, reportavit. Et per illum in presentiarum, anno 1513 decurrente, possidetur; quod anno quolibet reddit. . . . . 07 . . . .

Viso nihilominus Regie Cancellarie iuramentorum libro, in cartis 58 apparet Ioannem Anthonium Rizu patrem prefati Bernardini Rizu, et prenominati Ioannis Anthonij, eius filij, avum, pro dicto Miri feudo in tunc Viceregis manibus fidelitatis iuramentum et homagij prestitisse. Et ideo pro Curie cautela verus et antiquus titulus feudi eiusdem esset omnino videndus, ut percipi possit quomodo, qualiterve, ac sub qua forma concessum fuerit.

---

**Xari, Collibaxi. Feuda.**

---

Feuda Xari et Collibaxi nuncupata, in valle Demine existencia, penes quondam Bartholomeum de Iuenio fuerant, de quo regia in Cancellaria non apparet titulus quo iure ad eum pervenerint, aut si de membris et iuribus sue baronie erant. Tandem ipse Bartholomeus feuda eadem quondam Guilielmo Bonina pro certo precio, carta gracie reddimendi mediante, vendidit. Post cuius Guilielmi obitum feuda ipsa in posse Pauli Bonina eius heredis, de quibus non apparet instrumentum aliquod sive investitura, pervenerunt.

Deinde autem idem Bartholomeus de Iuenio ius luendi feudorum ipsorum Lodovico de Montealto, legum doctori, pro certo precio vendidit, ob cuius iuris luendi vendicionem, nec non ob revendicionem sibi factam de feudis ipsis per dictum Paulum de Bonina, heredem prefati Guilielmi, ut supra, Lodovicus de Montealto prefatus pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus de feudis eisdem a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Vicerege, VIII Februarij XI Inditionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 331 notatam, nactus fuit.

Et in presentiarum, anno 1513 decurrente, feuda ipsa li Xari et Collibaxi per prelibatum Lodovicum de Montealto possidentur; que anno quolibet reddunt. . . . . 07 LV.

Et ultra cepit a don Ioanne de Luna, Preside, investituram, ob mortem domini Regis Ferdinandi et successionem dominorum Regum Ioanne. eius filie, et Regis Caroli eius nepotis, filij dicte domine Regine, die VIII Decembris V Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 273; et iuravit reddere tantumdem.

---

**Motalliga Feudum.**

---

Feudum Motalliga, in valle Demine et tenimento terre Nasi comitatus Golisani positum, per don Petrum de Cardona, modernum dicti comitatus Comitem, Iacobo de Balsamo baroni Mirti pro certo precio, viceregia licentia precunte data XXVII Ianuarij XV Inditionis 1512, puplico mediante contractu manu notari Iacobi de Carissimo, VIII Ianuarij predicti celebrato, venditum fuit; cuius virtute iddem Iacobus de Balsamo pro se suisque filijs et heredibus, iuxta formam privilegij dicti feudi, de feudo ipso a don Ugone de Montecatheno, moderno Regni Prorege, XXI Februarij XV Inditionis 1512 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1511 in cartis 340 notatam, reportavit.

Et hodie, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Motalliga per prefatum Iacobum de Balsamo possidetur; quod annuatim reddit . . . . . 07 XX.

Nihilominus attendendum est, an dictum feudum Motalliga de iuribus et membris sit dicte terre Nasi, aut prelibati comitatus Golisani, sive feudum de per se. Nam si feudum de per se esset, et a dicta terra et comitatu separatum, esset habenda ratio, quo iure ad ipsum Comitem, illius venditorem, pervenerit. Et ideo ad hoc edendum pro Curie cautela possidens compellatur.

Dictusque Iacobus de Balsamo de huiusmodi feudo cepit investituram, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside, die XV Septembris V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni fol. 52; et iuravit reddere tantumdem.

---

**Sperlinga Terra et Castrum. Charbini Feudum.**

---

Terra et castrum Sperlinge in valle Demine positum, ac feudum Charbini in eadem valle et prope dictam Sperlingam terram existens, per quondam Emanuelem de Vigintimilio, tunc Geraci comitatus Comitem, de quo nullus regia in Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebantur. Qui tandem ipsam Sperlingam terram et castrum quondam Federico de Vigintimilio eius fratri, suisque imperpetuum heredibus et successoribus sub consueto militari servicio, pro precio unciarum mille et quingentarum sine cambio, puplico mediante contractu manu quondam notarij Nathalis de Lancea messanensis, tunc Magistri Notarij in officio Regni Prothonotarij, XV Februarij XIII Inditionis 1360 celebrato, et in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 361 notato, vendidit.

Dictum vero Charbini feudum, licentia regia preeunte, eidem Federico de Vigintimilio eius fratri suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub onere tamen regij militaris servicij, irrevocabili inter vivos donacione pure, libere et simpliciter absque fraude et conditione, nullo sibi dictisque suis heredibus et successoribus reservato iure alio, puplico mediante contractu manu eiusdem notarij Nathalis de Lancea eodem die XV Februarij XIII Inditionis 1360 celebrato, et in Regie Cancellarie libro annorum predictorum 1360, 1366 in cartis 363 notato, etiam concessit.

Que quidem vendicionis terre predictae Sperlinge contractum, nec non et contractum donacionis prefati feudi Charbini, [Rex idem Federicus prelibato Federico de Vigintimilio suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, regijs antiquis regalijs, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, eius cum regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 369 notato, acceptavit et confirmavit, ac cum clausula quatenus iuste, rite et rationabiliter processerunt, de novo concessit.

---

### Cerami Terra.

---

De terra Cerami, in valle Demine posita, magno in Capibrevio in cartis 529 satis diffuse ea que per acta et scripturas, tunc Regia in Cancellaria repertas constabant, enarrata sunt. Sed quia inter cetera expositum est, de terra ipsa nullum tunc alium apparuisse titulum per quem ratio reddi potuisset quo iure ad quondam Guilelmum Rubeum messanensem pervenisset, nisi tantum quandam remissionem eidem Guilelmo, ob eius potratam rebellionem, a Serenissimo Rege Martino concessam, cum clausula restitutionis seu de novo donacionis terre eiusdem Cerami, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub feudali servicio, pro qua quidem remissione seu donacione Guilelmus ipse eidem Regi Martino uncias quingentas persolverat; sicuti ipso magno in Capibrevio hec et alia, ad que me refero, serius exarantur. Et ob id non tacui, immo expresse exposui, quod quando forte Regia Curia predictas uncias quingentas depositaret, posset quodcumque terram ipsam repetere et recuperare, et signanter in vim regie Pragmatice *Post Bella* super recuperacione rerum demanialium alienatarum edite. Nihilominus nuperime quidam antiquus Regie Cancellarie Codex sive registrum, quod ab illa furtim abstractum fuerat, meas pervenit ad manus, in quo innumere Serenissimi Regis Federici provisiones et privilegia notata sunt; quem cum perlegissem, in cartis 446 quoddam repperi antiquum privilegium super concessione dicte terre Cerami emanatum, in quo exponitur, quod terra ipsa per quondam Franciscum de Palicio, de quo non reperitur titulus, olim possidebatur. Qui cum exinde rebellionem patrasset, et ipsam ob rebellionem terra predicta Regie Curie devoluta extitisset, Serenissimus Rex Petrus secundus illam quondam Infanti Ioanni de Aragonia duci etc., ipsius Regis Federici patruo, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, tanquam de bonis prefati Francisci de Palicio rebellis, concessit; sicuti in ipsius Regis Petri privilegio contineri asseritur. Qui infans Ioannes, dum vixit, terram ipsam tenuit et possedit; sed cum exinde decessisset, sibi successit Infans Fede-



ricus de Aragonia, eius filius, dux dictorum ducatum eiusdem Regis Federici consobrinus. Qui Infans Federicus de terra ipsa Cerami ac alijs rebus per prelibatum Infantem Ioannem, eius patrem possessis, a Serenissimo Rege Lodovico, dicti Regis Federici fratre, suo cum regio asserto privilegio confirmationem reportavit.

Sed quia, orto exinde in regno bellorum discrimine, quod ob transitum dicti quondam Infantis Ioannis, qui regnum ipsum in statu pacifico sub libra iusticie gubernabat; ac ob minorem etatem fratris et consobrini ipsius Regis Federici successerat; ac postergato iusticie rigore, ob quod regnum ipsum civilibus et intestinis pugnis, ac pestiferis sedicionibus maculatum extiterat, prelibatus Franciscus de Palicio rebellis, quem ob eius demerita prefatus dux Ioannes, de mandato et voluntate dicti Regis Petri secundi, extra predicti Regni confinia exterminaverat, ad regnum ipsum reversus fuisset, dictamque Cerami terram et quamplurima alia loca vi occupasset, et de restitutione eiusdem terre Cerami cum ceteris bonis, que sua fuerant ante eius rebellionem, ab ipso Rege Lodovico privilegium sive licteras impetrasset. Et tam, ob prodicionem dicti Francisci de Palicio, qui ad antiquos regios hostes se contulerat, et cum illis, quorum dominio regnum predictum submictere conabatur, moram traebat; et sic lese Regie Maiestatis reus effectus fuerat, quam ob transitum dicti ducis Federici in minori etate decedentis, terra ipsa Cerami cum castro ad dominium et potestatem ipsius Regis Federici devoluta fuisset, et ad opus et pro parte Regie Curie procuraretur; Serenissimus Rex Federicus antedictus terram ipsam Cerami cum castro, iuribus et pertinencijs suis quondam Berardo Spatafora militi messanensi, suisque imperpetuum heredibus iure Francorum, in feudum perpetuum sub consueto militari servicio, regijs antiquis regalijs, Regni Constitutionibus Regieque Curie iuribus semper salvis, eius cum regio privilegio dato Cathanie XII Octobris X Inditionis 1356 concessit.

Preterea cum dictus Rex Federicus ad etatem pervenisset perfectam, terram eandem prefato Berardo Spatafora dictisque suis heredibus modo predicto iterum confirmavit, pro ut in eius regio privilegio, in dicto libro annorum 1360, 1366 in cartis 446 notato, continetur.

Mortuo exinde dicto Berardo Spatafora, sibi in eadem Cerami terra successit Thomas Spatafora eius filius.

Decedente postmodum prefato Thoma Spatafora, sibi in dicta terra successit Thomas Spatafora eius filius; qui Thomas Spatafora iunior, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus,

sub dicto militari servicio, iuxta formam dictorum privilegiorum, de terra ipsa Cerami a Serenissimo Rege Martino cum inserto tenore privilegiorum ipsorum, XVI Novembris II Inditionis 1393 confirmationem, in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 147 notatam, obtinuit.

Unde actencta couessione in personam prefati Berardi Spatafora facta, nec non et confirmatione a dicto Rege Martino Thome Spatafora iuniori, filio Thome Spatafora, filij prelibati Berardi, concessa; est inquirendum quomodo terra ipsa ab illis de Spatafora deficit, et ad dictum Gulielmum Rubeum devenit. Et ideo possidens compelli deberet ad edendum verum et legitimum titulum dicti quondam Guilelmi Rubei, a quo, ut asseritur, possidens ipse originem trahit, pro Regie Curie indemnitatem.

---

#### Castellar Feudum.

---

Feudum Castellar appellatum, in Valle Demine positum, de membris et pertinencijs terre Petralie Inferioris, domina Maria et don Petrus de Cardona mater et filius, comitissa et comes Comitatus Golisani et predictae terre Petralie domini, Nicholao de Barresio de terra Policij pro certo precio, carta gratie reddimendi mediante, iuxta formam privilegiorum Comitatus eiusdem, puplico mediante contractu manu notarij Ioannis de Perdicario terre eiusdem, XXI Aprilis XIII Inditionis 1496 celebrato, vendiderunt.

Qui quidem Nicolaus de Barresio de feudo ipso a quondam Ioanne la Nuça, tunc Rgni Prorege, VII Augusti XV Inditionis 1497, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1496 in cartis 614 notatam, obtinuit.

Nihilominus est attendendum, quod cum feudum ipsum de membris et pertinencijs dicte terre Petralie existat, eius vendicio, iuxta privilegia terre eiusdem, et non comitatus comprehendere debet.

Mortuo demum dicto Nicholao de Barresio, sibi in ipso Castellar feudo successit Ioannes Aloysius de Barresio, eius filius primogenitus legitimus et naturalis, qui de feudo ipso Castellar

a dicto Ioanne la Nuça Prorege ob dicti eius patris mortem, XXII Marcij prime Inditionis 1498, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1497 in cartis 340 notatam, reportavit.

Defuncto exinde dicto Ioanne Aloysio de Barresio, sibi in dicto Castellar feudo successerunt Anthonellus et Nicholecta de Barresio eius filius et filia, qui de feudo eodem a tunc Regni Prorege, VIII Maij VII Inditionis 1504, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 420 registratam, habuit.

Et in presentiarum anno, 1513 decurrente, ipsum Castellar feudum per predictos Anthonellum et Nicholectam de Barresio, fratrem et sororem, possidetur; quod anno quolibet reddit 07 . . .

---

**Oglastro. Modalectu. Margi. Mannarini Subtani,  
Colla. Feuda.**

---

Feuda Oglastro et Modalecto de membris et pertinencijs terre Golisani, li Margi, li Mannarini Subtani, et la Colla nuncupata, de membris et pertinencijs terrarum Petraliarum, per don Petrum de Cardona comitatus Golisani Comitem quondam Nicholao Barresio, que feuda antea a posse Ioannis Canjalosi redempta fuerant, pro certo precio, carta gracie reddimendi precunte, vendita fuere; et nihilominus Regia in Cancellaria nulla reperitur investitura per dictum quondam Nicholaum de Barresio capta.

Mortuo exinde dicto Nicholao de Barresio, sibi in dictis feudis successit Ioannes Aloysius de Barresio eius filius. Qui de illis a quondam Ioanne la Nuça, tunc Regni Prorege, XXI marcij prime Inditionis 1498 investituram, in Regie Cancellarie anni 1497 in cartis 340 notatam, reportavit.

Defuncto demum prefato Ioanne Aloysio de Barresio, sibi in dictis feudis successerunt Anthonellus et Nicholecta de Barresio, eiusdem Ioannis Aloysij filij legitimi et natureles. Qui de dictis feudis Oglastro, Modalectu, Margi, Mannarini Subtani, et Colla ab ipso tunc Regni Prorege, VIII Maij VII Inditionis 1504, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 420 registratam, obtinuerunt.

Hodie autem, anno 1513 decurrente, feuda ipsa lu Oglastru, lu Modalecto, li Margi, li Mannarini Subtani et la Colla, per prefatos Anthonellum et Nicholectam de Barresio, fratrem et sororem, possidentur; que feuda annis singulis reddunt ultra . 07 . . .

---

**Malia Feudum.**

---

Feudum Malia appellatum, in valle Demine et territorio terre Sancti Mauri positum, et olim certis ex causis quondam Henrico de Vigintimilijs Geracij Comiti quesitum, per Comitem eundem quondam notario Nicolao de Baudo, eius intuitu servitorum, suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio eius cum asserto comitali privilegio, dato in Castrobono X Februarij, III Inditionis 1394, concessum extitit.

Quam quidem donacionem, Serenissimus Rex Martinus, ad quondam don Iaymi de Prades supplicationem, eidem notario Nicolao de Baudo suisque imperpetuum heredibus sub dicto consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, eius cum regio privilegio dato Cathanie, XXVII Februarij VIII Inditionis 1399 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 66 notato, acceptavit et confirmavit.

A quidem anno 1399 usque ad annum 1498, per quod tempus anni fere centum connumerantur, Regia in Cancellaria de feudo ipso nullum aliud reperitur privilegium sive investitura. Verum in dicto anno 1498 feudum ipsum Malia in posse Artalis Sillito et de Baudo repertum fuit, quo tamen iure ad eum pervenerit aliqua dari non potest ratio. Tamen, quomodocumque sit, Artalis ipse de Sillito et de Baudo, pro se et suis heredibus, in forma de feudo eodem a Ioanne la Nuça, tunc Regni Prorege, VIII Iunij III Inditionis 1499 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1498 in cartis 476 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum dicto Arthali Sillito et de Baudo absque filijs, sibi in ipso feudo Malia successit Ioannes Anthonius Sillitus et de Baudo, qui, pro se suisque heredibus, de feudo eodem Malia a

tunc Regni Prorege, X Februarij VIII Inditionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 260 registratam, reportavit.

Et in presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Malia per prefatum Ioannem Anthonium Sallito et de Baudo possidetur; quod feudum anno quolibet reddit . . 07 . . .

Nihilominus quia per annorum LXXXVIII et ultra, puta, ab anno 1399 usque ad annum 1498, nullus ex dicti feudi Malie possessoribus de ipso feudo a tunc Regni proregibus investituras capere curarunt, et feudum ipsum semper penes illos de Baudo permansit, oportet quod illius modernus possessor rationem assignet, si recte a primo acquiretore feudi eiusdem descendit, ac quare illius progenitores dictas investituras capere neglexerunt.

---

**Nezima Locus Curie.**

---

Quidam Regie Curie locus Nezima nuncupatus, in valle Demine et territorio civitatis Cathanie positus, cum suis aquis, aeductibus, edificijs, iuribus, vineis, campis, viridarijs, olivetis et alijs quibuscumque, per Serenissimum Regem Martinum quondam Sanctio Royz de Liori suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sine alicuius prestacione servicij, eius cum regio privilegio dato Cathanie XVI Augusti VIII Inditionis 1401, et in Regie Cancellarie libro anni 1403 in cartis 95 notato, concessus extitit.

Cumque locus ipse Nezime Regie Curie fuerit, attendendum est, quod Regni, statutis obstantibus, nullo pacto a sacro regio Demanio sive patrimonio segregari poterat.

**Feuda lu Purachi. et lu Piratu cum lo Plano et Cabella di la Cannata. et Camparia di li Pecuri et Vachi. de membris terre Gracteri.**

---

Feuda vocata lu Purachi et lu Piratu cum lu planu et cabella di la Cannata et Camparia di li Pecuri et Vachi, de membris terre Gracteri, possidebantur ultimo loco per Anthonium de Caro, veluti fratrem et heredem quondam Ioannis de Caro, de quibus nullus apparet titulus nec investitura. Tandem dictus Antonius de Caro dicta feuda vendidit domino Andriocete Alliata legum doctore pro certo precio virtute contractus acti manu notarij Petri Russo de Panhormo die XIII Aprilis prime Inditionis 1513; de quo contractu fuerunt emanate licentie et confirmaciones die XX Novembris V Inditionis 1516 instantis; et ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna, Preside, de eisdem feudis cepit investituram die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 455; et iuravit reddere . . . . . 07 XX.

---

**Castellucij Terra et Castrum.**

---

Terra et Castrum Castellucij, in valle Demine posita, cum feudis suis per quondam Henricum de Vigintimilijs, tunc Geracij Comitem, antiquitus possidebatur, et postmodum ad Chiccum de Vigintimilijs eius fratrem pervenit. Quibus, quo iure cesserit, cum in Cancellaria titulus non reperiatur, ratio assignari non potest.

Tandem ipsis comite Henrico et Chicco de Vigintimilijs ac Anthonio de Vingintimilijs, Golisani comite, fratribus, contra Serenissimum Regem Martinum rebellatis, omnia eorum bona feudalia,

et alia, regia mediante sententia, lata in Castro Cathanie XVI Novembris VI Inditionis 1397, sacro Regio demanio confiscata, aperta, et devoluta fuere.

Quo tempore, cum per precalendatam regiam sententiam quondam Gulielmus Raimundus de Montecatheno Meliveti Marchio, et Anthonius Petrus Ioannes et Matheus de Montheatheno fratres, eius filij, rebelles etiam dicti fuissent, et quondam Simon de Montecatheno prelibati Gulielmi Raymundi de Montecatheno filius naturalis, tanquam eiusdem Guilelmi Raymundi filius, terram Mocte Sancte Anastasie a regia fidelitate etiam semotam tenuisset et possedisset; ipseque Rex Martinus ad terram eandem Mocte se personaliter contulisset, Simon de Montecatheno prelibatus nolens infidelitatis nota et contagio maculari, nec patris et fratrum suorum prodicionem prosequi, coram Rege ipso ad terram prostratus illius regijs deosculatis pedibus, clemencie Regis ipsius veniam propulsavit, eidemque castrum predictum absque pactione aliqua, cum omnibus et singulis armis et furnimentis suis liberaliter subito consignavit, gratiam tantum regiam sibi humiliter reservando; et abinde in antea regia fidelia servicia non deseruit.

Quapropter, illius fidelitate amore et servicijs actentis, Rex ipse Martinus eidem Simoni de Montecatheno, dicto lu bastardo, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, predictam terram et castrum Castellucij, regijs antiquis regalijs, Regni Constitutionibus ac Regie Curie et alterius iuribus semper salvis; renunciatis prius per eum Regie Curie cunctis concessionibus sibi suisque progenitoribus per Sicilie Reges et per ipsum Regem Martinum super iuribus cuiusvis Secrecie vel super tractis forte factis, eius cum regio privilegio dato Cathanie primo Februarij VI Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 45 notato, concessit.

Perquisitis nihilominus per me Regie Cancellarie Codicibus, per totum tempus quo Serenissimi Reges uterque Martinus et Regina Maria regnarunt, tamen de rebellione per prefatum Chiccum de Vigintimilijs, olim assertum detemptorem dicte terre et castri Castellucij patrata, nullam remissionem, et in integrum restitutionem inveni. Verum quedam apparet remissio cum restitutione status in personam prefati quondam Henrici de Vigintimilijs Geracij Comitis, cum inserto tenore quorundam capitulorum facta, in quibus capitulis de ipso castro Castellucij nulla facta est mentio, pro ut de alijs terris et baronijs facta extitit; nihilominus de dicto don Chicco de Vigintimilijs nulla remissio apparet, sicuti in libro Cancellarie anni 1397 in cartis 63 late patet.

Tandem, quomodocumque sit, Serenissimo Rege Alfonso regnante, ipsa Castellucij terra et castrum in posse quondam Ioannis de Vigintimillio Geracij Marchionis reperta fuit; cui quo iure cesserit nulla apparet scriptura, minusque ratio assignari potest quomodo a posse dicti quondam Simonis de Montecatheno revocata fuerit, stante premaxime Regia Pragmatica dicti regis Martini, nuncupata **Satis constat esse notorium**. Nihilominus, quomodocumque sit, dictus Marchio Ioannes de Vigintimillio de proprietate prefate terre et castri Castellucij, nec non et terre Sancti Mauri, quondam Anthonio de Vigintimillijs, tunc Regni Admirato, eius filio, tanquam extranee persone, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, pronuncijs quadringentis annui redditus donacionem fecit, cum non sufficeret alia via illi supplere, ut de huiusmodi donacione, vigore contractus manu notarij Adam de Argenterijs in anno 1443 celebrati, constat. Quem donacionis contractum dictus Rex Alfonsus prefato Anthonio de Vigintimillijs Admirato suisque imperpetuum heredibus et successoribus, eius cum Regio privilegio dato Neapoli XX Maij VI Inditionis 1443; quod privilegium cum inserto tenore contractus eiusdem per notarium Ioannem de Calatanixecta in anno 1448 transumptatum extitit, acceptavit et confirmavit; ob quod dictus Anthonius de Vigintimillijs de ipsis terris Castellucij et Sancti Mauri cum inserto tenore dicti privilegij et contractus, a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, primo Septembris II Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni prime inditionis in cartis 591 notatam, obtinuit.

Deinde vero ipsa Castellucij terra penes don Anthoninum de Vigintimillijs, fratrem secundogenitum don Pauli de Vigintimillijs baronis terre Chimine, pervenit, cui quo iure cesserit Regia in Cancellaria non apparet scriptura. Verum, prout ex eiusdem don Anthonini relatione percepi, cum hoc ab illo ad mei informationem poposcerim, existente ipsa Castellucij terra penes predictum Marchionem Anthonium de Vigintimillio, ut prefertur, cum don . . . de Vigintimillio, pater ipsius don Anthonini, pretendisset ab ipso Marchione Anthonio quandam ingentem pecuniarum quantitatem, post multa, partes ipse causam petitionis huiusmodi in nonnullos arbitros compromiserunt. Qua causa nondum finita, cum prefatus Marchio Anthonius de Vigintimillio decessisset, et ipse Marchio Henricus de Vigintimillio, eius filius, in dicto marchionatu Geracij et alijs bonis suis successisset, et prelibatam arbitriam causam exinde confirmasset; demum ipsa causa nondum etiam decisa, idem Marchio Henricus de Vigintimillijs et prefatus don . . .



de Vigintimillijs ad quendam devenerunt concordiam et transactionem, videlicet: quod predictus marchio Henricus eidem don . . . de Vigintimillijs dare et solvere promisit florenos vigintimille, scilicet, quod pro decem mille florenis idem marchio Henricus prefato don . . . de Vigintimillio prelibatam terram Castellucij dedit, et cum carta gracie reddimendi concessit; reliquos vero decem mille florenos dictus marchio Henricus prefato don . . . de Vigintimillio, sub certa forma persolvere promisit. Et sic ipsa Castellucij terra penes dictum don . . . de Vigintimillijs, predicti don Anthonini de Vigintimillijs, patrem, remansit; a quo ipse don Anthoninus, ut prefertur, descendit.

Postmodum autem prelibatus don Anthoninus de Vigintimillijs dictam terram et castrum Castellucij Scipioni de Ansalono pro certo precio, puplico mediante contractu manu notarij Mathei Fallera panhormitani, XI Octobris VIII Inditionis 1505 celebrato, vendidit. Qui Scipio de Ansalono, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iuxta formam sui privilegij, de ipsa castro et terra Castellucij a quondam Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XIII Aprilis VIII Inditionis predictae investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1504 in cartis 403 notatam, reportavit.

Et in presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsa castrum et terra Castellucij per prefatum Scipionem de Ansalono possidentur; que anno quolibet reddit . . . . . 07 CXX.

Nihilominus pro Regie Curie cautela, tituli terre et castri Castellucij predictae essent omnino edendi, tam, videlicet, titulus per quem ad dictum quondam comitem Henricum de Vigintimillio seniore, et postmodum ad prefatum don Chiccum de Vigintimillio eius fratrem, prima facie pervenit; quam titulus per quem terra ipsa a prefato quondam Simone de Montecatheno defecit, et penes prenommatum marchionem Ioannem de Vigintimillijs donatorem cessit.

Dictus vero Scipio de Ansalono de dicta terra cepit investituram a don Ioanne de Luna Presidente, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, die XVII Ianuarij V Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 fol. 375; et iuravit, tactis scripturis, reddere tantumdem, scilicet . . . . . 07 CXX.

**Rocella Terra.**

---

De terra Rocelle in valle Demine posita, tam per magnum Capibrevium in cartis 1065, quam per Capibrevium Regni secretiarum in capitulo Secrecie civitatis Pactarum in cartis . . . satis diffuse dictum est, quo iure per quondam Federicum de Spatafora, de quo in Cancellaria titulus non apparet, possidebatur; nec non quomodo ob eius rebellionem contra serenissimum Regem Martinum patratam, Regie Curie devoluta fuit, et per ipsum Regem quondam Bonamico Manjanti, pro uncijs ducentis, in capitaniam et castellaniam ad eius tamen regium beneplacitum exinde concessa; cum clausula, donec et quousque fuerit sibi per Regiam Curiam solutum de dictis pecunijs etc.; sicuti in eius Regio privilegio dato Cathanie in anno 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 98 notato, continetur. Preterea et quo pacto terra ipsa in posse prefati Federici Spatafora, nulla apparente eius remissione et in integrum restitutione, postmodum reperta extitit.

Nihilominus quia noviter quoddam inventum est registrum anni 1392, quod a Cancellaria occupatum fuerat, in quo quedam reperitur regia provisio in cartis III notata, a dicto Serenissimo Rege Martino emanata, et herario cathaniensi directa, mihi apparuit de illa hoc in loco aliquid exponere; apparet namque per eam ipsum Regem Martinum quondam Corrado de Castellis, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub consueto militari servicio, dictam Rocelle terram, ob rebellionem dicti quondam Federici Spatafora, eius cum dicto Regio privilegio concessisse.

Sed quia ipsa in Cancellaria nulla reperitur scriptura, per quam appareat, quo iure terra ipsa a posse prenominati Bonamici Manjanti, ac deinde a posse predicti Federici Spatafora revocata fuerit, et ad istos de Castellis pervenerit; dico, quod ipsius terre possessor modernus ad predicta edendum compelli deberet.

---

**Russumano Caphechi Marcata Cundroni.**

---

Duo marcata Russumano et Caphechi appellata, in valle Demine et tenimento terre Castri Ioannis posita, tanquam de membris feudi Cundroni per Universitatem dicte terre Castri Ioannis quondam Ioanni Gardo pro certo precio, cum carta gracie reddimendi, publice mediante contractu manu notarij Ioannis de Collitortis VIII Idus Ianuarij VI Inditionis 1472 celebrato, venditum fuit. Qui Ioannes de illis postmodum a quondam Lupo Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, primo Februarij VI Inditionis 1472 investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1472, 1473 in cartis 485 notatam, reportavit.

Sed quia a dicto tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipsis marcatis nulla alia investitura sive scriptura reperitur, et accidere potuisset quod Universitas predicta illa recuperasset; est propterea de hoc veritas inquirenda, ut in Rollo noviter conficiendo describi possint.

---

**Geracij Marchionatus.**

---

Quoddam a Vestra Catholica Maiestate emanavit privilegium, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 455 notatum, et don Ioanni de Vigintimillijs panhormitano provisorio Regni Castrorum concessum, per quod declaratur ipsum don Ioannem de Vigintimillijs in Geracij Marchionatu in valle Demine posito, deficientibus filijs masculis, quondam don Henrici de Vigintimillijs olim marchionis Marchionatus ipsius succedere posse et debere, prout in ipso Regio privilegio continetur.

**Asari Terra. Linguagrossa Terra. Paternionis Terra, Castellionis Terra. Pantellaria Insula. Sancti Stefani de Brica Casale.**

---

Licet per hoc Capibrevium superius in cartis . . . de terra Castellionis et de Insula Pantellaria, nec non de eisdem una cum terra Asari, Linguagrosse et Paternionis ac Casali Sancti Stefani de Brica, per magnum Capibrevium satis aperte expositum sit qualiter de antiquo Regio demanio fuerant; et Regni huius Statutis obstantibus, ab illo nullatenus segregari poterant. Nihilominus quia noviter quoddam Regie Cancellarie registrum annorum 1360, 1366, quod ab illa occupatum extiterat, inventum est, in quo quoddam privilegium a Serenissimo Rege Federico emanatum descriptum apparet, mihi visum est de illo hoc in loco non nihil dicere. Constat namque per illud dictum Regem Federicum Serenissime quondam Regine Constancie, eius consorti, propter nuptias eorum matrimonij iuxta formam contractuum et instrumentorum matrimonij ipsius, uncias septem mille annuales dare debuisse, pro quibus Siracusanam civitatem et terras Leontini, Vizini, Minei, Paternionis, Castellionis, Franceville, Linguagrosse, et Sancti Stephani de Brica, nec non et insulam Pantallarie, cum omnibus bonis feudalibus et burgensaticis, mobilibus et immobilibus, et illis signanter que forte per accidenciam seu rebellionem eorum possessorum Regie Curie devolverentur, cum tota iurisdictione, salva tamen appellacione, concessit. Preterea Rex idem Federicus eidem Regine Constancie eius uxori provisionem annuam unciarum duarum millium ducentarum quadraginta duarum, pro eius sueque familie expensis cotidianis, constituit, minuendarum tamen successive, pro ut invenirentur excedere summam dictarum septem milium annualium percipiendarum super terris et locis predictis ipsi Regine assignatis et assignandis, iuxta formam et pacta in dictis instrumentis apposita; reservato tamen quod Regina ipsa proprietatem terrarum predictarum vel ipsarum alicuius ac proventuum earumdem alienacione perpetua, sive temporali transcendente tempus vite sue in aliquas personas, preterquam in proprios liberos ex dicto matrimonio procreandos, quovis modo, ratione vel causa transferre

non posset , nisi prout alie Regine Sicilie , et signanter Serenissima Regina Leonora , ipsius Regis avia, transferre potuerunt et solite erant; pro ut in dicto regio privilegio, dato Cathanie XXVIII Aprilis XIII Inditionis, et in Regie Cancellarie libro dictorum annorum 1360, 1366 in cartis 177, 178 notato, continetur.

Nihilominus de hoc privilegio hoc in loco mencionem facere curavi ad maiorem confirmacionem eorum , que in dicto magno Capibrevio pertractantur, ne Vestra Catholica Maiestas ignoret dictas terras Asari, Lingue grosse, Paternionis et Castellionis, ac Casalia Sancti Stephani de Brica, nec non insulam Pantellaria que hodie in baroniam possidentur, fuisse vere demaniales, habentes amplissima privilegia et capitula; ne unquam alienarentur et in baroniam concederentur, ultra quod huiusmodi alienaciones in generalium Regni Constitutionum et Capitulorum super bonis demanialibus non alienandis edictorum prejudicium nimis tendunt.

---

**Feuda vocata Migaydo. Chauyemi eius Marcatum  
et li Russi.**

---

Feuda vocata Migaydo cum eius marcato sive feudo nominato Chauyemi de membris terre Sancti Mauri, marchionatus Giracij, in valle Demine; nec non et feudum di li Russi de membris castri et Feudi Tavi in valle Nothi, possidentur per Franciscum de Ansalone baronem Pictinei, ut filium et successorem quondam Ioannis de Ansalone legum doctoris, cui fuerunt dicta feuda vendita. Post cuius Ioannis mortem, dictus Franciscus, eius filius, de dictis feudis obtinuit a Vicerege, qui tunc erat, investituram die XXV Maij VII Inditionis 1504, simul et coniunctim cum dicta terra Pictinei, notatam in libro anni 1503, fol. 457. Et ultra dictus franciscus de eisdem terra et feudis habuit investituram, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, die XVIII Ianuarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 579; et reddunt anno quolibet videlicet, Magaydu cum Chauyemi . . . . . 07 LXXXV.

Et lu fegu di li Russi. . . . . 07 XXXXII.

**Saline Nicoxie.**

---

De Salinis in territorio terre Nicoxie vallis Demine positis, de iuribus et membris Regie Secrecie terre eiusdem, regiarum Secreciarum Regni Capibrevio in capitulo Secrecie terre ipsius Nicoxie in cartis 240, ac in presenti Regni feudorum alio Capibrevio, superius in cartis . . . et inferius in cartis . . . satis diffuse dictum est; in quibus veridice demonstratur summum ius quod Vestra Catholica Maiestas in restituendo illas eidem Regie Secrecie, tanquam illius membrum, retinet. Nihilominus hoc in loco tantummodo dicam, quod Saline ipse in vim Regni Capitulum ac Sirracusani Colloquij, ab ipsa Secrecia alienari non poterant; et tamen de ipsa segregatione nullus apparet in Cancellaria actus sive scriptura. Preterea dico, quod confirmacio et investitura de Salinis ipsis, per tunc Regni proregem in anno 1453 concessa, surrepticia et tacita veritate impetrata extitit; sicuti per ea que in dictis Capibrevio Regni Secreciarum et presenti opere, ut predictur, allegantur et discernuntur, ad que me omnino refero, Vestra Catholica Maiestas cuncta percipere poterit. Preterea cum in investituris per progenitores moderni possessoris, de predictis Salinis captis, surreptio non modica reperiatur, merito Saline ipse revocari possunt. Dicit Saline Nichoxie possidentur, nunc in anno 1516, per Nicolaum Tornainbeni baronem Castanie; et reddunt quolibet anno . . . . . 07 C.

**Planca una in Messana.**

---

Quandam macellandi plancam, in platea publica civitatis Messane in frontispicio macelli Sancti Ioannis constructam, quondam notario Petro de Armato seniori suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub prestacione sepi, quod pro civitatis eiusdem predijs solvi consuevit, Serenissimi Reges uterque

Martinus eorum cum Regio privilegio, dato Cathanie XVIII Februarij prime Inditionis in quo dominici anni denotati non sunt, concesserunt. Qui notarius Petrus dum vixit plancam ipsam tenuit et possedit.

Mortuo demum dicto notario Petro de Armato seniore, sibi in una plance ipsius medietate notarius Petrus de Armato iunior et Paulus de Armato, fratres, filij dicti notarij Petri de Armato senioris; in alia vero plance eiusdem medietate Beatrix prefati notarij Petri de Armato iunioris uxor, post dicti tamen viri sui mortem, tam pro se nomine proprio, quam materno nomine et pro parte Rayneri de Armato et Ioannis de Armato minorum, eius filiorum et dicti quondam notarij Petri iunioris iugalium, successerunt. Qui omnes plancam ipsam comuniter pro indiviso modo predicto plancam predictam tenuerunt et possiderunt; qui simul de planca prefata, scilicet quolibet pro parte sua, ut supra, pro se et eorum heredibus, ipsorum de corpore legitime descendentibus, sub dicta prestacione sepi Regie Curie imperpetuum solvendi, a tunc Regni Proregibus, sepi prestacione Regie Curie iuribus et alterius semper salvis, II Octobris XV Inditionis 1421 investituram et confirmacionem, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 23 notatam, obtinuerunt.

Defuncto deinde prefato Paulo de Armato, uno ex dictis possidentibus, sibi in sua dicte plance porcione successit Paula eius filia legitima et naturalis, tunc uxor quondam Ioannis de Turtureto. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub dicta sepi prestacione Regie Curie solvi assueta, pro dicta sua porcione a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, ita quod dictam medietatem ipsius plance a Regia Curia in capite tenerent et cognoscerent, XX Octobris II Inditionis 1433 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 300 registratam, reportavit.

Viso nihilominus Regni Secreiarum Capibrevio, in cartis . . . ubi de compotis messanensis Regie Secrecie pertractatur, Secretus civitatis eiusdem in illis pro Regia Curia sibi facit introytum de uncijs sex vel circa pro uno anno, in quo omnes Messane plance pro regia Curia dictas uncias sex reddiderunt. Et tamen antiquitus certa cantaria sepi anno quolibet Regie Curie pro qualibet planca persolvebantur, nec non et alia iura in privilegijs concessionum ipsarum plancarum expressa, de quibus in dictis compotis nullus fit introytus. Et ideo pro Regie Curie indemnitatem bonum esset, ut omnium ipsarum plancarum Messane eiusque districtus

cuncta privilegia et tituli viderentur; ut videatur ad quantam quantitatem place ipse tenentur, et quomodo ad dictam prestationem obligate sunt, ac etiam ut cognosci possit qui sunt hij qui de preterito dictum ius non exsolverunt, pro Regij patrimonij indemnitatem.

---

**Plance aliquæ in Iudayca Messane.**

---

Nonnullæ place carniarum in macello Iudayce Messane posite, ac certe aliæ place Regie Curie ibidem existentes, antiquitus possidebantur in feudum per quondam Nicolaum de Bivacqua, tanquam in illis succedentem ut filium legitimum et naturalem quondam Petri de Bivacqua et Angele ingalium; que Angela fuit filia quondam Ginebre de Pactis filie quondam Ansaldi de Gregorio, qui virtute privilegij Regis Federici tenebat et possidebat duas planças carniarum in Iudayca Messane, notati in libro anni 1374 folio 210. Que Ginebra ob mortem dicti quondam Ansaldi, eius patris, in dictis plançis successit, et de ipsis plançis pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendenti bus, sub debita sepi Regie Curie prestacione, in anno 1410 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 96 notatam, reportavit.

Qua Ginebra defuncta, sibi in eisdem plançis successit dicta Angela eius filia, et ultimo loco eidem Angele successit dictus Nicholaus de Bivacqua, de quibus Regia in Cancellaria non reperitur investitura. Tandem dictus Nicholaus de Bivacqua de ipsis carniarum plançis a tunc Regni Prorege, sub onere solucionis iuris cantariorum trium sepi et aliorum iurium Regie Curie, ex ipsis plançis, sicut ex ceteris plançis macellorum Regie Curie cristianorum civitatis eiusdem anno quolibet percipiendorum; XXI Aprilis prime Inditionis 1468 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 260 notatam, obtinuit.

A quo quidem anno 1468 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, Regia in Cancellaria de plançis ipsis nulla alia reperitur investitura. Et ideo ab illarum possessoribus esset omnino habendi ratio, si dicta iura persolverunt pro Regie Curie indemnitatem.



**Plance due in Porta Iudayce Messane.**

---

Concessit Serenissimus Rex Federicus quondam Thomasio Romano messanensi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, licentiam construendi in Iudayca Messane civitatis duas macellandi plancas extra menia civitatis eiusdem, prope portam vulgo dictam de la Iudecca, tamv idelicet ad opus ckristianorum, quam iudeorum, sub onere tamen solucionis rotulorum quinquaginta sepi Regie Curie prestando, ac aliorum iurium Regie Curie ex dictis plancis, sicut ex ceteris macellandi plancis cristianorum civitatis eiusdem, anno quolibet percipiendorum; sicuti in ipsius Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 88 notato, continetur.

Nihilominus, ut Vestra Catholica Maiestas melius percipiat quomodo plance macellorum regionum concedebantur, ac ut onus census illarum dilucidius intelligat, de quo onere census apparet dicte civitatis Secretos nullum fecisse introytum, tam scilicet pro iure sepi pretaxato, quam pro alijs iuribus Regie Curie contingentibus iuxta formam privilegiorum eorum, hoc in loco privilegium regium predictum inserendum esse duxi. Ex quo verus census omnium plancarum macellorum dicte civitatis facillime colligitur, licet per reliquas subsequentes concessionones, ac alias que in Cancellaria non reperiuntur, maiorem sepi quantitatem maioraque iura concessa et data fuisse invenietur. Cuius quidem Regij privilegij tenor talis est, videlicet:

Cum ad supplicacionem nuperius culmini nostro factam per Tomasium de Romano de Messana, familiarem et fidelem nostrum, proponentem se velle in Iudayca dicte civitatis Messane de novo construere et construi facere bancos seu chancas duas, pro macellando seu macellari faciendo ibidem animalia ad opus Iudeorum dicte civitatis Messane, camere nostre servatorum et etiam nostrorum fidelium Christianorum dicte civitatis Messane. Et propterea a nostra excellencia postulanti sibi construendi bancos seu chancas duas predictas licentiam per Maiestatem nostram concedi; considerantes satis grata et accepta servicia per eundem Thomasium

ab olim Maiestati nostre collata, que prestat ad presens et in antea conferre poterit, annuente Domino, graciora eidem Thomasio tanquam benemerito, et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, imperpetuum construendi et edificandi bancos seu chancas duas antedictas in dicta Iudayca prope portam dicte civitatis Messane vocatam de Iudayca extra scilicet menia dicte civitatis Messane, sub solucione iuris sepi rotulorum quinquaginta et aliorum iurium nostre Curie ex dictis bancis seu chanchis, sicut ex ceteris bancis seu chanchis bucheriarum nostre Curie Christianorum dicte civitatis Messane anno quolibet persolvendi, licentiam liberaliter et gratiose duxerimus commictendam. Volentes propterea dictum Thomasium in corporalem possessionem loci bancorum seu chancarum duarum prefatarum per te presentem Secretum induci debere et omnino investiri, fidelitati vestre mandamus quatenus predictum Thomasium in possessionem dicti loci prefatorum bancorum seu chancarum duarum prefatarum, construendarum per eundem Thomasium in dicta porta extra menia ipsius civitatis Messane, ut superius dictum est, tu presens Secretus pro parte nostre Curie inducens prefatum Thomasium duos bancos seu chancas in eodem loco construere edificari facere; ita quod possit per se, seu alios loco sui, ac Iudeos dicte civitatis, nec non fideles nostros Christianos civitatis ipsius in eisdem [bancis animalia more solito macellari pro sue libito voluntatis sub solucione dicti sepi rotulorum quinquaginta et aliorum iurium predictorum per eum et heredes suos predictos nostre Curie, ut predicatur, tradendorum. Quodque nullus Iudeorum ipsorum cuiusvis gradus et condicionis existat, audeat seu presumat macellare seu macellari facere animalia pro usu Iudeorum ipsorum, alibi quam in bancis seu chanchis supradictis, sub pena uncie auri unius ab eo si secus abinde fecerit irremisibiliter extorquenda, et dicto Thomasio et dictis suis heredibus applicanda, sine molestia et contradictione qualibet permictatis facturus tu presens Secretus de inductione ipsius huiusmodi fines et limites prefati loci, quorum uno dicto Thomasio sub tuo sigillo dimisso, alio sub sigillo dicti Thomasij penes te retento, tertium nobili Regni Sicilie Cancellario, et quartum Magne Regie Curie magistris Rationalibus, Consiliarijs, familiaribus et fidelibus nostris sub suo et dicti Thomasij sigillis mictas et facias assignari, presentes autem licteras nostras post oportunam inspectionem ipsas etc. datas etc.

**Planca in Messana.**

---

Planecam unam macellandi animalia, in macello Sancti Ioannis civitatis Messane constructam, quondam Ioanni de Calvellis suisque imperpetuum heredibus et successoribus sub solucione annua certi sepi, aliorumque iurium Regie Curie modo et forma, pro ut alie plance macellorum tenentur prestanda, Serenissimus Rex Federicus, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1375, 1343 in cartis 169 notato, concessit.

Nihilominus cum de planca predicta Regia in Cancellaria nulum aliud privilegium sive scriptura reperiatur, videndum est an planca predicta sit in esse, et si de illa iura debita et consueta iuxta formam dicti privilegij Regie Curie persolvuntur.

---

**Cabella Scannarie Messane.**

---

Cabella Scannarie macelli civitatis Messane, de iuribus et membris Regie Secrecie nobilis civitatis Messane, per quondam Serenissimum Regem Lodovicum quondam Petro de Mauro suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, in feudum sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1375, 1343 in cartis 170 registrato, concessa extitit.

Nihilominus esset videndum computum Secreti dicte civitatis, ut percipi possit, an huiusmodi cabella Regie Curie devoluta sit; quod si non fuerit, recuperari possit, nam alienari non poterat, alias de illa fiat in Rollo debitum notamentum.

---

**Planca in Macello Messane.**

---

Quandam macellandi animalia plancam, in macello Sancti Ioannis civitatis Messane existentem, quondam Petro de Mauro suisque imperpetuum heredibus, sub prestacione annuali cantarij unius et medij sepi, ac aliorum iurium Regie Curie per alias plancas prestari assuetorum, Serenissimus Rex Federicus, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1367, in cartis 115 notato, concessit.

Quod de planca in superiori capitulo in cartis . . . notata dictum est in Regie Curie favorem, hoc etiam de presenti planca dicendum est, videlicet si in esse reperitur, et si iura illius persolvuntur.

---

**Planca in Mazello Messane.**

---

Fuit per Serenissimum Regem Federicum quondam Ioanni Gavarrecta messanensi suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub solucione cantari unius et dimidij sepi, anno quolibet Regie Curie facienda, una cum alijs iuribus Regie Curie spectantibus, quedam planca macellandi carnes in macello Sancti Ioannis Messane posita, eius cum Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1340 in cartis 119 notato, concessa; sicut et quemadmodum cetera planca civitatis eiusdem ipsi Regie Curie tenentur.

Actendendum est si planca predicta est in esse, et si pro illa iura debita persolvuntur, prout de reliquis plancis dictum est.

---

**Planca in Messana.**

---

Quedam macellandi carnes planca per Iacobum Campulum, licentia Serenissimi Regis Martini preeunte, in quodam ipsius Iacobi solo sive possessione, iuxta macellum Sancti Ioannis Messane existenti, constructa fuit, cum hoc tamen quod Iacobus Campulus predictus pro dicta planca Regie Curie imperpetuum simile ius persolveret, ad quod quelibet ex plancis maioris macelli civitatis eiusdem anno quolibet ipsi Curie tenetur, in precium tamen, sicuti in ipsius Regis Martini privilegio dato Messane VIII Iulij VII Inditionis 1404, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 22 notato, continetur.

**Planca in Messana.**

---

Obtinuit a Serenissimo Rege Martino quondam Sallimbenius de Marchisio licentiam et facultatem in civitate Messane prope ianuam antiquitus posteritas vocitatum, nunc autem de Sancto Antonio nominatam, construendi plancam unam pro se suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub illa annua prestacione sepi et aliorum iurium, que Regie Curie pro ceteris plancis et iuxta ritum aliarum plancarum prestari consueverunt; sicuti in eius Regio privilegio, dato Cathanie XVI Februarij prime Inditionis 1407, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 124 notato, late patet.

---

**Plance due in Messana.**

Concesserunt Serenissimi Reges Martinus et Maria quondam Nicolao Castagna messanensi suisque imperpetuum heredibus et successoribus duas macellandi plancas ad opus macellorum extra menia civitatis Messane in contrada Sancti Philippi lu Pichulo prope plancas Christianorum positas, sub onere solucionis cantari unius sepi Regie Curie annualim per se dictosque suos heredes tempore debito et consueto solvendi sive prestandi pro qualibet ipsarum plancarum, quemadmodum in eorum Regio privilegio dato Cathanie XXVIII Aprilis III Inditionis 1395, et in Regie Cancellarie libro anni 1394 in cartis 135 notato, diffusius enarratur.

---

**Plance due in Messana.**

---

Plancas duas macellandi carnes in macello Sancti Ioannis civitatis Messane positas, Serenissimi Sicilie Reges, Vestre Catholice Maiestatis progenitores, antecessoribus quondam Ioanni de civitate predicta imperpetuum, de quibus non invenitur titulus, sub infrascripti census prestacione concessit (*sic*).

Mortuo deinde dicto Ioanni Stayti plancarum ipsarum detentore, sibi in eisdem plancis successit Nicolaus Stayti eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de ipsis duabus plancis a tunc Regni Proregibus, sub prestacione iuris sepi cantariorum trium anno quolibet per se dictosque suos heredes Regie Curie solvendi, cum requisiti fuerint; pro quibus tribus sepi cantarijs Curia predicta unciam unam et tarenos XXIII solvere teneretur, videlicet tarenos XVIII pro quolibet cantario, ac sub prestacione aliorum iurium Regie Curie prestari consuetorum; confirmacionem et investituram XII Martij 1417 reportavit.

Defuncto postmodum dicto Nicholao Stayti, sibi in eisdem duabus plancis successit Ioannes Stayti, eius filius tunc minor. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de ipsis plancis cum earum iuribus, sub onere dicti sepi et aliorum iurium in dicto privilegio contentorum, a tunc Regni proregibus XV Marcij XIII Inditionis 1419 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1418 in cartis 269 notatam, obtinuit.

Decedente preterea dicto Ioanne Stayti minori in etate, sibi in dictis duabus plancis successit Gilius Stayti, filius legitimus et naturalis prenominati Ioannis Stayti senioris, avunculus prefati Ioannis Stayti minoris. Qui Gilius Stayti pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub dicta prestacione dictorum trium cantareorum sepi et aliorum iurium iuxta formam prelibati privilegij, de ipsis duabus plancis a quondam Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, XXVIII Septembris II Inditionis 1453 investituram habuit.

Deficiente demum dicto Gilio Stayti, sibi in predictis duabus plancis successit Ioannes Stayti, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se et dictis suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub eadem cantareorum trium sepi prestacione et aliorum iurium, iuxta formam sui privilegij, de plancis eisdem a quondam don Lop Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, IIII Iulij VII Inditionis 1459 confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1458, 1459 in cartis 365 notatam, nactus fuit.

---

**Planca in Messana.**

---

Plance unius sive tabule macellandi carnes cum uno vel duobus pilonis pro illis scindendis in macello Sancti Ioannis messanensis civitatis, a Serenissimo Rege Alfonso, Vestre Catholice Maiestatis patruo, sub censu domi et alijs consuetis iuribus, Philippus de Campulo pro se suisque heredibus et successoribus, ac quibus voluerit, emphiteoticam concessionem, eius cum Regio privile-

#### PLANCA IN MESSANA

gio dato in obsidione Civitatis et Castri Cerrarum, IIII Decembris 1424, obtinuit. In quo inter cetera leguntur huiusmodi verba, scilicet: Volumus tamen et nobis retinemus expresse, quod preter dictorum stabilimenti gratie et concessionis nostrarum huiusmodi vos et vestri heredes et successores in his teneamini nobis et nostris successoribus dare perpetuo singulis annis illam pecunie quantitatem, que solita est nobis dari et elargiri pro simili carnisaria, et eiusdem terminis et dietis pro censu predictorum, que vobis concedimus et stabilimus in emphiteusim et sub censu predicto et ad laudimium et faticam et aliud plenum ius emphiteoticum et alia quaecumque iura secundum morem dicte civitatis Messane, pro huiusmodi autem stabilimento seu concessione et intrata eiusdem habuimus et recepimus a vobis decem solidos barchinonenses.

Deinde autem dictus Philippus Campulu de planca predicta quondam Pino Campulo, eius fratri, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem, publice mediante contractu manu notarij Thomei de Andriolo primo Octobris II Inditionis 1422 celebrato. Quam quidem donacionem quondam Nicholaus de Speciali, tunc in Regno Prorox, eidem Pino Campulo, cum illis oneribus et censu in predicto privilegio declaratis, sua cum viceregia provisione data Pannormi XXVIII Marcij III Inditionis 1425 et in Regie Cancellarie libro anni 1424 in cartis 236 registrata, acceptavit et confirmavit.

---

#### Plance tres intus mare Portus Messane.

---

Licentia construendi plancas tres macellandi animalia cuiuscumque generis intus mare portus civitatis Messane, sive in maritima maris eiusdem, nec non ibidem edificandi scaldariam, magasenum et alia necessaria pro usu plancarum ipsarum erigenda seu fabricanda per passus tricentos a quolibet latere, sub solucione tamen cabelle, cui debetur persolvende, ac sub recognitione solvendi anno quolibet Regie Curie par unum pavonum seu illorum precium, tam scilicet antedictam edificationem quam post; nec non et sub onere solucionis cabelle debite Universitati vel alteri; nec non et salarij credencerij cabelle eiusdem, quondam Anthonio de Urso



messanensi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, Serenissimus Rex Alfonsus, eius cum Regio privilegio dato Puteolis X Marcij V Inditionis 1452, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 142 notata, impartitus fuit.

Mortuo deinde dicto Rege Alfonso et in Regno Serenissimo Rege Ioanne, Vestre Catholice Maiestatis genitore, succedente, prelibatus Anthonius de Urso pro se et dictis suis imperpetuum heredibus et successoribus, de ipsis tribus plancis a quondam don Lop Ximenem Durrea, tunc Regni Prorege, XVIII Iulij VII Inditionis 1459 confirmacionem et investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1458, 1459 in cartis 397 registratam, consequutus extitit.

---

#### Castrum Capitis Orlandi.

---

Castrum Capitis Orlandi in valle Demine positum, cum iuribus et pertinencijs suis, a mundi primordio Regie Curie sive Regij demanij fuit, cuius Alcaydia sive Castellania per serenissimum Regem Alfonsum quondam don Petro de Cardona, Golisani comitatus Comiti, de quo titulus non apparet, ad eius tantum vitam cum salario et iuribus debitis et consuetis, concessa extitit.

Mortuo exinde dicto don Petro de Cardona, quondam don Artalis de Cardona, eius filius et dicti comitatus Comes, de ipsa Alcaydia, eius tantum vita durante, a Serenissimo Rege Ioanne, Vestre Catholice Maiestatis genitore, cum ordinario salario et iuribus consuetis, dicto Castro contingentibus, gratiam et concessionem eius cum Regio privilegio, dato Barchinone ultimo Ianuarij VIII Inditionis 1460, de quo viceregia emanavit executoria data Cathanie XV Novembris VIII Inditionis et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 110 notata, reportavit.

Defuncto demum prelibato don Artali de Cardona, ac in dicto Golisani comitatu sibi don Petro de Cardona, eius filio primogenito legitime et naturali succedente, tunc Regni Prorex, eidem

don Petro de Cardona dicti Golisani comitatus Comiti, de comitatu ipso ac de Castro Capitis Orlandi prelibato XXVIII Novembris XI Inditionis 1478 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1477 in cartis 162 registratam, concessit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsum Capitis Orlandi Castrum per prefatum don Petrum de Cardona comitem possidetur, quod reddit cum iuribus suis anno quolibet 07 . . .

Nihilominus Regia in Cancellaria non invenitur privilegium aliquod, per quod exprimatur Castrum ipsum eidem comiti sive ad vitam, sive imperpetuum, concessum extitisse, sive ampliatur; nisi tantum investitura una de eo per dictum don Artalem capta, tanquam feudum. Et ideo ad hoc edendum cogi posset et deberet, actencto quod est Castrum et de regalijs, ac per hoc inalienabile imperpetuum, nisi ad vitam tantum, pro ut est de more, stilo et antiqua observantia, et signanter quod Castrum ipsum est apud mare et valde importat ad regni tutelam et ad regalem preeminenciam. Qua propter recuperandum esset, sive in Rollo describendum.

---

**Cabella sive Ius rotuli Carnium Messane in Feudum.**

---

Cabella, sive Ius rotuli Carnium que in macello civitatis Messane macellantur et de regijs regalijs habentur, quo iure a Regia Curia abstracta fuerit et alteri in feudum concessa, nullus reperitur in Cancellaria titulus. Tandem iura ipsa ad quondam Rayneriam de Perbullit ex suorum progenitorum successione, ut asseruit, pervenerunt. Que, Serenissimo Rege Alfonso regnante, cum Regni feudorum privilegia a feudatarijs expostularentur, postquam in posse don Lupi Ximenei Durrea, tunc Regni proregis, iure iurando affirmavit de ipsis iuribus rotuli sive cabella nullum suas ad manus pervenisse privilegium, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, Regni Constitutionibus regieque Curie iuribus semper salvis, de eisdem ab ipso Prorege, XXIII Julij prime Indi-

tionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 677 notatam, reportavit.

Mortua exinde dicta Rayneria, sibi in dicta cabella sive iuribus rotuli successit Anthonius Perbullit, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus ut supra iure Francorum, de iuribus ipsis a Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, XXIII Novembris III Inditionis 1455, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1454, in cartis 193 notatam, obtinuit.

Defuncto demum dicto Anthonio de Perbullit, sibi in dicta cabella successit Mazulla de Iordano, eius soror, de qua non reperitur investitura.

Decedente exinde Mazulla predicta, filiorum masculorum defectu sibi in eadem cabella successit Lucrecia eius filia, uxor relicta quondam Petri de Bonfilio. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de cabella ipsa a tunc Regni Prorege, VIII Novembris X Inditionis 1476 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1477 in cartis 197 notatam, habuit.

Deficiente postremo dicta Lucrecia, sibi in dicta cabella sive feudo successit Colecta de Bonfilio, eius filius primogenitus legitimus et naturalis. Qui pro se dictisque suis heredibus eius de corpore ut supra iure Francorum, de cabella predicta a quondam Gaspare de Spes, tunc Regni Vicerege, XIII Ianuarij XIII Inditionis 1480, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 43 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, cabella ipsa sive iura rotuli per prefatum Colectam de Bonfilio possidentur. Que cabella anno quolibet reddit. . . . . 07 . . . .

Nihilominus est attendendum, quod dicta iura rotuli carniū macellorum Messanæ, cabella fuerat de iuribus et membris Regie Secrecie dicte messanensis civitatis. Que, Regni Statutis persistentibus, segregari non poterant neque debebant, nisi legitima et urgentissima causa precedente. Et ideo, ut causa huiusmodi segregacionis videatur, oportet titulum edi pro Curie cautela; nam propter non captas investturas, et quia de illa verus titulus non invenitur, cabella predicta de iure revocari posset.

**Ortalicia alias Pantani Fauzuni, Territoria Mistrecte.**

---

Territoria vulgo nuncupata Ortalicia, alias li Pantani et Fauzuni, in valle Demine et tenimento terre Mistrecte posita, tanquam de iuribus et membris Regie Secrecie terre eiusdem, per quondam Ioannem de la Nuça, tunc Regni Proregem, ad Vestre Catholice Maiestatis licteras, don Iacobo de Aversa vestri Regij Culminis Cappellano ad emphiteosim et annum censum, videlicet, li Pantani pro tarenis sex, territorium vero Fauzuni pro uncia una annui redditus Regie Curie prestandi, puplico mediante emphiteotico contractu super predictis, per Regni magistrum Secretum de Vestre Regie Serenitatis mandato, ac prefati Proregis facto et concessio, suorum intuitu servitorum, suisque imperpetuum heredibus et successoribus concessa fuere. De quo iure census exinde don Iacobus ipse pro se suisque heredibus et successoribus a Vestra Regia Maiestate gratiam et relaxationem obtinuit. Mota exinde per dictam Mistrecte Universitatem prefato Iacobo de Aversa lite, in qua per ipsam Universitatem pretendebatur concessionem predictam in eiusdem Universitatis preiudicium, contra formam Regni et dicte Universitatis privilegiorum factam extitisse; quodque terra ipsa eiusque membra ac bona et res dicte Universitatis eiusque Regie Secrecie non poterant in totum vel in partem pacto aliquo alienari; tandem per Ioannem Maij legum doctorem, cui per dictum Proregem causa commissa fuit in favorem dicti don Iacobi de Aversa et contra dictam Universitatem sententiatum extitit, declarando dictam concessionem iuste et recte fieri potuisse. A qua sententia, cum se gravatam sensisset, dicta Universitas suos Vestre Catholice Maiestati nuncios destinavit, que causam ipsam gravaminis Anthonio Augustino legum doctori, Vicecancellario vestri sacri Regij Consilij, commisit. Qui eius cum sententia non tantum prenotatam sententiam per Ioannem Maij latam, sed etiam territoria Fauzuni et Ortaliciarum eidem don Iacobo confirmavit. A qua sententia cum dicti nuncij supplicassent, causaque supplicationis huiusmodi Thome de Malferit et Ioanni Longo, legum doctoribus et Regiam Cancellariam regentibus, etiam commisit. Qui

predictas duas sentencias sentencialiter confirmarunt, et ipsi Universitati pro predictis perpetuum silencium imposuerunt. Sed quia originales processus et acta coram prefatis Thoma de Malferit et Ioanne Lonch, regentibus, actitata, una cum dictis sententijs deperdita fuerunt in posse scribe cause, prefatus don Iacobus a Vestra Catholica Maiestate privilegium obtinuit, datum in Villa vallis Oleti XXV Iunij 1509, in quo cum assereretur predicta esse vera et ita vestre Regie Celsitudini constilisse, provisum fuit, ipsum don Iacobum suosque successores in possessione dictorum territoriorum manuteneri et non molestari circa exactionem dicti iuris census eidem relaxato, ut supra; de quo Regio privilegio viceregia emanavit exequutoria data Panhormi XXV Aprilis 1510, et in Regie Cancellarie libro anni 1509 in cartis 538 notata, pro ut in ea latius enarratur.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsa territoria Fauzuni et Ortaliciorum per prefatum don Iacobum de Aversa possidentur; que anno quolibet reddunt. . . . . 07 . . . .

Nihilominus attendendum est quod dicta territoria Falzuni et Ortaliciorum de iuribus et membris dicte Regie Secrecie terre Mistrecte erant; que iura inalienabilia et signanter ad imperpetuum sunt. Et ideo Vestra Catholica Maiestas quod pro suo Regio servicio faciat attendat pro Curie cautela. Nam si Regij Fiscii procurator una cum dicta Universitate pro illis recuperandis partem fecisset, predictus don Iacobus forte non obtinisset; adeo enim Secreciarum membra et iura privilegiata existunt, quod nullo pacto alienari possunt.

---

#### **Domus et Vineae in Sancta Lucia.**

---

Quasdam domum et vineam in terra et territorio terre Sancte Lucie, vallis Demine existentes, Regie Curie tunc ob rebellionem Bartolucij Cardeli, terre eiusdem habitatoris, et domus et vineae ipsarum possessoris, devolutas; Serenissimus Rex Federicus quondam Gregorio Caxula suisque heredibus eius de corpore legitime

descendentibus, cum clausula fidelitate nostra heredum et successorum nostrorum in eodem Regno Curie nostre, et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis; eius cum patentibus regijs licteris in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 344 notatis, concessit.

Sed quia in Cancellaria de ipsis domo et vinea nulla alia reperitur scriptura, inquiratur possidens ut edat, quo iure in eis successit, aut si recta linea ex dicto Gregorio Caxula descendit; nam si eius genologia extincta esset, per Regias excadencias Regie Curie devolute essent. Et sic pro Regia Curia, ut recuperetur, per Fiscum Regij Procuratorem esset attendendum.

---

#### **Terre pecia in Messana.**

---

Quedam terre pecia in contrada magni Pantani fari Messane, prope terras et vineas que fuerunt quondam Lanzee de Grifomilinis et alios confines posita, per quondam Laurencium Maccaruni olim possidebatur; ob cuius eiusque uxoris et filiorum rebellionem cum Regie Curie devoluta essent, Serenissimus Rex Federicus illam quondam Perrono de Griffo messanensi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, eius cum regijs patentibus licteris, in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 346 notatis, iuribus Curie et alterius semper salvis, concessit.

Cumque Regia in Cancellaria non inveniat alia scriptura de ipsa terre pecia, inquiratur possidens ut edat ius suum, ut videatur si recta linea descendit a prefato Perrono de Grifo pro Curie cautela; nam si ex linea recta non descenderet, pro Regia Curia recuperari deberet, quia ut asseritur linea ipsa extincta est.

---

**Redditus Cabelle Bucheriarum Messane.**

---

Redditus cabelle macellorum messanensis civitatis, tanquam de membris et iuribus Regie Secrecie civitatis eiusdem, per Serenissimum Regem Federicum quondam Petro de Mauro suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, olim concessi fuere, pro ut in ipsius Regis privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1347 in cartis 249 notato, serius exponitur.

Actendendum est, an linea recta prefati petri de Mauro extincta sit; nam si defecit, redditus cabelle predictae restitui debet Regie Secrecie predictae, et interim ponatur in Rollo.

---

**Molendinum Mazainpedi.**

---

Solum cuiusdam antiqui molendini Regie Curie Mazainpedi vocati, cum solitis et consuetis aqueductu et aquarum derivacione a flumaria dicte Regie Curie, ad opus molendi in valle Demine, et tenimento terre Iacij, sublus alia molendina dicte Regie Curie versus maritimam, iuxta molendinum antiquum vocatum de Curatulo prope terras Philippi Rugulenti, secus peciolam terre Roberti de Brigagla, et viam publicam tunc construendi, Serenissimus Rex Federicus quondam magistro Natali Lancee, messanensi, tunc magistro notario in officio Prothonotariatus, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub annuo tamen censu tarenorum auri septem et granorum decem per illos anno quolibet Regie Curie prestando, eius cum regijs patentibus licteris in Re-

**MOLENDINUM MAZAINPEDI**

gie Cancellarie, libro annorum 1360, 1366 in cartis 347 notatis, concessit.

Nihilominus actendum est, quod huiusmodi ius census hucusque exactum non fuit per Regiam Curiam. Sed si Vestra Catholica Maiestas sive eius progenitores de censu huiusmodi aliquam non fecerunt gratiam sive perpetuam relaxationem, dico quod Regia Curia nimis lesa fuit et gravata. Et ideo de predictis est pro Regie Curie indemnitatem recte actendum.

Nam, casu quo molendinum predictum omniaque alia molendina in dicto lacij territorio existencia, in predicta impignoratione non comprehenderetur, revocari possent et census repeti valeret, quia in compolis Secree Cathanie de censu ipso nullus fit introitus.

---

**Terre quatuor aratatorum in Trayna.**

---

Serenissimo Rege Federico regnante, Serenissimus dux Ioannes de Aragonia eius patruus, tunc Randacij Marchio et terre Trayne dominus ac in Regno tunc Vicarius, quondam Federico de Bonacolsis mantuano suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, quatuor aratata terrarum, in tenimento dicte terre Trahine vallis Demine existencium, in contrada di la Miragla, franca, libera et exempta a iure terragij et aliorum quorumcumque iurium, gracie concessit; qui Federicus, dum vixit, terras ipsas tenuit et possedit.

Deinde autem dicto duce Ioanne ac prefato Federico de Bonacolsis defunctis, et in dictis terris Aloysio de Bonacolsis, alias de Mantua, eius filio succedente; Aloysius ipse de ipsis quatuor terrarum aratatis, a prelibato Rege Federico pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, confirmacionem et de novo concessionem reportavit; pro ut in eius Regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366, in cartis 349 notato, continetur.

Nihilominus esset habenda relacio a Secreto dicte terre Tra-



hine in cuius posse terre ipse existant, ut percipi possit si illarum possessor recta linea a dicto quondam Aloysio de Bonacolsis alias de Mantua descendit, aut si terre ipse absque Principis licentia et decreto vendite fuerunt et alienate, pro Curie cautela, sive quo iure in illis successerit. Nam a dicto anno 1366 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipsis quatuor aratatis nulla alia apparet scriptura; possibile enim esset quod descendencia dicti Loysi de Bonacolsis foret extincta, et terre predictae per aliquos usurpate detinerentur; quapropter Regie Curie devolute essent.

---

**Molendina duo Iacij.**

---

Duo superiora molendina ex tribus Regie Curie in valle Demmine et territorio terre Iacij, iuxta terras eiusdem Regie Curie ab oriente meridiei, et septentrione ac vias publicas per quas habetur eorum introitus et exitus, existencia, cum illorum aquis, aqueductibus, aquarum decursibus et redditibus; nec non et cum locatione aquarum pro irrigandis terris territorij eiusdem, pro ut cabelloti et exercitatores molendinorum ipsorum conducere et exercere consueverant, tanquam de iuribus et membris Regie Secrecie ipsius terre Iacij, Serenissimus Rex Federicus quondam iudici Thomasio Bufalo, messanensi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, franca libera et exempta ab omni onere et alicuius servicij prestacione, concessit. Rebellato tandem contra eundem Regem Federicum prefato iudice Thomasio, ipsa duo molendina Regie Curie iterum aperta fuere et devoluta, illaque Rex idem quondam Raynaldo de Lancea, messanensi, et Anthonio de Regio, leontinensi, illorumque heredibus de ipsorum corporibus legitime descendentibus, cum eadem aquarum locatione pro predictis irrigandis territorijs libera et exempta ab omni onere et prestacione servicij, ac modo et forma premissis, iterum concessit; cum clausula, tamen, non obstante quod sint de membris et iuribus dicti officij Secrecie, reservato tamen eidem nostre Curie, quod quando-cumque voluerit, possit et liceat dicta duo molendina pro eo quod

sunt de eisdem membris et iuribus Secrecie ad manus suas revocare, proviso prius dictis Raynaldo et Anthonio et heredibus eorum de equivalenti excambio in terra annui redditus et provenctus molendinorum ipsorum etc; sicuti in ipsius Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie, libro annorum 1360, 1366 in cartis 357 notato, hec et alia late patent.

Deinde autem cum prefati Raynaldus Lancea et Anthonius de Regio de eisdem Regis licentia molendina ipsa inter se dividere concupiscerent, ad subscriptam concorditer devenerunt divisionem, videlicet: quod dictus Raynaldus de Lancea pro sua porcione molendinum inferius cum iuribus, provenctibus et redditibus ad illud spectantibus habuit; dicto vero Anthonio de Regio pro sua porcione superius molendinum cum illius iuribus, provenctibus et redditibus cessit; iura autem locationis aquarum predictarum pro prelibatis irrigandis territorij, eo quod divisionis commodum non recipiebant, eisdem Raynaldo Lancea et Antonio de Regio dictisque eorum heredibus in comuni remanserunt. Quam divisionem cum inserto tenore prenominati privilegij concessionis, idem Rex Federicus, prefatis Raynaldo et Anthonio, eius cum Regio privilegio in dicte Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366, in cartis, 433n otato, acceptavit et confirmavit.

Nihilominus actendum est ad clausulam equivalentis excambij, pro quo molendina ipsa recuperari possunt nec non molendinis superius declaratis et nominatis, satis diffuse dictum est pro Curie cautela.

---

**Notariatus duo Dohane maris Messane.**

---

Duos Notariatus sive duorum Notariorum officia dohane maris Regie Curie messanensis civitatis, quondam Petro Ristollo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, tanquam filio et heredi quondam notarij Ioannis de Ristolo, cui notario Ioanni suisque heredibus per Serenissimum Regem Federicum seniore officia ipsa in excambium unciarum viginti quatuor sue

annue provisionis, cum hoc quod si Regia Curia in dictis officijs alios notarios instituere voluisset, illud facere nequivisset nisi prius eidem notario Ioanni dictum excambium unciarum viginti quatuor super Regie Curie excadencijs resarciretur; regio privilegio prefati Regis Federici senioris mediante, dato Cathanie II Ianuarij, XI Inditionis 1327, concessa extiterant. Et post ipsius quondam notarij Ioannis de Ristolo mortem, prelibato Petro de Ristolo, nec non Baldo, Nicholao et Constance, fratribus et sorori tunc viventibus, illorumque heredibus eorum de corpore legitime descendentibus, per Serenissimum Regem Ludovicum confirmata fuerant; quibus officijs ob bellorum strepitus ipsi fratres et soror exinde spoliati fuerant, Serenissimus Rex Federicus iunior, eius cum regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1347 in cartis 252, restituit, concessit et donavit.

Decedente postmodum prefato Petro de Ristolo, sibi in ipsis duobus notariorum officijs successit Margarita eius filia, uxor Nicholai de La Burci. Que, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, a Serenissimo Rege Martino, regia fidelitate et iuribus alterius semper salvis, sub condicionibus et clausulis in precalendatis instrumentis contentis, in satisfacionem predictarum unciarum viginti quatuor, cum clausula recepturi ab eis apodixiam idoneam, de his que pro dictis notariatibus anno quolibet assignabunt etc.; de illis, XXX°. Augusti III Inditionis 1395 confirmacionem et de novo donacionem, regio mediante privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 49 notato, reportavit.

Nihilominus est actendendum conditioni in antiquis privilegijs apposite, videlicet, quod quandocumque Regia Curia in dictis notariatibus alium notarium instituere voluisset, hoc facere nequivisset, nisi prius equivalenti excambio dictarum unciarum vigintiquatuor super Regie Curie excadencijs satisfacto; ob quod si dicti notariatus ultra dictas uncias vigintiquatuor quid redderent, posset utique Regia Curia ipsa super eisdem officijs predictas uncias vigintiquatuor possessoribus persolvere, et reliquum ipsiusmet Curie utilitatibus et commodis applicare; prout in similibus, et signanter in revocatione cabelle panis de membris Regie Secrecie felicis panhormitane urbis, de qua in Regni Secreciarum Capibrevio in capitulo Secrecie urbis eiusdem diffusius in cartis . . . pertractatur, sentencialiter factum extitit. Et ideo inquiratur possidens et si recta linea a primo acquiretore descendit; dubitatur enim ne linea ipsa extincta sit; tamen, quomocumque sit, pro

equivalenti excambio recuperari potest; percipiatur ergo discreta quantitas reddituum eorundem officiorum, ut si dictas uncias vigintiquatuor superaret illud, plus Regie Curie cedat, et videbitur si superfluum ipsum per possessores usurpatum fuit.

---

**Plance due in Messana Petri Scalisi.**

---

Petrus de Scalisio pro se suisque heredibus, a Serenissimo Rege Federico constituendi duas plancas sive tabulas in macello Sancti Joannis messanensis civitatis, ad opus macellandi in eis carnes, sub onere cantarij unius et medij sepi ac aliorum iurium Regie Curie debitorum, illius regijs patentibus liceteris, in Regie Cancellarie libro anni 1366 in cartis 64 notatis, mediantibus, licentiam et concessionem obtinuit.

Nihilominus est inquirendum, an ipse plance sint in esse, et si ius dicte Regie Curie debitum persolvitur; de quibus omnibus a Secreto civitatis ipsius pro Curie indemnitatem esset habenda relatio.

---

**Redditus Cabelle Mercy et Errantium Terre Randacij  
Cum Magaseno Damiani Ceci.**

---

Redditus et provenctus cabelle merci et errantium terre Randacij cum quodam magaseno, Serenissimus Rex Federicus quondam Rogerio Ceci de terra eadem, ad eius vitam tantum, prima facie concessit; inde vero Rex idem redditus predictos prelibato Rogerio Ceci ad eius heredes suo de corpore legitime descenden-

tes, eius cum asserto Regio privilegio quod in Cancellaria non reperitur, ampliavit.

Mortuo postmodum dicto Rogerio Ceci, sibi in eisdem redditibus successit Damianus Ceci eius filius. Qui, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, de redditibus eisdem ab ipsomet Rege Federico, non obstante quod cabella predicta de iuribus et membris Secrecie Regie terre prefate esset, confirmationem et investituram reportavit; sicuti in eius regijs patentibus licteris, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 262 notatis, continetur.

A quo quidem tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de cabella predicta merci et errantium terre Randacij, sive de illius redditibus, nullum aliud invenitur privilegium sive scriptura; minusque in compotis Secrecie predictae de illis aliqua fit mentio, neque introitus sive exitus. Et sic ratio reddi non potest, si cabella predicta est in esse, sive si fuit alienata, et in cuius posse reperiat. Unde, pro Regie Curie indemnitatem, a Secreto terre ipsius Randacij esset de premissis habenda relatio, ac etiam si dictum magasinum est in esse, et per quem possidetur ac quo titulo, ut recuperari possit census ipse pro tempore preterito, et Regie Secrecie dicte terre restituatur.

---

**Planca una in Messana Petri de Mule.**

---

Serenissimus Rex Federicus quondam Petro de Mule suisque heredibus construendi plancam unam, ad opus macellandi in ea carnes in macelli Sancti Ioannis messsanensis civitatis, sub onere cantarei unius et medij sepi ac aliorum iurium, suo cum Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1366 in cartis 67 notato, licentiam impartitus fuit.

---

**Cabella Dohane Cathanie.**

---

Tercia pars Cabelle Dohane Civitatis Cathanie, de membris et iuribus Secrecie civitatis eiusdem, per Serenissimum Regem Federicum quondam Federico Salvagio, eius vita durante, in feudum sub servicio equi unius alforrati, concessa extitit. Quam concessionem idem Rex prefato Federico Salvagio ad eius heredes suo de corpore legitime descendentes, sub consueto militari servicio, eius cum regijs patentibus licteris, in Regie Cancellarie libro auni 1369 in cartis 288 notatis, postmodum ampliavit.

Deinde autem Serenissimus Rex Martinus prefato Federico Salvagio, ad eius tantum vite decursum, eandem terciam partem cabelle dohane antedictae modificavit et confirmavit. Qui Federicus Salvagius ius tercię dohane predictę quondam Nicholao de Paternione, tunc sepedictę civitatis Secreto, puplico mediante contractu manu notarij Petri de Aquila celebrato, vendidit: de qua venditione Regia in Cancellaria non apparet aliqua scriptura.

Nihilominus Serenissimus Rex Alfonsus, eius cum Regio privilegio dato Neapoli XII Octobris 1423, prefato Nicholao de Paternione ius predictum ad suos heredes, eius de corpore legitime descendentes, ampliavit, pro ut in illo continetur.

Mortuo tandem dicto Nicholao de Paternione, idem Rex Alfonsus Anthonio de Paternione, prefati Nicholai filio, suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentes, ut supra, sub consueto militari servicio, ius predictum tercię prefate dohane Cathanie, eius cum alio Regio privilegio dato in urbe felici Panhormo XXVII Septembris 1434 confirmavit.

Unde tam ex donacione prefato Antonio de Paternione, per predictum Nicholaum de Paternione eius patrem, de ipso iure tercię prelibate dohane facta, quam ex successione, ex quo erat dictus Antonius, prenominati Nicholai filius, Anthonius prelibatus de iure eodem possessionem nactus fuit; et sic de ipsomet iure, a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentes sub consueto militari servicio, Regni Constitucionibus iuribusque Regie

Curie et alterius semper salvis, XX<sup>o</sup> Septembris II Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni, in cartis 614 notatam, obtinuit.

Deinde autem dicta tertia prelibate dohane ad Ioannem de Paternione militem pervenit. Qui pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui privilegii, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, de tertia ipsa dohane, a tunc Regni Preside, XVIII Octobris XIII inditionis 1479, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 50 notatam, reportavit.

Nihilominus Regia in Cancellaria nulla alia apparet investitura capta per eundem Ioannem de Paternione, ob mortem suorum progenitorum, quibus de iure succedere debebat. Et ideo ratio reddi non potest, quo iure in illa successerit; et propterea pro Curie cautela ad predicta edendum possessor cogi deberet.

Mortuo demum dicto Ioanne de Paternione, successit Alfonsus de Paternione, de quo Alfonso in Cancellaria cum non reperitur investitura, ratio assignare non potest, an filius fuerit dicti Ioannis, sive quo iure in dicta tertia dohane successerit. Et ideo possidens ad edendum investituram dicti Ioannis de Paternione cogi deberet.

Defuncto exinde dicto Alfonso de Paternione, sibi in dicta tertia dohane Cathanie successit Ioannes de Paternione, eius filius legitimus et naturalis. Qui de ipsa tertia dohane a quondam Ioanne la Nuça, tunc Regni Prorege, VIII Iunij V Inditionis 1502 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 453 notatam, reportavit.

Et in presentiarum, anno 1513 decurrente, ipsa tertia dohane Cathanie per prefatum Ioannem de Paternione iuniorem possidetur. Que anno quolibet reddit. . . . . 07. . . .

Unde cum hoc procedat tam ex precio, tanquam res vendita, de qua in regia Pragmatica Post Bella vocata pertractatur; quam cum sit de iuribus et membris Regie Secrecie civitatis antedictæ, que cabella propterea in vim Regni Pragmaticarum et Statutorum perpetuo alienari non poterat, et signanter Secreto secrecie eiusdem, cui membra illius conservando traduntur, quam etiam propter non captam investituram a dicto Alfonso de Paternione et ab aliis etiam de Paternione, Vestra Catholica Maiestas cabellam predictam merito et de iure ad se revocare posset, et sue regie Secrecie civitatis eiusdem agregare et restituere.

**Molendinum et Vinee due Castri Regalis**

---

Quoddam molendinum e' duas vineas in tenimento terrarum Castri Regalis et Sante Lucie quondam Andreas de Fontana messanensis antiquitus possidebat. Qui cum exinde rebellionem patrasset et bona ipsa Regie Curie propterea devoluta fuissent, illa Serenissimus Rex Federicus quondam Philippo Gullo suisque heredibus, eius de corpore legitime descendantibus, concessit; cum hoc tamen quod pro dicto Molendino anno quolibet Regie Curie unum angustale auri persolveret; sicuti in eius regio privilegio, dato Messane ultimo Iulij II Inditionis 1360, late patet.

Successive vero Serenissimus Rex Martinus eidem Philippo Gullo, cum inserto tenore predicti privilegij dicti Regis Federici, prelibatum molendinum et vineas, eius cum Regio privilegio, dato in obsidione apud Panhormum XV Maij XV Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 61 notato, confirmavit.

Unde est omnino a Secreto terrarum predictarum Castri Regalis et Sacte Lucie habenda relatio, si heredes dicti Philippi Gullo adhuc durant, et si annis singulis dictum ius census persolverunt, cum in compotis Regni Secreciarum de huiusmodi iure census nullus fiat introytus; nam si recta linea et legitima descendentia prefati Philippi Gullo deficit et extincta est, molendinum predictum et vinee pro Regia Curia recuperari possunt et debent, cum precipue a dicto anno 1392 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de censu predicto nullum aliud reperiatur privilegium sive scriptura. Et ideo inquiratur, si dictum molendinum et vinee, sive saltim solum eorum, sunt in posse aliquorum, ut recuperari possint una cum censu preterito, presenti et futuro.

---



**Officia Notariatuum Fundaci et Statere Rive Messane.**

---

Serenissimus Rex Iacobus ad eius tamen regium beneplacitum Iacobo Rumbulo et Matheo Rumbulo patri et filio, eorum intuitu serviciorum, officia Notariatuum fundaci et statere ponderis rive civitatis Messane, ad eius regias licteras, datas Barchinone VI Novembris 1290, concessit.

Deinde vero Serenissimus Rex Federicus, prelibati Regis Iacobi frater, tunc Infans, ad eius tantum et dicti Regis Iacobi Regium beneplacitum, prefatis Iacobo et Matheo Rumbulo predicta officia eis modo et forma quibus ipsis concessa fuerant, eius cum Regijs licteris, datis Messane XVIII Augusti VIII Inditionis, confirmavit.

Cumque exinde dictus Rex Federicus ad perfectam devenisset etatem, ad supplicacionem prefati Iacobi Rumbulo, eidem Matheo Rumbulo illius filio licentiam et facultatem concessit, ut officio ipsa nomine et pro parte ipsius Iacobi Rumbulo eius patris exercere potuisset; quodque salaria et iura ad ipsum officium spectancia penes dictum Matheum Rumbulo, ad opus eiusdem Iacobi Rumbulo eius patris devenirent; quodque etiam Matheus ipse ab ipsis officijs amoveri non posset, quin prius prefato Iacobo Rumbulo, vel eius heredibus, in mercijs et excadencijs Regie Curie de equivalenti excambio provideretur; sicuti in eius Regijs licteris, datis Messane XIII Maij VIII Inditionis, late patet.

Regnante exinde Serenissimo Rege Petro secundo, omnes redditus, provenctus, et iura dicti officij, puta fundaci predicti, Bartholomeo Asinolo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum, renunciata prius per eum quadam annua provisione unciarum XXXX, olim sibi per Regiam Curiam, sub servicio unius equi armati, per eum et dictos suos heredes eidem Curie prestando, assignata; sub certa forma concessa fuere.

Nihilominus coram eodem Rege Petro Iacobus Rumbulus, ut filius et heres filie Rumbuli olim filij et heredis prenominati Iacobi Rumbuli, primi acquiritoris, comparens et exponens dictum officium notariatus fundaci prelibati, de iuribus et membris prefati officij statere ponderis rive Messane, esse et ad eum spectare, neque

potuisse illo spoliare in vim dictarum regiarum patentium licitarum dicti Regis Petri nisi prius ipse Iacobus iunior sui que heredes de equivalenti excambio provideretur. Obtinuit tandem, et sic per ipsum Regem Petrum provisum extitit, quod eidem Iacobo Rumbulo iuniori suisque imperpetuum heredibus de uncijs quatuor super iuribus et provenctibus dohane et dicte Statere Messane anno quolibet responderetur, ultra alios consuetos solidos, quos Iacobus ipse iunior super eisdem provenctibus, ex tenore suarum regiarum patentium licitarum, anno quolibet recipere solebat. Et hoc pro dicto equivalenti excambio officij notariatus dicti fundaci cum ad dictam quantitatem ascendere consueverat ipsum officium; sicuti in eiusdem Regis Petri patentibus liciteris sive privilegio, dato Messane XXVI Octobris XII Inditionis, et in Regie Cancellarie libro anni 1343 in cartis 86 notato, continetur.

Actendum tamen est quod a dicto tempore usque ad presens, anno 1513 decurrente, de officijs ipsis nulla alia reperitur scriptura. Et ideo ponatur in Rollo, et inquiratur in cuius posse existant, et si possessores recta linea a dicto Bartholomeo de Asinolo descendunt, pro Curie cautela.

---

**Molendinum di Inmezo Paternionis.**

---

Serenissimus Rex Martinus, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XXVIII Maij III Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 110 notato, quondam magistro Lanzee Maza cathaniensi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, quoddam molendinum vulgo lo molino di In mezo nuncupatum, in tenimento terre Paternionis existens, tanquam de membris et iuribus regie Secrecie terre predicte, tunc penes sacrum regium demanium positum, cum clausula tamen quod quodcumque per regiam Curiam, soluto prius illis equivalenti excambio unciarum duodecim super morticijs et excadencijs ipsius Regie Curie tunc succedentis, revocari posset, concessit.

Nihilominus, cum a dicto tempore citra de molendino predicto

nulla alia inveniatur scriptura , inquirendum est in cuius posse existat , et si molendinum ipsum in concessione dicte terre Paternionis in baroniam concessa comprehenditur, alias pro Regia Curia recuperetur.

---

**Terre Pecia in Iacio.**

---

Concessit olim quondam Manfredus de Alagona quondam Flori de Herbes, uxori relicte quondam Petroli de Herbes, quondam terre peciam in tenimento terre Iacij, in contrata Sancte Venere existentem, et ex parte orientis cum terris Blasci de Taranto, ex parte meridiei cum terris eiusdem Blasci, ex parte occidentis cum terris Curie, et ex parte septentrionis cum terris heredum quondam Raymundelli de Sinibaldo, et alijs confinibus terminatam; sub onere annui census salmarum ordeï XIII et tuminum octo de mense Augusti anno quolibet prestandi; cum potestate tamen libere irrigandi illam ex aquis fluminis Curie sine solucione iurium cabellarum seu molendinorum vel aliorum iurium quorumcumque; cum conditione tamen quod, quousque terra ipsa fructus non produceret ad dictum censum teneretur, sed postquam fructus produceret, si decima musti sive vini valorem dicti census excederet, ad dictam decimam musti sive vini anno quolibet teneretur, et ex tunc in antea ad solucionem prefati census non astringeretur.

Deinde autem Serenissimus Rex Martinus dictam terre peciam, modo predicto sub dicto annuo censu solvendo, eidem Flori suis que imperpetuum heredibus et successoribus quibuscumque, eius cum regio privilegio dato Cathanie X Novembris IIII Inditionis 1395, et in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 105 notato, confirmavit.

Nihilominus attendendum est quod predicti de Alagona rebelles fuerunt, et illorum bona Regie Curie devoluta; et sic esset dictum ius census pecie predictæ. Sed quantumcumque ad presens, anno 1513, terra predicta Iacij in posse baronis existat, cum carta gratie reddimendi, tamen si dicta iura census vinee, et alie rega-

lie ad Regiam Curiam quomodocumque devolute, vel si de mero fuerint demanio, per Sicilie Reges moderno possessori terre eiusdem Iacij, seu alijs particularibus personis concesse non fuerunt, Regia Curia in sibi vendicando dictum censum ius haberet, nec non et in obtinendo censum ipsum a tempore decurso usque ad presens. Nam si in pignoracione dicte terre Iacij illis de magistro Anthonio facta dictum ius census non comprehenditur, recuperari potest pro Regia Curia.

---

**Saline Salinelle Petralie Superioris.**

---

Saline seu locus salinarum, site et posite in tenimento terre Petralie superioris, in loco vulgo dicto la Salinella prope contratam seu turrin di lu Gurafi, tanquam de regalijs et iuribus Regij Fiscij et Curie per Serenissimum Regem Martinum quondam Anthonio de Vigintimilio, tunc comitatus Golisani Comiti et terrarum Petraliarum Domino, sub consueto militari servicio Regie Curie prestando, eius cum Regio privilegio dato Cathanie VIII Iulij VII Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie libro annorum 1396, 1399, in cartis 114 notato, in feudum concesse fuere.

Qui comes cum exinde contra regiam coronam rebellionem patrasset, dictus Golisani comitatus cum prefatis terris Petraliarum Regie Curie devolutus extitit. Et sic serenissimus Rex Alfonso Comitatum ipsum cum eisdem terris Petraliarum illis de Cardona, a quibus modernus possidens legitime descendit, concessit. Sed quia post dictam rebellionem Regia in Cancellaria nullum reperitur privilegium concessionis de dictis salinis alicui facte, videtur salinas ipsas in manibus Regie Curie vacare; et ideo pro Curie cautela est ad hoc recte attendendum.

Sed, ut percepi, cum nec prefatus comes Anthonius de Vigintimillijs rebellis, nec alius eius successor, dictis salinis usi fuerint et illas adhuc non aperuerint, immo illis uti pretermiserunt, et pretermictunt ac cohoperte iacent, Regia Curia eius iura et directus, signanter militare servicium, cui in vim dicti privilegij, sa-

line ipse tenentur, deperdidisse et deperdere videtur. Et ideo providendum est quod Regia Curia pro Regio demanio dicta cabella uti possit, ut suo Regio patrimonio incorporetur.

---

**Solatia Regia in Regno. Castagnetum Curie in Messana**

---

Sufficienter satis per me, Catholice Princeps, tam per magnum Capibrevium ac Capibrevium Regni secreciarum, quam per Capibrevium Regni feudorum expositum est; quod, stantibus Regni eiusdem antiquissimis Statutis, ordinacionibus et consuetudinibus per Regni Sicilie Reges, Vestre Catholice Maiestatis progenitores, ac per vestrum Regium Culmen iuratis, Regia Solatia regni predicti, et signanter Solatia Zize et Cube felicis panhormitanæ urbis, nulatenus alienari poterant et alicui concedi; immo dixi, pro levamine regalis conscientie, esse omni studio pertractandum, quod Regie Curie sive sacro Regio demanio reducerentur, et penitus, ut iura volunt, agregarentur, prout alij Sicilie Reges facere consueverunt; ob quod mihi visum est, hoc in loco exponere, ad vestri Regij Culminis informacionem, quod serenissimo Rege Ioanne, Vestre Catholice Maiestatis genitore regnante, totum Sicilie regnum sue Regie Serenitati quodam cum capitulo supplicavit per hec verba scilicet: Item supplicat eiusdem regni universitas cum pateat a mente Principis iustissimi nihil alienius quam oppressos non erigere, eorumque iusticiam quamdiu latuit ad ius non evocare quod eadem Regia Maiestas restitui mandet his qui nemora, loca, seu territoria, que proprio nomine solatia nuncupari consueverunt; eadem territoria et nemora sive solatia, qui longissimo tempore illa tenuerunt et possiderunt, a quibus extiterunt per improborum virorum impetracionem expoliati, ex eo quod de illis concessionibus et Principum privilegia exhibere non potuerunt, propter guerras et bellorum discrimina, que diu retroactis temporibus in regno vigerunt; hocque dictum regnum in singulari munus imputabit, actencto quod antiqui acquirentes erant nobiles, quorum sanguine dicta solacia parta fuerunt; novissimi vero

possessores sunt infimo et obscuro loco nati, quorum servicia vix digne unciam promereri possent. Regia Maiestas mandabit Vice-regi quod, partibus auditis, iustitiam faciat, tam pro indemnitatem Regie Curie, quam parcium privatarum, per quod quidem capitulum, licet dicti regni Universitas petierit Solatia patronis antiquis restitui; tamen dictus dominus Rex, actencto quod solatia ipsa de antiquis regalijs sunt, et penitus reservatis, noluit providere circa illorum restitutionem patronis antiquis antedictis; immo ut ad Regie Curie indemnitatem actenderetur, causam ipsam ad meram remisit iusticiam, prout in ipso capitulo continetur. Preterea quia ad presens occurrit quoddam aliud solacium, Castagnetum Curie appellatum in civitate Messane, in contrada di li Cammari positum, quod alias inadvertenter per Serenissimum Regem Federicum alienatum fuerat; et exinde per Serenissimum Regem Martinum postmodum eidem Regio demanio reductum, pro ut per eius regiam provisionem patet, mihi visum est hoc in loco illam inserere que est tenoris sequentis videlicet :

Martinus et Maria etc. et Infans Martinus etc. Officium Regie dignitatis exequimur, dum ea, que per divos, bone memorie dicti Regni Sicilie Reges, predecessores nostros fuerunt demanio hactenus attributa augmentamus, et ipsi demanio debitis ratificationibus reservamus. Itaque universis et singulis officialibus dicti nostri regni, et specialiter Straticoto, Iudicibus, et Iuratis, alijsque officialibus nobilis civitatis Messane tam presentibus quam futuris, fidelibus nostris gratiam nostram et bonam voluntatem. Licet olim Illustris Federicus bone memorie predicti Regni Rex, nostrum Regis et Regine socer et pater reverendus, Roberto de Bonis filijs de Cathania, militi quoddam Castagnetum positum in tenimento nobilis civitatis Messane in contrada de Cammarijs iuxta castagneta Ioannis de Pactis et heredum quondam domini Brandi de Sancto sepulcro donaverit et contulerit, sub certa forma in suo privilegio inde facto contencta. Nosque non advertentes fore et esse debere nostri demanij, confirmaverimus ipsi militi, ac etiam nonnulli alij de dicta civitate nostri fideles, in eodem Castagneto iura aliqua habere pretendant; tamen quia noviter nostre Curie constitit satis clare predictum Castagnetum fuisse a dictis nostris precessoribus pro solacio Regio demanio deputatum et ipsum tanquam bonum iamdiu demanio reservatum non potuit nec de iure debuit ab ipso demanio modo aliquo sive causa aliquatenus separari; volumus ac de certa nostra scientia, potentia, et plenitudine potestatis providimus et ordinamus, quod, non obstantibus dona-

cione et confirmatione dicto militi factis ut supra, seu alijs quibuscumque vel iuribus si que in dicto castagneto dicti nostri fideles forte habent, quibus expresse tenore presentium derogamus et penitus annullamus, dictum castagnetum cum eius iuribus universis ex nunc in antea imperpetuum sit et esse debeat nostri Regij demanij, pro ut erat ac ipsum velut ex antiquo pro solacio Regio deputatum, ipsi demanio penitus agregamus; volentes et decernentes quod de cetero nullo unquam tempore predictum Castagnetum nec partem ipsius cuique dari nec concedi debere modo aliquo sive causa, sed ipsum pro solacio regio cunctis temporibus reservari. Et ut prefatum castagnetum, tanquam ius regium, penes nostram Regiam Curiam melius conservetur et de bono in melius augmentetur, ac illud velut nostrum solacium regatur, Ioannuccio Riccio de Messana, castellano nostri Regij palacij dicte civitatis Messane, familiari et fideli nostro, in custodiam commendamus per eum custodiendum et augmentandum nomine et pro parte nostre Curie Regie supradicte; cuius Castagneti redditus et provenctus habere ad nostrum beneplacitum eidem Ioannuccio volumus applicari pro labore et custodia per eum in dicto Castagneto fiendis; propter quod vobis universis et singulis officialibus nostri Regni predicti, et potissime Straticoto dicte nobilis civitatis Messane, tam presentibus quam futuris, expresse mandamus, quatenus presentem nostram provisionem et commendam ratam, gratam et firmam habeant, teneant, firmiter, et observent, et non controveniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. Et si forte per inadvertenciam nostrorum officialium aliqua nostra mandata regia facta, vel fienda, fuerit vel fuerint vobis in contrarium presentata, nullam eis obedientiam inferatis, quoniam nostra immutabilis regia intencio est, quod dictum Castagnetum a demanio nostro Regio nullo modo ammoveatur, sed potius in demanio nostre Regie curie, ut premittitur, reservetur, et in comenda dicti Ioannis remaneat, dum super hoc nostrum beneplacitum perdurabit. Datum in Civitate Cathanie die XX Novembris III Iditionis sub anno Dominice Incarnacionis 1394. Vidit Petrus promotor. Post datam, presentes lictere sunt signate manu Serenissimi domini nostri Regis, ob causam infirmitatis Serenissimi domini Ducis. Rex Martinus.

Mandavit Dominus Dux mihi Nicholoso Crisaphi per dominum Petrum Serra.

Ecce ergo, quod ad regalis conscientie levamen omnino procurari oportet, ut omnia Regia Solacia alienata Regio demanio

revocentur. Preterea est advertendum ad clausulam beneplaciti dicti Regis Martini, tunc Castellano dicti regij palacij concessi nomine Regie Curie ut supra; nam ob generales revocationes ipsorum beneplacitorum per mortem dicti Regis Martini factas, beneplacitum predictum extinctum fuit, et abolitum; ob quod Castagnetum predictum per Regiam Secreciam civitatis prefate messanensis, tanquam regium solacium detineri deberet. In qua Secrecia introitus fieri oporteret de illius redditibus et proventibus, quod Castagnetum anno quolibet, sive illius redditus subhastari deberent, et in cabellam concedi, pro ut reliqua membra et iura Secrecie eiusdem incabellari consueverunt. Nihilominus, ut percepi, Castellanus dicti palacij ipsius Castagneti iura, redditus, et proventus percipit, illaque suis applicat utilitatibus. Et ideo habeatur relatio a Secreto civitatis ipsius, ut Regie Curie indemnitatem provideri possit; nam contra formam dicti antiqui privilegij, quod ob mortem dicti domini Regis Ioannis evanuit, dictus Castellanus huiusmodi iura percipit; et sic ad restitutionem ipsorum reddituum per illum rectorum, nec non ad amissionem ipsius castrum teneretur; quod castrum pro certa quantitate in pignus retinet.

---

**Assignatio 07 XXXX super Secrecia Terre Randacij.**

---

Vestram Catholicam Maiestatem minus ignorare, reor, invictissime, potentissimeque Rex, quanta circa demaniales, patrimonialesque res, per Serenissimos retroreges contra formam Constitutionum, et Capitulorum Regni alienatas, in generali informatione et Capibrevio per me composito, dicta fuere et allegata: et presertim circa assignaciones super huius Regni Segrecijs et Cabellis in pecunia perpetuo impositas, et aliquibus concessas. Que Secrecie et Cabelle ab initio pro mense regalis subventionem, propriisque Regijs necessitatibus deputate extitere. Que quidem assignaciones, alienacionem nullo pacto patti possunt, ne Regium patrimonium totaliter exhaustum et consumptum inveniatur: Regia enim corona et per consequens omnia illius regna, maximum consequeretur



detrimentum; nam regijs deficientibus emolumentis et redditibus, pecuniarum indigentia, in occurrentis necessitatis casu, nullum Regia Maiestas eisdem regnis eius subsidium et opem ferre valeret; ob quod, si Rex suo in regimine, super dictis Secretijs et Cabbellis aliquas aliquibus concedit assignaciones, eo exindi defuncto, Rex quem illi succedere contingit, de iure et ita Regni natura dictante, tales solent repente revocare assignaciones, suumque verum legitimumque patrimonium sibi vindicare, ut cum illis sibi suisque regnis casu occurrente subvenire, opemque conferre valeat. Quodque hoc sit verum, huiusmodi perpetuarum assignacionum in huius Regni Cancellarie archivio plures revocatorie provisiones inveniuntur, quas brevitatis causa obmictendas esse duxi: hoc unum tamen non silebo, Serenissimus enim dominus Rex Ioannes, Vestre Catholice Maiestatis pater memorie indelebilis, conformem se reddere percipiens alijs Progmaticis Sanctionibus per dominos Reges predecessores suos promulgatis, cum in regnis suis ob mortem divi Alfonsi eius fratris, Vestreque Catholice Maiestates patruj, felicis recordij, succederet, nonnullas inveniens perpetuas assignaciones super Regijs Secretijs Regni huius aliquibus concessas: In quadam Regia Pragmatica super hoc expresse emanata, hec verba interrupit, videlicet: Congitantibus nobis assidue, quodammodo patrimonium nostre Corone in Regno nostro Sicilie exhaustum invenimus, et reperimus de presenti, illudque pro ingenio et viribus nostris recuperare, et nobilis, nostreque Corone agregare, et adiungere revolvantibus, ut statum nostre domus nostris proprijs erarijs pecunijs et redditibus sustentare possimus, querimus, iuxta posse operam dare, ut reintegrato patrimonio ipso, nostra Maiestas necessitatibus in dies maioribus ne vexetur, etc. Quas quidem assignaciones, ut percepi, ipse dominus Rex Ioannes extinxit, et abolevit; quod etiam si per vestram regiam Celsitudinem fieri contingeret, nullam alicui iniuriam faciendam esse opinor.

Cumque ipse aliquid de Secrecia terre Randacij huius Regni sententiam, illud tacere non oportet; sciat autem Vestra Catholica Maiestas, quod in ipsa Randacij Secrecia, prima facie, quandam unciarum XXXX. annualium invenio assignacionem, per quondam dominum Regem Federicum, cuidam Petro de Rigio seniori messanensi, concessam ad eius vitam tantum, sub servicio duorum equorum.

Exinde vero eusdem Petri, exposcentibus servicijs, idem dominus Rex Federicus assignacionem ipsam dictarum unciarum XXXX annualium, sub eodem servicio duorum equorum, prefato Petro

seniori, pro se suisque imperpetuum heredibus de suo corpore legitime descendentibus, ampliando concessit; ut patet in privilegio dicti Regis Federici, dato Cathanie XIII decembris II Inditionis 1363.

Quo quidem Petro de Rigio seniore defuncto, successit sibi in eadem assignacione Petrus de Rigio iunior, eiusdem Petri senioris filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui Petrus iunior de assignacione ipsa dictarum unciarum XXXX annualium confirmacionem obtinuit a quondam domino Rege Martino iuxta formam privilegiorum dicti domini Regis Federici, ut in privilegio late patet, dato Cathanie XV Augusti, XV Inditionis 1392. Quo domino Rege Martino decedente, idem Petrus iunior aliam de dicta assignacione a domino Rege Ferdinando confirmacionem assecutus est, datam Barchinone VII Januarij 1413; ipsoque domino Rege Ferdinando ab hac luce sublato et in illius Regni Serenissimo domino Rege Alfonso succedente, prefatus Petrus de Rigio iunior ab ipso domino Rege Alfonso, de dicta unciarum XXXX annualium assignacione, confirmacionem etiam obtinuit; sub hac tamen lege et condicione, quod, casu quo prefatus Petrus de Rigio iunior sine filijs de suo corpore legitime descendentibus obiret, posset de dicta unciarum XXXX annualium assignacione, verbo vel testamento, ad unum tantum heredem de sui parentela, quem voluisset et elegeret, disponere ad ipsius heredis tantum vite decursum, et non alius; ut in privilegio dicti domini Regis Alfonsi latius est videre, dato in Castro novo Neapolis XV Februarij 1422, notato in libro dicti anni fol. 482, ac etiam in viceregia privilegij ipsius executoria data Messane XX decembris prime Inditionis 1422, notata in libro dicti anni fol. 410.

Ecce quod per hoc Regium privilegium dicti domini Regis Alfonsi manifeste colligitur, quod idem dominus Rex Alfonso noluit perpetue huiusmodi concessioni, per dictum dominum Regem Federicum facte, stare, cum illa suo Regio patrimonio adeo prejudicialis existeret; tamen, ne in totum illam revocare videretur, eandem assignacionem unciarum XXXX annualium sub dicta forma concessit prefato Petro de Rigio iuniori, quem hoc in casu primum acquirentem constituit, quod si eundem Petrum iuniorem absque filijs de suo corpore legitime descendentibus mori evenisset, de illa ad unum tantum heredem, de sui parentela, ad ipsius heredis vite decursum, disponere posset. Per hoc ergo privilegium agnati et cognati dicti Petri iunioris excluduntur, qui nullo modo in dicta assignacione succedere poterant, nisi legitimi

successores de stipite dicti Petri iunioris. Nam si aliud mens dicti domini Regis Alfonsi dictaret, nolisset quod concessionem dicti dominis Regis Federici una cum alijs confirmationibus inde sequutis revocare suo in privilegio non expressisset, quod si dictus Petrus iunior sine filijs de suo corpore legitime descendantibus obiret, de assignacione ipsa ad unum heredem de sui parentela disponeret, ut predicatur.

Tandem eodem Petro de Rigio iuniore ad mortem deveniente nullis de suo corpore legitime descendantibus liberis, abscondito et sub silencio pretermisso huiusmodi domini Regis Alfonsi privilegio, illiusque viceregia executoria, in ultimis quibus decessit, fuit per illum conditum testamentum et codicillum, in quibus seu in quo eius in dicta assignacione instituit heredes universales Ioannem de Traversa et Iaymum de Passia, eiusdem Petri testatoris nepotes, videlicet ipsum Ioannem natum ex Costancia, Iaymum vero ex Violante, sororibus, utrinque coniunctis ipsi prefato Petro; cum hoc, quod si unus ex dictis eius heredibus sine filijs de suo corpore legitime descendantibus decederet, alter superstes succederet ei in dicta assignacione; et sub dispositione ipsa prefatus Petrus iunior obiit. Quamobrem hic Petrus iunior testator, prima facie, ob ipsam dispositionem testamentariam confitetur eum quasi fuisse primum acquirentem huiusmodi assignacionis; potestatemque habuisse legandi et disponendi etc. tamen veritatem tacuit; non enim provisionem et ordinacionem dicti Regi Alfonsi, supra declaratam, expressit, immo illam in abscondito reposuit; quapropter mihi videtur quod idem Petrus Coronam regiam decipere ausus est.

Ob cuius obitum, tandem in ipsa assignacione prefatus Ioannes Traversa, illius nepos, successit. Qui Ioannes, etiam privilegium antedictum eiusdem domini Regis Alfonsi celando, apparet privilegia dictorum dominorum Regum Federici, Martini et Ferdinandi tantummodo detexisse, que nondum revocata fuerant. Quorum vigore, a quondam domino Infante, tunc in Regno Prorege, de eadem assignacione pro se suisque heredibus imperpetuum de suo corpore legitime descendantibus, investituram obtinuit, sub dicto servicio duorum equorum, ut in provisione ipsa viceregia clarissime liquet, data Messane XX Junij XIII Inditionis 1436; in qua quidem provisione nulla de dicto privilegio domini Regis Alfonsi mentio exprimitur.

Exinde vero, mortuo prefato Ioanne de Traversa sine filijs, in eadem assignacione successit sibi prenominatus Iaymus de Passia,

qui etiam privilegium antedictum domini Regis Alfonsi pretermittendo, illudque domini Regis Federici presentando, de assignacione ipsa a quondam Baptista de Platamone, tunc in Regno Preside, confirmacionem et investituram pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, assecutus est, datam Cathanie ultimo Augusti III Inditionis 1440, notatam in libro dicti anni fol. 606. Qui quidem Iaymus in Regie Curie, regaliumque officialium deceptionem, eadem in investitura exprimi curavit, qualiter ipse Iaymus prefato Ioanni Traversa successit, tam ex testamentaria seu codicillari dispositione dicti quondam Petri de Rigio iunioris; quam etiam ex successione recta linea primi acquisite, ac etiam tanquam consobrinus et coniunctus prefato Ioanni Traversa. Et sic apparet binas in manibus retinere voluisse habenas; cum quarum una ostentare potuisset se heredem fuisse dicti Ioannis ex testamentaria dispositione, cum altera vero ut per se ferret se de parentela ac legitima descendencia primi acquisite fuisse; que duo simul stare minus possunt; tum quia primus titulus domini Regis Federici per privilegium antedictum domini Regis Alfonsi revocatus extitit, ut predicatur; et sic prefatus Iaymus de Passia, reliquique agnati et cognati primi acquisite a dicta successione assignacionis prefate excluduntur; tum etiam quia prenomatus Petrus de Rigio iunior de assignacione ipsa non poterat imperpetuum ad heredes disponere, nisi ad vitam tantum unius heredis de parentela; quo herede mortuo, assignatio ipsa fuisset in eis penitus extincta, et Regie Curie totaliter devoluta. Et nihilominus idem Iaymus de Passia de dicta assignacione pro se suisque imperpetuum heredibus, de suo corpore legitime descendentibus, a quondam Archiepiscopo Panhormitano, tunc in Regno Preside, aliam confirmacionem et investituram habuit; in qua Regie Curie iura, Capitulaque Regni reservantur, ut in dicta investitura continetur, data Panhormi primo Septembris II Inditionis 1453, notata in libro dicti anni, scilicet prime Inditionis fol. 610; et in ipsa investitura minus exprimitur prefatum privilegium dicti domini Regis Alfonsi, de quo preterea in nulla alia investitura mentio facta est.

Quo Iaymo de Passia migrante, successit sibi in dicta assignacione Ioannes Manfridus de Passia, eiusdem Iaymi filius, qui de huiusmodi assignacione nullam cepit investituram.

Et ipso Ioanne Manfrido de Passia defuncto in minori etate, in ipsa assignacione sibi successit Antonella mulier, ipsius Ioannis Manfridi soror et dicti Iaymi de Passia filia, uxor quondam Mathei de Basilico de Randacio; que Antonella de dicta assignacione pro

se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iuxta formam primi tituli etiam a quondam Bernardo de Requisens, tunc in Regno Vicerege, cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum, pretermissa tamen predicta confirmacione sive privilegio domini Regis Alfonsi, in quo est puntus; investituram consequuta est, ut patet in dicta viceregia investitura seu provisione data Panhormi XXVII Augusti XI Inditionis 1463, notata in libro anni 1462 fol. 264.

Finaliter autem assignacio antedicta, causa donacionis propter nuptias, venit ad manus et posse Margaritelle mulieris filie prefate Antonelle. Que Margaritella, quondam Petro Puiades nupsit, cui dictam assignacionem in dotem aportavit; ut in investitura per ipsum Petrum Puiades capta apparet, quam sibi concessit quondam Iulianus Centelles, tunc in Regno Presidens, data die XXI Maij VI Inditionis 1488, notata in libro anni 1487, fol. 406.

Quo Petro Puiades defuncto, assignatio antedicta in posse dicta Margaritelle remansit. Que per eadem Margaritellam hodie, corrente anno 1510, possidetur. Que assignatio, ut predicatur, est unciarum quatraginta, sive . . . . . 07 XXXX.

Propterea, rationibus superius allegatis et aliis, firme sum opinionis Vestram Catholicam Maiestatem assignacionem antedictam sibi sueque Regie Corone vindicare posse; ac etiam totum id, quod sequuta morte dicti Petri iunioris testatoris heredes predicti perceperunt et habuerunt, tanquam eiusdem assignacionis invalidi possessores. Et signanter cum singulare assignaciones super Regijs Secrecijs facte per dominum Regem Ioannem in vim sue Regie Pragmatice incipientis *Cogitantibus nobis assidue revocate fuerint*. Et actencta etiam provisione et limitacione a prefato domino Rege Alfonso facta, assignacio antedicta in heredes transire non debebat, nisi tantum ad vitam unius. Et sic de iure assignatio ipsa revocanda est.

---

**Liverij Terra et Castrum Cum Tonnaria.**

---

Licet de terra et castro Liverij in valle Demine, prope pacensem Civitatem ac territorium castri Tindaris existentibus, per Regni Secreciarum Capibrevium in capitulo Secrecie Civitatis ipsius, satis ample expositum sit, quod tanquam de membris et iuribus Secrecie predictae, una cum eius tonnaria, per quondam Raymundum de Azuar, de quo titulus repertus non fuerat, possidebatur; quodque exinde Raymundus ipse, illa quondam Bartholomeo de Iuenio, primo a quo Bartholomeus de Iuenio illorum modernus possessor descendere asseritur, vendidit, pro ut in ipso Secreciarum Capibrevio; nec non et in magno Capibrevio, in quibus de ipsis terra et castro Liverij cum tonnaria, nec non et de terra Rocelle cum alijs feudis dictum est, haec et alia, ad que me refero, continentur. Nihilominus, quia in quodam Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366, noviter reperto, in cartis 459 quoddam reperitur registratum privilegium a Serenissimo Rege Federico emanatum, de illo quod sensi exponere hoc in loco decrevi. Apparet namque per illud ipsum Regem Federicum quondam Vinchiguerre de Aragonia militi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, terram ipsam cum castro Liverij, sub consueto militari servicio in feudum, antiquis regalijs Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, concessisse. Et nihilominus in illo de ipsa tonnaria nullum exprimitur verbum.

Sed quia semel apparet per dictum privilegium Regis Federici ipsam castrum et terram Liverij prefato Vinchignerre de Aragonia, et suis heredibus, ut supra concessa extitisse; et deinde apparet, post non modicum intervallum, eadem Castrum et terra ad prelibatum Raymundum Azuar, una cum tonnaria antedicta, de quo titulus non apparet, pervenisse; Regia Curia, meo iudicio, fundatam habet intencionem, in petendo a moderno ipsorum castri et terre Liverij cum tonnaria possessore, titulum prelibati Raymundi Azuar, tam ut intelligi possit quo iure et sub qua forma sibi concessa fuerunt; quam ut videatur, si in ipso titulo

de predicta tonnaria et mare Liverij mencio facta est; nec non ut percipiatur quomodo a prelibato Vinchiguerra de Aragonia, vel a suis heredibus, de quibus ad presens non reperitur linea descendens, defecerunt. Nam pluribus rationibus et causis, Regia Curia ipsa castrum et terram Liverij cum eius tonnaria sibi revocare posset et Sacro Demanio redducere. Et ideo edat possidens.

---

**Sancti Stephani de Brica Casalia.**

---

Etsi per Regni Secreciarum Capibrevium, in capitulo Secrechie nobilis civitatis Messane, in cartis 58, de casalibus Sancti Stephani de Brica, in valle Demine et districtu Civitatis eiusdem posita, sufficienter expositum sit; quod casalia ipsa de membris et iuribus Secrechie predictae erant, et Regni statutis obstantibus, ab illa nullatenus segregari poterant; quodque, hoc non obstante, per Serenissimum Regem Federicum quondam magistro Roberto de Naso messanensi, suisque imperpetum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio dato Policij in anno 1359, nec non et cum alio Regio privilegio, postmodum in anno 1371 obtento, concessa fuerant; ob quod successive, usque ad hodiernum, casalia ipsa per descendentes a prefato magistro Roberto de Naso semper possessa fuere, et de presenti possidentur; pro ut in ipso Secreciarum Capibrevio, ad quod me refero, continetur; nihilominus, quia noviter quoddam meas ad manus devenit registrum, anni 1392, quod occupatum extiterat; in quo quoddam reperitur registratum privilegium, in cartis 92, a Serenissimo Rege Martino emanatum, confirmatorium cuiusdam alterius privilegij a dicto Rege Federico in anno 1365 concessio; mihi visum est hoc in loco quid de eo sensi exponere. Apparet namque per illud dictum Regem Federicum quondam Ioanni de Saccano messanensi, suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, dicta casalia Sancti Stephani de Brica eius cum Regio privilegio, dato Messane XIII Maij XIII Inditionis 1365, in feudum concessisse.

**SANCTI STEPHANI DE BRICA CASALIA**

Mortuo deinde dicto Ioanne Saccano, sibi in dictis casalibus successit Petrus Saccanus, eius filius. Qui cum inserto tenore dicti privilegij Regis Federici, ab ipso Rege Martino, XII Octobris II Inditionis 1398 confirmacionem, in Regie Cancellarie libro dicti anni 1392, in cartis 92 registratam, reportavit.

Nihilominus ipsa in Cancellaria, de dictis casalibus Sancti Stephani de Brica nullum aliud privilegium, sive investitura in personam istorum de Saccano concessa reperitur, immo casalia ipsa in posse illorum de Naso, ut predicatur, inveniuntur. Sed cum ratio non possit aliqua assignari quo iure casalia predicta a posse prenominatorum de Saccano defecerunt, mihi videtur illorum possessores modernos ad edendum quo titulo possident, nec non quo iure ab illis de Saccano defecerunt, compellendos esse. Nihilominus est attendendum etiam, quod casalia ipsa Sancti Stephani de Brica sunt de iuribus et membris dicte Secrecie Messane, et propterea inalienabilia et ab ipsa Secrecia nullatenus, quavis ex causa, segreganda; que anno quolibet reddunt . . . , . 07. XXX.

Nihilominus est recte attendendum, quod possessor ipsius casalis ad edendum quo titulo possidet compellatur, ac qua ex causa a Regia Secrecia predicta segregatum fuit casale predictum, nec non quo iure ab illis de Saccano defecit, et istis de Naso iterum pervenit, pro curie Cautela.

---

**Salina in Feudo Raphadali.**

---

Per Serenissimum Regem Ioannem, Vestre Catholice Maiestatis genitorem, quondam Bartholomeo de Montaperto faciendis salinis mineras in feudo Raphadali, eius cum Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1459 in cartis 218 notato, concessio facta est.

Nihilominus ad Regie Curie iura antedictae Saline facte fuerint, an non, est diligenter attendendum.

---



**Salina di Sancto Theodaro in Mari Marsalie et Thonum  
di la Grueta Malfitana in mari Drepani.**

---

Franciscus de Curto, tanquam filius quondam Andree de Curto, tenet et possidet Salinam vocatam de Sancto Theodaro, sitam in mari Marsalie, et Thonum vocatum di la Grueta malfitana, situm in mari Drepani, in feudum, sub servicio militari unius equi armati, virtute Regij privilegij dati in Castronovo Neapolis, XXVIII Marcij X Inditionis 1507, pro se et suis heredibus et successoribus, ex suo corpore legitime descendentibus; de quo habuit viceregiam executoriam datam Panhormi XXI Aprilis X Inditionis 1507, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. . . . Ipseque Franciscus obtinuit investituram de eisdem die VI Marcij X Inditionis 1522, pro se, ut filius dicti quondam Andree in personam cuius fuit concessum dictum privilegium, tam per mortem dicti eius patris; quam ob mortem quondam Serenissimi Regis Ferdinandi, et successionem domini Imperatoris Caroli et Regine Ioanne, eius matris, Regum nostrorum; qui iuravit reddere anno quolibet uncias duodecim, sive . . . . . 07. XII.

---

**Salina in loco Cathaldi et Vinea di Il Parrini Marsalie.**

---

Anthonius, Vincentius de Grignano, pro se suisque heredibus et imperpetuum successoribus, a Vestra Catholica Maiestate construendi quandam Salinam in equoribus insulis et ripis civitatis Marsalie, in loco per eum eligendo in feudum tamen, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio, dato Neapolis ultimo ianuarij X Inditionis 1507, licentiam et facultatem obtinuit.

Cuius vigore Anthonius, Vincentius prelibatus, a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, XXI Augusti XI Inditionis 1507, electa Salina ipsa in loco vulgo dicto de Cathaldu et di la vigna di li Parrini, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 724 notatam, reportavit.

---

**Salina aque Maris vocate di li Bilichi.**

---

Salina vocata di li Bilichi aque maris, in frontispicio insule di la Calcara, fuit per Catholicam Maiestatem domini nostri Ferdinandi Regis concessa Thomasio de Chambris, Regio Algozirio, et suis heredibus et successoribus imperpetuum, sub consueto militari servicio; ut patet in privilegio dicti domini Regis dato in Astorga anno 1506, de quo emanavit viceregia executoria data Panhormi X Marcij anno 1506, notata in libro Cancellarie dicti anni in cartis . . . Tamen nulla de eadem Salina cepit investituram; nunc vero, currente anno 1516, dictus Thomasius Chambræ cepit investituram a don Ioanne de Luna Preside de dicta Salina, ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis, die XXIII Decembris, V Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni in cartis 301, et hoc anno primo reddit uncias decem, et ita tactis scripturis iuravit, sive . . . . . , . . . . . 07. X.

---

**Salina in Marsalia.**

---

Quandam Salinam sitam et positam in stagno sive mari civitatis Marsalie, in insula Tavile, prope insulam Sancti Theodari, et insulam Sancti Pantaleonis, quondam Anthonio de Alexio legum doctori suisque heredibus, eius de corpore legitime descendenti-

BARBERI — *Capibrevi* — Vol. II. 42

bus iure Francorum, sub consueto militari servicio, Serenissimus Rex Martinus, eius cum Regio privilegio dato Cathanie IIII Novembris X Inditionis 1401, concessit.

Mortuo deinde dicto Anthonio de Alexio, sibi eadem in Salina successit Aloysia, eius filia, tunc quondam Petri de Afflicto panhormite uxor. Que, pro se suisque heredibus legitimis, de Salina predicta, cum inserto tenore Regij privilegij predicti, a tunc Regni Proregibus, sub dicto militari servicio, VII Maij X Inditionis 1417, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1416 in cartis 285 notatam, habuit.

Nihilominus a dicto anno usque ad presens, anno 1518 decurrente, de Salina predicta nulla alia scriptura reperitur; minusque in Rollo feudorum notata apparet. Et ideo videndum est in cuius posse existat, ut edat quo titulo possidet. Nam si linea prefate Aloysie extincta esset, recuperari deberet Salina predicta et Secrecie Regie Curie incorporari. Interim autem ponatur in Rollo pro Regij Demanij cautela.

---

**Salina inter Drepanum et Marsaliam.**

---

Vestra Catholica Maiestas domino Gerardo de Bonanno, magistro Rationali, suisque imperpetuum heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendentibus, licenciam costruendi Salinam in insula de Altavilla, infra terminos civitatum Drepani et Marsalie, in feudum, sub consueto militari servicio, eius cum regio privilegio, dato Granate III Aprilis X Inditionis 1492, concessit. Cuius privilegij vigore, dominus Gerardus ipse Salinam predictam construxit, et de illa, tanquam de re feudali, pro se dictisque suis heredibus, a quondam Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XIII Octobris XIII Inditionis 1495, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1496 in cartis 63 notatam, reportavit.

Nihilominus attendendum est, quod Salina ipsa ponatur in Rollo pro Curie indemnitatem.

---

**Salina in Mari Drepani Iacobi Fardella.**

---

Iacobus Fardella, drepanensis, tenet et possidet in feudum perpetuum quendam Salinam, in territorio civitatis Drepani, virtute regij privilegij dati Neapolis XXVI marcij X Inditionis 1507, cum viceregia [executoria data Panhormi XVIII Aprilis X Inditionis 1507, fol. 163.

Et noviter Nicolaus Fardella eius filius, ob mortem domini Regis Ferdinandi, ob longam absenciam dicti eius patris, de dicta Salina a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram, die XVI Februarij V Inditionis, notatam in libro anni 1516 fol. 437; et iuravit dictam Salinam reddere . . . . . 07 XX.

Tamen advertatur quod dictus Iacobus, post habitam executoriam dicti regij privilegij, nunquam de Salina ipsa cepit investituram.

---

**Salina in Drepano et Marsalia.**

---

Don Aloysius de Requisens, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, a vestra Regia Celsitudine construendi Salinas in civitatibus Drepani et Marsalie cum variacione, in feudum sub consueto militari servicio, absque tamen iuris cuiusvis alterius preiudicio, ac Regie Curie iuribus semper salvis, eius cum Regio privilegio dato Neapoli XXVI Iannuarij X Inditionis 1507, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 162 notata, licentiam consequutus fuit.

---

**Salina in Marsalia et Drepano vocata Marinella.**

---

Per quondam Vestre Regie Serenitatis privilegium, datum Neapoli XI Febrarij X Inditionis 1507, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XVII Aprilis Inditionis predictae, patet Berardo Iandayduni, suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, in feudum per Regiam Maiestatem Vestram concessam extitisse licentiam costruendi Salinam in equoribus civitatum Drepani et Marsalie, in loco per eum eligendo, cum iuribus et pertinentijs suis ac cum potestate variandi et mutandi semel, bis, ter, et pluries, ad sui voluntatem, concessam fuisse. Cuius vigore electo per ipsum Berardum sive per eius procuratorem loco vocato la Marinella, et loco li Camuzoli in contrata Puzalli territorij dicte Civitatis Marsalie, et de illo habita per eum possessione a Iuratis Civitatis eiusdem, ipsa Salina constructa fuit, a qua multum lucri consequitur. Et sic Berardus ipse, pro se et dictis suis heredibus, de Salina predicta a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, primo Octobris XI Inditionis 1507, investituram, in Regie cancellarie dicti anni libro in cartis 36 notatam, obtinuit.

Et in presentiarum, anno 1513 decurrente, Salina predicta per prefatum Berardum Iandayduni possidetur; que anno quolibet reddit . . . . . 07 X.

Nihilominus attendendum est, quod Salina ipsa pro Sacri Regij Demanij indemnitatem in Rollo feudorum, noviter conficiendo, apponatur.

Et ultra dictus Berardus cepit de dicta Salina investituram a don Ioanne de Luna Preside, die XXIII Novembris V Inditionis 1516, ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis et successionem Serenissimorum Dominorum Regine Ioanne et Regis Caroli eius filij, filie et nepotis dicti domini Regis Ferdinandi, notatam in libro Cancellarie dicti anni fol. 220; et iuravit ipse Berardus reddere, computato uno anno cum alio, . . . . 07 X.

---

**Saline li Bucchichelli sive de porto in Drepano**

---

Deportus Ioannes de Gallo drepanensis a Vestra Catholica Maiestate, per eius regium privilegium datum Valencie XXVI Maij VI Inditionis 1488, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XXVI Maij VII Inditionis tunc proxime sequentis, pro se suisque successoribus in feudum, sub consueto militari servicio, quasdam Salinas, vulgo dictas li Bucchichelli, per cum construendas in territorio civitatis Drepani, ex aquis maris cum potestate variandi, obtinuit. Nihilominus privilegium ipsum ac dicta viceregia executoria nondum Regia in Cancellaria repertum est (1); tamen dictus Deportus Ioannes de Gallo de Salinis ipsis a Regia Curia civili Civitatis eiusdem possessionem nactus fuit; ac de eisdem pro se, dictisque suis heredibus, VIII Marcij VIII Inditionis 1491, investituram in Regie Cancellarie libro, anni 1490 in cartis 418 notatam, habuit.

Mortuo postmodum dicto Deporto Ioanne de Gallo absque filijs, sibi in dictis Salinis, quas nominavit Salinam Deporto, successit Ioannes de Gallo eius nepos, et sibi ex eius linea masculina in gradu astrictior. Qui Ioannes de Gallo pro se suisque imperpetuum successoribus, de Salina predicta a Ioanne de Paternione Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, XXIII Aprilis X Inditionis 1507, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1506, in cartis 642 notatam, reportavit.

Nihilominus attendendum est, quod dicte Saline ponantur in Rollo feudorum, noviter conficiendo, pro Regij demanij indempnitate.

Tamen est notandum, quod Nicolaus Fardella de civitate Drepani, tenens et possidens dictam Salinam di li Bucchichelli, impetravit ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna, Preside, de dicta Salina investituram, die XVI Februarij V Inditionis,

---

(1) In margine vien però avvertito, di carattere del secolo scorso, che il privilegio fu trovato « Iam est repertum privilegium in anno septime Inditionis 1489, fol. 49. ».

notatam in libro anni 1516 fol. 437, in qua nota investiture narratur, quod ipse emit dictam Salinam a domina Manna uxore quondam Simonis Gallo, veluti heredis quondam Ioannis Gallu, eius filij, ut patet in actis quondam notarij Stephani de Tornerio, die XVIII Iunij XIII Inditionis 1510; et exponit dictam venditionem processisse ex licentia domini Presidentis, data Panhormi XXX Ianuarij V Inditionis instantis, scilicet 1517; quod absurdum videtur et turpe actus dicte venditionis fuisse anno 1510, et licentia Principis hoc anno 1517, licet dictus notarius Stephanus de Tornerio, qui confecit dictum actum, iam mortuus est ultra annos. Et ideo advertatur in his, pro Curie indempnitate, ex quo per calendaria temporum maxima generatur suspicio, et patet Regiam Curia fuisse et esse lesam, licet nec de dicta Manna nec de Simone eius marito, nec etiam de ipso Nicolao Fardella apparet de ipsa Salina aliqua investitura. Nihilominus prefatus Nicolaus Fardella, tactis scripturis, iuravit hoc presenti anno Salinam ipsam nihil reddidisse, verum quod solvit iura granorum quinque officio Regie Cancellarie debita pro reddito unciarum decem . . . . . 07 X.

---

**Salina in Pantano Magno Fari Messane**

---

Quondam don Ferdinandus d'Acuña, tunc Regni Prorex, Basio Signorino, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, licentiam concessit et facultatem construendi Salinam salis aque maris in territorio magni Pantani fari Messane, sub onere tamen solvendi anno quolibet Regie Curie, a tempore quo illam aperuisset, tarenos sex, iuribus Curie et alterius semper salvis; sicuti in eius viceregia provisione data Messane XXI Marcij X Inditionis 1492, et in Regie Cancellarie libro rationum anni 1491 in cartis 195 notata, continentur.

Nihilominus, perquisitis compotis Regie Secrecie civitatis Messane, de dicto censu nullus apparet introitus, ob quod possibile esset Salinam ipsam non fuisse forsan constructam. Et ideo de hoc relacio habeatur, ut Regie Curie indempnitati provideri possit.

**Salina in Brachio Sancti Raynerij Messane**

---

Serenissimus quondam Rex Ioannes, vestri Regij Culminis Genitor, eius cum Regio privilegio dato Cesarauguste VIII Marcij 1463, de quo viceregia emanavit executoria data Panormi VIII Septembris XII Indictionis predictae, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 46 notata; concessit quondam Bartholomeo de Lumbardo legum doctori, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, quinque tuminatas terrarum ad sui voluntatem eligendarum ubi melius sibi videretur, in brachio maris Sancti Raynerij civitatis Messane, prope terras seu territoria Archimandrite versus meridiem, ad opus costruendi Salinam; sub onere solutionis cabelle debite et consuete pro qualibet salma salis ab ipsa Salina extrahendi, nec non granorum decem convertendorum pro fabricatione seu reparatione murorum dicte Civitatis, ac alijs iuribus Regie Curie semper salvis.

Que quidem Salina ibidem constructa fuit, et ab illa sal extrahitur. Nihilominus revisis Regie Secretie Civitatis predictae compositis, de ipso iure census ac alijs iuribus Regie Curie nullus fit introitus. Tamen esse posset, cum cabella salis cum tribus alijs cabellis, puta cannani, biscotti, et saluminis, in quondam Federicum Spatafora suosque heredes alienata fuerit, quod ipsi de Spatafora dicta iura Regie Curie provenientia ab ipsa salina sibi exegerint cum alijs iuribus dicte cabelle salis; sive quod Secretus Civitatis ipsius ex negligencia, sive potius ignorancia dicta iura exhigere hucusque pretermiserit. Quod si ita esset, videlicet quod dicto de Spatafora dicta iura exhigissent, certi iuris est, quod huiusmodi iura indebite sibi usurpassent; nam concessio facta de dictis cabellis dicto Federico Spatafora in anno 1407 per serenissimum Regem Martinum facta fuit, que concessio alias concessionem exinde factas comprehendere non debet.

Et ideo de omnibus habeatur vera noticia pro Regie Curie indemnitatem.

---



**Saline Nicoxie.**

---

Quamquam de Salinis terre Nicoxie, in valle Demine posite, diffusius in Regni Secreciarum Capibrevio, in cartis 240, ac etiam hoc in opere in cartis . . . verba facta sint; nihilominus, quia tunc temporis nullus repertus fuit titulus in personam quondam Anastasij de Taranto et de Gregorio, tunc baronis terre Castanie, in cuius posse dicte Saline reperiebantur; ratio assignari non potuit aliqua, quo iure a Secretia dicte terre Nicoxie, de cuius membris et iuribus fuerant, segregate fuerunt. Noviter autem, reperto per me quodam Regie Cancellarie libro anni 1399, quod deperditum fuerat, in cartis 45 illius quoddam inveni privilegium a Serenissimo Rege Martino emanatum; in quo per dictum Anastasium de Taranto ipsi Regi tradita fuit informacio, quod sui progenitores emptionis titulo dictas Salinas in feudum a Regia Curia habuerant; et de emptione ipsa a Sicilie Regibus confirmationem obtinuerant. Ob quod tam dicti sui progenitores, quam ipse Anastasius, Salinas ipsas a diuturno tempore usque ad generales bellorum revolutiones in regno, post adventum ipsius Regis Martini subsequutas, possederant. Sed quia exinde Anastasius ipse in ipsis bellicis revolutionibus voluntati quorundam baronum rebellium imprudenter adheserat, Saline ipse, eius ob rebellionem, Regie Curie devolute fuerant. Et sic dictus Rex Martinus illas don Lodovico de Aragonia, tunc Regni magistro Rationali, sub certa forma concesserat.

Factaque deinde per ipsum regem Martinum prefato Don Lodovico de Aragonia concessione de terra Tripi, Lodovicus predictus Regie Curie Salinas easdem resignaverat et cesserat, illasque Rex idem quondam Nicholao de Abbella sub certa forma iterum concesserat. Quodque exinde, cum Nicholaus ipse de Abella, de eiusdem Regis consensu, Salinas easdem ipsi Anastasio de Taranto renunciasset, nonnullis contractibus manu notarij Petri de Aquila, ut asseritur, celebratis mediantibus; Anastasius ipse Salinas ipsas tenuit et possedit. Unde idem Anastasius eidem Regi supplicavit, ut sibi Salinas easdem confirmare dignaretur. Ob quod Rex Martinus ipse, actento quod, ut asseruit, eidem Anastasio pepercit, illum-

que in integrum restituerat eidem Anastasio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, Salinas easdem sub illis modis, condicionibus, servicijs, adiectionibus, clausulis, retentionibus et formis, ac iuribus et pertinencijs suis, quibus prefati reges illas progenitoribus eiusdem Anastasij concesserant, iuxta formam privilegiorum eis de dictis Salinis factorum, iuribus tamen Curie et alterius semper salvis; eius cum Regio privilegio antedicto, dato Cathanie penultimo Januarij, VIII Inditionis 1399, confirmavit (1).

Nihilominus pro Curie cautela est diligenter attendendum, quod Regia in Cancellaria nullus reperitur venditionis contractus de dictis Salinis in personam prelibatorum progenitorum dicti Anastasij de Taranto celebratus, sive privilegium aliquod Sicilie Regum confirmacionis huiusmodi venditionis. Et sic ratio dari non potest, qua vigenti et privilegiata causa, Saline ipse a dicta Regia Secrecia segregate fuerunt. Nihilominus quia semel apparet, iuxta informationem per dictum Anastasium traditam, quod Saline ipse emptio- nis titulo illis de Taranto pervenerunt, quibus dicitur successisse prefatum Anastasium de Taranto; mihi videtur oportere omnino ut instrumentum dicte venditionis veniat, ut per illud percipi possit que fuerit causa venditionis ipsarum Salinarum, ac etiam quod fuerit precium venditionis huiusmodi, ut Vestra Catholica Maiestas se regulare valeat; cum forma et provisione Regie Pragmatice, *Post Bella* vocate, disponentis super venditionibus regalium feudorum, et omnium aliarum rerum Regij Demanij, ac indemnitati sui Regij patrimonij, pro ut ex debito requiritur, salubriter providere.

Et quia privilegium dicti Regis Martini, forme privilegiorum per Sicilie Reges predecessoribus dicti Anastasij de Taranto concessorum se refert, congruum videtur illa edi pro Curie cautela. Sed quia de linea et descendencia prefati Anastasij de Taranto, usque ad hodiernum, predictum regni Secreciarum Capibrevium satis ample et complete dictum est, cui me refero, hoc in loco nihil amplius dicendum esse statui. Dicte Saline reddunt. . . 07. C.

---

(1) Sebbene nell' originale questo Capitolo apparisca segnato da due linee trasversali, come di cancellature di mano, a quel che sembra, posteriore; pure per averlo trovato strettamente connesso alla narrazione, abbiam creduto dover nostro il pubblicarlo.

**Molendinum Trahyne.**

---

Quoddam molendinum, in valle Demine et territorio terre Trahyne positum, Serenissimus Rex Martinus eius cum Regio privilegio dato Cathanie XXII Marcij VIII Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 88 notato; quondam Philippo Darturello, quod, ob rebellionem quondam Guglocte la Balba, Regie Curie devolutum fuerat et eidem Philippo Darturello concessum; cum dictus Guglocta per Regem ipsum remissus fuisset, et in restitutionem omnium bonorum suorum, preter quam in dicto molendino admissus, iuribus Curie et alterius semper salvis; confirmavit.

Sed cum ad presens ignoretur ipsius molendini possessor, esset habenda relacio a Secreto dicte terre Trahyne si possidens ipse a prefato Philippo Darturello descendit, ac si fuit Regie Curie de iure saltus iuxta Regni Statuta solutum.

---

**Carricatorium Caronie.**

---

Carricatorium terre Caronie, quod sub administracione magistri Secreti Regni iacet, Serenissimus Rex Ioannes, Vestre Catholice Maiestatis Genitor, quondam Artali de Cardona, Golisani comiti, ad sue tamen Regie dignitatis beneplacitum, eius cum Regio privilegio ac regijs favorabilibus licteris datis Barchinone, X Novembris VI Inditionis 1472; de quibus viceregia emanavit executoria data Panhormi XVI Februarij VII Inditionis 1473, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 156 notatis, concessit.

---

**Cabella Vini Casalis Mascalorum.**

---

Cabella vini casalis Mascalorum in valle Demine existentis , que Regie Curie, ob crimen homicidij per Andream de Andrea, dictum Straza, illius possessorem, in personam Pine eius uxoris patratum, devoluta fuerat; per Serenissimum Regem Martinum quondam magistro Philippo Finochu, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, eius cum Regio privilegio dato Cathanie, primo Marcij XII Inditionis 1403, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 141 notato, concessa extitit.

---

**Redditus unciarum sex  
super Casali Sancti Stephani de Brica.**

---

Licet de Casali Sancti Stephani de Brica (tenimenti Messane, tam magno in Capibrevio in capitulo dicti Casalis in cartis . . . nec non hoc in opere in cartis . . . satis ample dictum sit, qualiter de iuribus et membris Regie Secrecie messanensis; nihilominus quandam patentem regiam licteram, a Serenissima Infantissa Blanca sorore Serenissimi Regis Federici emanatam, inveni; per quam constat Infantissam ipsam quondam Matheo de Garresio et Bonaxie, iugalibus, eorumque heredibus de ipsorum corporibus legitime descendentibus, uncias sex annui redditus super redditibus dicti Casalis Sancti Stephani concessisse.

Cumque exinde dicta Infantissa cum tunc Comite Ampuriarum matrimonium contraxisset, et ad Cathalonie partes iter arripisset, cui prefatus Matheus de Garresio ibi etiam servivisset; Serenissimus Rex Federicus prefato Matheo de Garresio et suis

filijs ex dicta Bonaxia eius uxore susceptis, pro dictis uncijs sex annualibus super provenctibus Casalis antedicti, privilegium prefate Infantisse Blance eidem Matheo concessum, ut supra, confirmavit. Ita quod eisdem filijs seu heredibus iugalium predictorum per cabellotos et Regios procuratores in dicto Casali, de dictis uncijs sex anno quolibet, pro eorum vite substentacione, responderetur; pro ut in eius Regijs patentibus licteris, in Regie Cancellarie libro anni 1367 in cartis 95 notatis, late patet.

Unde clarissime demonstratur dictum Sancti Stephani de Brica Casale de regio fuisse Demanio, ac de iuribus et membris dicte Regie messanensis Secrecie. Quapropter nullo pacto, in totum vel in partem, alienari vel in Baroniam concedi poterat nec debebat. Et ideo conveniens esset, quod possidens ederet quo titulo possidet, et qua ex causa a dicta Regia Secrecia ipsum Casale segregatum extitit, ac quo iure ab illis de Saccano (*sic*) deficit, quibus concessum extiterat.

---

#### Carricatorium Aquarum Dulcium

---

Carricatorium aquarum dulcium, in valle Demine existens, per officiales Carricatorij civitatis Pactarum antiquitus regebatur. Sed cum, ob distanciam utriusque Carricatorij memorati, Regia Curia in eius iuribus non modica pateretur damna, ipsum aquarum dulcium Carricatorium suspensum fuit. Sed cum exinde baro terre et baronie Sancti Filadelli quondam Ioanni la Nuça, tunc Regni Proregi, exposuisset in tenimento ipsarum aquarum dulcium optimam extare turrim, et ibidem maximam diversarum gentium commercium fieri; et quod ab ipso Carricatorio maxime quantitatis victualium et leguminum, tam ipsius baronis, quam diversarum personarum vallis Demine et terre Trahyne, ubi innumere messes exercentur, extrahi potuissent, ob quod Regia Curia non modicam consequuta esset utilitatem et commodum; Vicereus ipse, ad ipsius baronis suasionem et supplicationem, cum interventu et consultacione magistrorum Rationalium Regij Patrimonij Regni

Conservatoris; nec non ad supplicationem Universitatum tam dicte Pactensis civitatis, quam prefate terre Trahyne, dictum aquarum dulcium Carricatorium et portum iterum aperuit. A quo Carricatorio aquarum dulcium extrahendi victualia, pro ut primitus extrahebantur, ad Vestre Catholice Maiestatis tamen beneplacitum, licentiam impartitus fuit; et in ipso aquarum dulcium Carricatorio ad regium beneplacitum Cesarem de Sancto Sepulcro in Viceportulanum, et Antonium de Bellobruno ac notarium Adugerium Bertholo in Portulanotos, nec non Nicholaum de Presbitero Iacobo in Mensuratorem, elegit, creavit et fecit. Qui officiales, pro Curie cautela et indempnitate, ad quamlibet exactionem faciendam tam infra quam extra Regnum, solutis eis iuribus et emolumentis aliis similibus officialibus solvi solitis, intervenire deberent; sicuti in ipsius Viceregis provisione data Panhormi XXVIII Decembris II Inditionis 1498, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 43 notata, continetur.

Et sic Carricatorium ipsum aquarum dulcium, a tempore predicto usque ad hodiernum, apertum remansit et remanet. Et ideo provideatur, quod ad Regie Curie cautelam de ipso Carricatorio fiat Regia in Cancellaria notamentum.

---

**Officium Carcerum Vallium Castri Ioannis et Demine.**

---

Officium carcerum omnium terrarum et locorum Vallium Castri Ioannis et Demine Ioanni Calcaterra, de terra Castri Ioannis, suisque imperpetuum heredibus, Serenissimus Rex Lodovicus, eiuscum Regio privilegio dato Cathanie XXI Augusti VII Inditionis 1354, concessit.

Mortuo exinde dicto Ioanne Calcaterra, sibi in dicto officio carcerum predictorum successit notarius Anthonius Calcaterra, eius filius. Qui cum Serenissimo Regi Martino, tunc regnanti, dictum privilegium Regis Lodovici manu notarij transumptatum obtulisset, de illo ita transumptato cum illius inserto tenore a dicto Rege Martino, suo cum Regio privilegio dato in obsidione Panhormi XII Aprilis 1392, confirmacionem, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 16 notato, reportavit.

---

**Terri di la Curusa in Iacio.**

---

Quedam terre pecia salmarum quatuor, li terri di la Curusa comuniter vulgo nuncupate, in valle Demine et territorio terre Iacij ac in contrada Sancte Venere posita, et via publica ex parte orientis et meridiei; circumdata, ex parte vero occidentis, cum terris Curie, ac ex parte meridiei cum Xara, que olim fuit magistri Ioannis de don Martino; per Manfridum de Allagona, tunc in regno magistrum Iusticiarium, veluti tutorem quondam Marie puelle, olim filie quondam Artalis de Alagona, quondam magistro Guilielmo de Ansalono, phisico cathaniensi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus; ad plantandum in ea vineam et viridarium, et eandem colendum ad fructus producendos, sub onere census salmarum ordei XXIII, ac sub solucionibus solvi consuetis a sumentibus aquas pro irrigando arbores et ortalicia in territorio et contrada predictis; cum potestate illam vendendi et alienandi concessa fuit.

Deinde vero dicta Iacij terra penes Sacrum Regium Demanium existente, Serenissimi Reges Martinus et Maria eidem magistro Guilielmo de Ansalono, suisque heredibus predictis, predictam terre peciam, cum potestate illam rigandi cum eisdem aquis, modo ut supra; sub onere census salmarum sex ordei, tantum et non ultra Regie Curie anno quolibet prestando, facta sibi suisque heredibus supradictis de reliquis salmis XVIII relaxacione, confirmarunt; cum hoc tamen, quod quodocumque ipsa terre pecia plantata fuisset, cum vinea in ea facienda ad fructum reducta extitisset, Regia Curia ex illa, modo debito et consueto, decimam perciperet; quo in casu a solutione dictarum ordei salmarum sex exempta et penitus liberata intelligeretur, sicuti in ipsorum Regum privilegio, dato Cathanie XXVI Iulij XV Inditionis 1392, continetur.

Cumque exinde dictus magister Guilelmus de Ansalono originale privilegium antedictum amisisset, et illius exemplar in registris Regie Cancellarie officij Prothonotarij repertum extitisset, ipsimet Reges eidem Guilelmo predictum privilegium, cum illius

inserto tenore, alio cum eorum Regio privilegio dato Cathanie primo octobris VIII Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 152 notato, confirmarunt.

Nihilominus est attendendum, quod dicta Iacij terra ad presens penes baronem in feudum per Vestram Catholicam Maiestatem concessa, carta gracie reddimendi mediante, reperitur. Unde a Secreto civitatis Cathanie esset habenda relacio de dicto censu; nam si Vestra Regia Serenitas, moderno illius possessori omnes census et antiquas regalias dicte terre Iacij eiusque territorij non concessit, pro Regia Curia reservari omnino debent. Et sic dictus census ipsius Curie esset; et sic omnino est attendendum ut recuperetur pro Regia Curia, nam cum in compotis Secrecie Cathanie de illo nullus fiat introitus, dubitatur ne in predicti baronis posse reperiatur, et existat.

---

**Plance due in Messana et Magasenum.**

---

Per Serenissimum Regem Martinum quondam Nicolao Castagna, suisque imperpetuum heredibus, construendi duas plancas et unum magasenum ad opus macellandi in eis carnes, in contrada Sancti Philippi extra menia civitatis Messane, sub onere census cantari unius sepi pro qualibet planca Regie Curie anno quolibet solvendi; eius cum Regio privilegio dato Cathanie ultimo Maij XI Inditionis 1403, et in Regie Cancellarie libro anni 1402 in cartis 86 registrato, licentia impartita fuit.

Nihilominus in compotis Secrecie Regie Civitatis predictae, de dictis plancis sive de solucione dicti iuris census, nullus fit introitus. Et ideo a Secreto Civitatis eiusdem de his esset habenda relacio, ut percipi possit, si plance predictae constructe fuerunt, pro dicto iure census recuperando.

---



**Isula Comuni Terre pecia in Iacio.**

---

Quandam terre peciam Regie Curie, la Isula comuni vulgo nuncupatam, in valle Demine et territorio terre Iacij existentem, quondam Iacobo de Aricio siracusano suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub onere salmarum quinque ordeï Regie Curie annuatim persolvendarum; sed quando terra ipsa in vineam transferretur sub solucione iuris decime, et dictum ius census, dictarum salmarum quinque ordeï extingueretur; Serenissimus Rex Martinus concessit; cum hoc tamen, quod ipsa terre pecia cum aquis fluminis labentis ad molendina Regie Curie terre eiusdem, illiusque vinee, viridaria et arbores, irrigari possent, et dictus Iacobus de Aricio, dictique sui heredes a iure huiusmodi rigacionis exempti essent et immunes; sicuti in ipsius Regis Martini privilegio dato Cathanie XV Marcij XII Inditionis 1403, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 124 registrato, hec et alia late patent.

Nihilominus est videndum, si in privilegio baronis terre predictæ Iacij continetur fuisse sibi concessas cunctas terre eiusdem, ipsiusque territorij regalias, licet concesse et alienate fuerint. Nam si illi concesse non fuerunt, census predictus ac decimas, aliaque iura, Regia Curia recuperare posset.

---

**Censualia Randacij.**

---

Cum de censualibus terre Randacij, de membris et iuribus Regie Secrecie terre eiusdem, per Regni Secreciarum Capibrevium, in capitulo dicte Secrecie, in cartis . . . satis diffuse verba protulerim; nihilominus quia nonnulla alia censualia in eadem terra existencia, olim per quondam Moctam Spatafora drepanensem pos-

sidebantur, de quibus in ipso Capibrevio nulla facta fuerat mentio, mihi visum est de illis hoc in loco aliquid exponere.

Cum ergo dictus Mocta Spatafora ad mortem devenisset, eius cum testamento iure institutionis et recognitionis nature, censualia ipsa per eum ut predicatur possessa, quondam Marie filie Dionisij de Peregrino et Antonie iugalium dimisit; cum hoc, quod si dictam Mariam in minori etate vel sine liberis legitimis mori contigisset, censualia predicta prenominate Anthonie, matri prefate Marie, et predicti Dionisij uxori, cederent. Si autem dictam Anthoniam sine liberis decedere evenisset, censualia eadem ad eum vel eos pervenirent, qui in castro sive casali Martinorum succederent, prout in dicto testamento, manu notarij Nicholay de Casarino celebrato, continetur. Quam testamentariam dispositionem Serenissimus Rex Martinus prefatis Marie et Anthonie, in casu dicte successionis, eorumque heredibus de ipsorum corpore legitime descendentibus, in feudum, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio dato Messane XXVIII Iulij VII Inditionis 1404 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 27 notato, confirmavit.

Nihilominus, actencto quod censualia ipsa de membris et iuribus Regie Secrecie prefate terre Randacij existunt, tam propter non captas investituras, quam propter non prestitum militare servicium, quod usurpatum extitisse patet, cum censualia ipsa in Rollo feudorum annotata non reperiantur, debent omnino revocari et Regie Curie, sive eidem Regie Secrecie, penitus restitui.

---

**Officium Portulanoti. Leontini et Bruce.**

---

Officium unius ex Portulanotis portus maritime et carricatorij terre Leontini et Bruce quondam Ansaldo de Gregorio, messanensi, ad eius vitam Serenissimus Rex Martinus concessit; quam concessionem exinde eidem Ansaldo, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, eius cum Regio privilegio, dato Messane XV Augusti XII Inditionis 1404, ampliavit.

BARBERI — *Capibrevi* — Vol. II.

44

Mortuo postmodum dicto Ansaldo de Gregorio, sibi in dicto officio successit Ginebra de Pactis, eius filia legitima et naturalis ac maior natu; que, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de officio eodem a tunc Regni Proregibus, fidelitate regia, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, VIII Februarij, X Inditionis 1416 confirmationem, in Regie Cancellarie dicti anni in cartis 114 registratam, reportavit.

Decedente demum dicta Genebra de Pactis, sibi in dicto Portulanoti officio successit Angela eius filia, tunc uxor quondam Petri Biguagna. Que cum inserto tenore dictorum privilegiorum, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de officio ipso a tunc Regni Proregibus, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, XIII Marcij VI Inditionis 1426 confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 52 notatam, habuit.

Habeatur relacio ab officialibus regionalis Cammere, quis in presentiarum dictum officium, et quo titulo possidet; nam in Cancellaria nulla alia scriptura invenitur.

---

**Tonnaria a Capite Orlandi usque ad Caput Monjoy. Tonus sive Palamidarium.**

---

Manfridus de Trento legum doctor, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, a Vestra Regia Celsitudine, suo cum Regio privilegio dato Valencie X Aprilis VI Inditionis 1488, de quo viceregia emanavit executoria data Messane primo Septembris XIII Inditionis 1495, in Regie Cancellarie libro anni 1494, in cartis 696, construendi tonnariam in maritima vallis Demine, a mari capitis Orlandi usque ad caput Monjoy, quod est prope tonnariam Oliverij; cum potestate variandi de uno loco ad alium ac etiam faciendi ibidem tonum sive palamidarium ad opus piscationis tannorum et aliorum piscium, sub onere solvendi Regie Curie id quod pro similibus concessionibus, per Vestrum Regium Culmen aliosque Sicilie Reges factis, solvi consuevit, licentiam et facultatem obtinuit.

**Redditus unciarum XXIII super Assisa quartuchij  
Vini in Casali Mascallarum**

---

Serenissimus Rex Federicus, eius cum Regio privilegio dato Cathanie VI Maij XIII Inditionis 1361, quondam Regali mulieri de Balduno suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum, absque alicuius prestacione servicij, uncias XXIII annui redditus, provisionis nomine, super pecunijs assise quartuchij vini imposite, in casali Mascallarum, in excambium omnium molendinorum Regie Curie, que Regalis de Balduno ex Regia concessione possidebat in terra Paternionis, quousque de equivalenti excambio provideretur, concessit.

Postmodum autem, Rex idem Federicus prefate Regali, in eius maioris provisionis et gratie augmentum, suisque heredibus predictis, omnes redditus dicte assise quartuchij vini concessit, sicuti in eius Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366, in cartis 437 notato, continetur.

---

**Redditus unciarum L<sup>ca</sup>.  
super Carricatorio Montis Clari.**

---

Uncie quinquaginta annui redditus per Serenissimum Regem Alfonsum quondam Ioanni de Caro suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, super tractis et exituris carricatorij eius feudi Montis Clari, ad effectum bene custodiendi eius castrum et partes maritimas illi propinquas timore piratarum et inimicorum ibi frequentare assuetorum, eius cum Regio privilegio, dato in Civitate Iscle XXVIII Februarij 1463, concessse fuere.

Quod privilegium quondam Bernardus de Requisens, tunc Regni Prorex, post mortem dicti Ioannis de Caro, quondam Calcerando de Caro, eius filio, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, ex Regia potestate sibi certo modo tributa, sua cum viceregia provisione data Panhormi V Decembris 1464, et in Regie Cancellarie libro anni 1463 in cartis 229 notata, confirmavit.

---

**Redditus unciarum CLXXXIII Super Portibus Cathanie  
et Regni. aut Super excadencijs. (1)**

---

Serenissimus Rex Alfonsus suo cum Regio privilegio, dato in Campo Bonifacij in anno 1421, super omnibus Regni Portibus et signanter super Portu Cathanie, quondam Ioanni de Montecateno, Adernionis Comiti, ad eius tantum vitam, uncias ducentas annuas concessit.

Crescentibus exinde dicti Ioannis de Montecateno servicijs, Rex idem ipsimet Ioanni, suisque heredibus et successoribus eius de corpore legitime imperpetuum descendentibus, dictam gratiam prefatarum unciarum ducentarum ampliavit, concludendo illis Portum civitatis Cathanie predicta quantitate unciarum ducentarum, quas etiam pro alijs Portibus Regni et Carricatoriis extrahere, consequi et habere posset sicuti antea solebat; quemadmodum in alio ipsiusmet Regis privilegio, dato in Castronovo Neapolis XXVII Aprilis II Inditionis 1423, continetur.

Deinde vero prefatus Rex Alfonsus eius cum regijs provisionibus providit, quod idem Ioannes de Montecateno easdem uncias ducentas

---

(1) Da questo punto in poi il ms. prosiegue di carattere degli ufficiali della R. Cancellaria che supplirono, in sullo scorcio del secolo passato, le pagine del volume logorate con l'uso. I copisti aggiunsero i dittonghi, che ho naturalmente trascurati per mantenermi fedele all'originale; e in buona copia gli errori, che rendono più arduo lo stile adoperato dal Barbieri nella sua magniloquente narrazione, oscurandone il concetto.

super excadencijs, obventionibus, morticijs, Comitibus, Baronijs, castris, feudis et alijs bonis burgensaticis Regie Curie in dicto Regno devolvendis et acquirendis, etiam consequi et habere possent, sicuti in eius regijs provisionibus contineri asseritur; quarum virtute exponitur, tunc Regni Proreges eidem Ioanni Comiti Adernionis, ut supra, duo feuda, in territorio Castri Ioannis existentia, proucijs sex annui redditus, nec non et quedam censualia terre Randacij redditus unciarum decem, Regie Curie per accidenciam aut alias devoluta, et sic in summa uncias sexdecim annuales assignasse; que uncie sexdecim a quantitate dictarum unciarum ducentarum deducte et excomputate fuerunt.

Deveniente postmodum Regia Curia ad necessitatem, Rex prefatus Alfonsus dictas concessionones et assignationes ac alias quascunque super Regni Portubus et Carricatorijs ac Regijs excadencijs et morticijs factas, suspendit; adeo quod dictus comes Ioannes ac comes Guilielmus Raymundus de Montecateno, eius filius, prelibata eorum gratia et concessione gaudere amplius non potuerunt.

Respirantibus nihilominus exinde dictis regijs necessitatibus, Rex idem Alfonsus, ad predicti Gulielmi Raymundi de Montecateno, filij et heredis prefati quondam Ioannis de Montecateno, supplicacionem, alio cum eius Regio privilegio, dato Neapolis XX Septembris x Inditionis 1446, eidem Gulielmo Raymundo de Montecateno prelibatas concessiones, licteras et assignaciones eisdem factas, omniaque et singula in illis contenta prout iacebat de verbo ad verbum acceptavit et confirmavit; eidemque Gulielmo Raymundo de Montecateno suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, etiam concessit, quod vigore dictarum regiarum licterarum unciarum centum octuaginta quatuor restantes a dictis uncijs ducentis, ut predicatur, seu tot tractas, que dictam summam uciarum centum octuaginta quatuor caperent, super omnibus Regni Portubus seu Carricatorijs, et signanter super Portu Cathanie, preter quam super Portubus Regie Curie reservatis, consequi et habere; sive dictas tractas per se aut eorum procuratores et factores ab omnibus dictis Portubus, et precise ab ipso Cathanie Portu, exceptis reservatis ut supra, iuxta formam Capitulorum per dictum Regem factorum et firmatorum, et non alias; privilegij et provisionibus per Regem eundem dicte Civitati Cathanie super tractis Portus, indultis non obstantibus, extrahere possent, cum assignacio huiusmodi sit anterior, et illius primos introytus specificce obligatas teneant; concessitque eidem de Montecateno similiter quod, devoluto aliquo feudo sive baronia Regie Curie modo

quo supra, idem de Montecateno easdem uncias centum octuaginta quatuor super feudo ipso sive baronia habere posset, restitutis tamen prius eidem Regie Curie omnibus predictis privilegijs et provisionibus pro ipsa assignacione obtentis; sicuti in alio eius Regio privilegio. dato in anno 1446 ut supra, hec et alia seriusius expressantur.

Quod privilegium Serenissimus Rex Ioannes, vestre Catholice Maiestatis Genitor, cum illius inserto tenore, prefato Gulielmo Raymundo de Montecateno acceptavit et confirmavit, prout in eius Regio privilegio, dato Barchinone primo Ianuari VIII Inditionis 1460; de quo viceregia emanavit executoria, data Messane XXI Iunij VIII Inditionis predictae et in Regie Cancellarie rationum libro anni 1459 in cartis 351 notata, latius exponitur.

Attendum tamen est quod de dicta summa prefatarum unciarum centum octuaginta quatuor prenominatus Gulielmus Raymundus de Montecateno quondam Carulo de Gravina suisque imperpetuum heredibus et successoribus, ac quibus voluisset, uncias viginti annuas super tractis per eum extrahendis modo quo supra, donacione inter vivos inrevocabili, suo cum comitali privilegio, dato apud fontem Chuppi 22 Iulij VII Inditionis, concessit; quam donacionem tunc Regni Prorex, suo cum viceregio privilegio dato Panhormi in anno 1459, et in Regie Cancellarie libro anni 1458 in cartis 269 notato, acceptavit et confirmavit; de quo etiam magno in Capibrevio in capitulo Rationum Officij Magistri Portulani Regni, in cartis 369, facta est mentio.

---

**De Redditibus sub recognitione Tarenti unius pro qualibet uncia. Redditus unciarum XX super Excadentijs.**

---

Percipiat tua regia Serenitas, Catholice Princeps, gloriosos Siciliae Reges, tui regij Culminis Progenitores, nonnullis personis, tam eorum intuitu serviliorum, quam alias, aliquos redditus assignationes et bona. tam imperpetuum, quam alias; sub annua recognitione tarenti unius pro qualibet uncia Regie Curie prestan-

da, concedere consuevisse. Quod cum Vestra regia Celsitudo, a tempore quo felicissime regnat, tanquam de huiusmodi antiqua consuetudine forte non informata adhuc non fuerit, minusque eadem consuetudine aliquem uti viderit; nihilominus cum semel de tuo Regio iussu huiusmodi regaliarum feudorum, beneficiorum et aliarum Regni rerum Capibrevium per me componatur, mihi visum est de omnibus, pro et contra, Vestre Catholice Maiestati plenariam iuxta illius iussa notitiam traddere.

Dico enim nonnullas regia in Cancellaria concessionibus et gratias de redditibus et aliarum specierum assignacionibus per Serenissimos Sicilie Reges, sub onere annue recognitionis tareni unius pro qualibet uncia Regie Curie prestande, aliquibus factas reperiri; ob quod tot donacionibus et concessionibus de redditibus et alijs bonis Regie Curie factis diligenter consideratis, cum tuum regium Culmen huiusmodi recognitione uti vellet maximum Regie Curie augmentum, et emolumenta non modica sine ullius iniuriæ elargiretur; quod nihilominus meliori iudicio tanti Regis propterea remittitur.

Et ad maiorem predictorum notitiam pro veritate dilucidanda, hoc in loco quandam patentem provisionem a Serenissimo Rege Federico, super concessione quondam Petro de Romano medico de uncijs viginti annualibus super redditibus cabellarum Regie Curie Secretie messanensis, sub annua recognitione tareni unius pro qualibet uncia redditus Curie prestanda, facta, emanatam; de verbo ad verbum inserendam esse duxi. Que huiusmodi est continentie videlicet:

Federicus Dei gratia Rex etc. Secretis et magistris Procuratoribus Sicilie, vel Secretis aut Vice Secretis civitatis Messane, tam presentibus quam futuris, fidelibus gratiam etc. Olim de mense Septembris VI Inditionis proxime preterite, nobili Corrado Lanceo de Castro Manardo, militi, Secreto et magistro Procuratori totius Sicilie, et una cum nobili Henrico Rubeo de Messana, milite, Magne Regie Curie magistro Rationali; consiliarijs, familiaribus, et fidelibus nostris, per licteras nostras mandavimus ut magistro Petro Romano medico, civi Messane, familiari nostro, cui dudum infra annum XIII Inditionis nuper elapse; consideratis fide et devotione sincera, quam ipse erga Maiestatem nostram promptu zelo gessit et gerit, nec minus fidelibus et gratis servicijs per eum Culmini nostro fideliter et devote collatis, et que, aucthore Domino, conferre poterit in futurum; tanquam benemerito et heredibus imperpetuum in annuo reddito unciarum auri viginti, ponderis generalis, de



morticijs et excadencijs nostre Curie, sub recognitione unius tareni pro qualibet uncia dicti annui redditus, de liberalitate mera et speciali gratia, nostra providerit Celsitudo uncias auri duodecim ponderis predicti; ad quas in generali provisione per Curiam nostram facta, propter plures et diversas expensas, quas Curia nostra oportebat subire, dicta provisio modificata fuit. Reliquis uncijs octo per nos sibi propterea inde subtractis, eidem magistro Petro suisque heredibus imperpetuum, a primo Septembris dicte VI Inditionis in anthea, sub recognitione unius tareni pro qualibet uncia dicti annui redditus, per eum et heredes suos nostre Curie exhibenda donec ei, vel eius heredibus, bona annui redditus dictarum unciarum auri duodecim de morticijs et excadencijs Curie nostre per eandem Curiam assignari continerit; de pecunia Curie proventuum et reddituum cabellarum et iurium Curie civitatis Messane, spectantium ad Secretie et procurationis officium, exhibere deberent. Verum, quia supplicationem ipsius magistri Petri Culmini nostro factam, ipsiusque consideratis fidelibus servicijs per eum Culmini nostro prestitis et que conferre poterit in futurum, ad provisionem dictarum unciarum viginti sub recognitione tareni unius pro qualibet uncia liberaliter et gratiose duxerimus reducendum; fidelitati vestre mandamus, quatenus eidem magistro Petro et suis heredibus imperpetuum, aut nuncio suo, presentes vobis licteras ostendendi, tu presens Secretus et magister Procurator Sicilie, vel Secretus vel Vice Secretus Messane, quantitatis pecunie contingentis Curie de ipsis uncijs auri viginti, a XXVII Martij presentis VIII Inditionis, quo ipsum ad provisionem ipsam redduximus, in antea, usque per totum mensem Augusti inditionis eiusdem; vosque futuri Secreti et magistri Procuratores Sicilie, vel Secreti seu Vice Secreti dicte civitatis Messane, a primo Septembris proximi futuri VIII Inditionis, in quam quomodolibet anno, donec ei vel eius heredibus bona annui redditus dictarum unciarum auri viginti de morticijs et excadentijs Curie per eandem Curiam contingerat: predictarum unciarum auri viginti, sub eadem recognitione de pecunia Curie proventuum et reddituum cabellarum et iurium Curie dicte civitatis Messane spectantium ad Secretie vel procurationis officium, que est vel erit per manus vestras, pro parte Curie nostre tribuatis; recepturi ab eo vel eius nuntio exinde apodixiam, suo vel nuntij sui eandem sigillo munitam. Presentes autem licteras nostras, postquam eas in publicam formam feceritis reddigi, ad cautelam vestram servandam; quam tam ad nos quam ad singulos successores vestros omnem vim et robur habere volumus, predicto magistro Petro vel eius nuntio resignetis, per eum vestri succes-

soribus ostendendas. Datum Messane, sub sigillo parvo nostro secreto, II Aprilis VIII inditionis.

Sed ne forte obijci possit ipsum solum Regem Fredericum huiusmodi provisione seu recognitione uti, inveni quod, mortuo dicto magistro Petro Romano, sibi successerunt Paulus et Iordanus de Romano, eius filij, quibus Serenissimus Rex Petrus secundus dictum ius redditus imperpetuum, sub dicto onere et recognitione tareni unius pro qualibet uncia Regie Curie annuatim solvendi, tandem confirmavit.

Post mortem autem dicti Pauli de Romano, prefatus Iordanus de Romano, eius frater, idem ius redditus et assignationis quondam notario Ioanni et notario Nicoloso pro pretio unciarum septuaginta vendidit, Serenissimusque Rex Lodovicus venditionem ipsam cum dicto onere, seu annua recognitione dicti tareni unius pro qualibet uncia ut supra, etiam confirmavit; sicuti in omnibus prenominationis privilegijs et patentibus licetis prefatorum trium Regum, in Regie Cancellarie libro anni 1367 in cartis 139, 140, 141, 142 registratis, continentur; que omnia privilegia et provisiones, ne in longum opus trahatur, similiter inseri mihi non visum est, nisi tantum de illis dictam facere mentionem.

Attendum tamen est, quod dicte uncie viginti super dicte Regie Curie iuribus, ita imperpetuum concedi, et de inde in Regni Statutorum preiudicium vendi non poterant. Nihilominus in compotis Regie messanensis Secretie de predictis tarenis viginti annuallibus, pro dictis uncijs viginti annui redditus, nullus fit introitus; et sic videtur census predicti ius usurpatum extitisse et occupatum. Preterea ignoratur per quos huiusmodi redditus possideatur; et ideo procurare debet (*sic*). Qua propter, non solum canonem revocetur, sive quod pro pretio iuxta formam Regie Pragmatice *Post Bella* una cum redditibus pro annis preteritis occupatis et non solutis recuperetur in similibus; nec minus concessionibus Vestre Catholica Maiestas id exequi omnino debet; illud namque (*sic*) Sicilie Reges, vestri regij Culminis progenitores, etiam exequi iuridice non postposuerunt (1).

---

(1) Non fa d' uopo ripetere che l' ufficiale addetto a copiare le pagine logore dell' originale, era persona poco intelligente della lingua latina.

**Cabella Vini Cathanie**

---

Etsi per Capibrevium Regni Secretiarum plenissima data sit Vestre Catholice Maiestati notitia de Cabella vini civitatis Cathanie, que est trium quartuccionum pro qualibet quartaria vini, quod ad minutum venditur per tabernas, tam intus dictam civitatem quam extra; que cabella tamquam de iuribus et membris Regie Secretie civitatis eiusdem maximi redditus antiquitus erat ac de principalioribus membris illius, et ad presens mediantibus alienationibus de aliquibus partibus ipsius notabilis cabelle factis, et maxime de vino quod venditur extra menia civitatis eiusdem, in casali Mascularum; cabella ipsa paucissimi redditus est, et quomodo- documque sit, anno quolibet reddit uncias centum viginti quatuor. Nihilominus, ut Vestra Regia Serenitas de cunctis alienationibus per Sicilie Reges, et signanter per Serenissimum Regem Alfonsum diversis personis factis, cum quibus dictas tabernas exemptas fecit, notitiam habeat mihi visum est; de eisdem alienationibus et franchitijs dicte cabelle particulare facere notamentum, ut regia Curia possit aliquando Cabellam ipsam adeo notabilem recuperare et ad pristinum statum in regalis patrimonij augmentum reducere, pro ut iuris est.

Sed quia in dicto Secretiarum Capibrevio tantummodo facta est mentio de franchitijs vini vinearum per dictum Regem Alfonsum venditis et alienatis infrascriptis personis videlicet: quondam Andree li Castelli eius cum Regio privilegio dato in anno 1421; item quondam Baptiste de Platamone cum privilegio dato in anno 1431; item Ludovico de Alferio ex privilegio dato in anno 1444; item heredibus quondam Ioannis de Vitillino ex privilegio dato in anno 1424, et Monasterio Sacte Marie de Novaluce ex privilegio dato in anno 1443, sicuti in ipso Capibrevio continetur; mihi visum est etiam hoc in opere reliquas alienationes dicte Cabelle vini, tam intus quam extra dictam civitatem, et signanter in casali Mascularum, enarrare.

---

**Cabella Caxie Vini ex Vinea Nessime Cathanie**

---

Serenissimus Rex Alfonsus quondam Sancio de Heredia suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, totum et quodcumque ac integrum ius Cabelle Caxie Vini, ad regiam Secretiam civitatis Cathanie spectans, pro Regia Curia a quocumque vino faciendo, cultivando, et colligendo ex quadam eius vinea in territorio dicte civitatis, in loco dicto Nessima posita, cuiuscumque sit longitudinis et latitudinis; ita tamen quod ius ipsum uncias auri quindecim non excederet, pro pretio unciarum centum, eius cum Regio privilegio dato Cathanie III Novembris II Inditionis 1423, de quo vicarialis emanavit executoria a Serenissimo Infante don Petro, predicti Regis Alfonsi fratre, tunc in regno generali Vicario, prefato Sancio de Heredia suisque heredibus et successoribus quibuscumque concessa. Datum Salem III Januarij 1425, et in Regie Cancellarie libro anni 1424 in cartis III notatum, concessit.

Sed quia dictum privilegium Regis Alfonsi prefatum Sancium de Heredia, suosque heredes, eius de corpore legitime descendentes, nominat, mirandum est quare dictus Infans don Petrus formam ipsius Regij privilegij transgressus fuerit, et illud dicto Sancio de Heredia, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus quibuscumque, ut predictur, confirmaverit. Et sic firme sum opinionis, quod ipsa vicarialis executoria prefato Regio privilegio prejudicare non potest, precipue cum dictus Infans Rex non fuisset, ob quod contra regiam mentem et voluntatem dictam formam ampliare non poterat.

Et ideo veritas inquiratur, et an stari debeat stricte forme dicti regij privilegij diligenter attendatur. Nam esse potest, quod in presentiarum heredes legitime de corpore dicti Sancij de Heredia descendentes, non reperiantur, et Regia Curia tali casu facilius dictum ius Cabelle, ut supra venditum, recuperare possit; nam confirmatio dicti Infantis don Petri iuxta formam dicti regij privilegij interpretari debet.

Preterea inquirendum est, an dicta vinea sit in esse, et in cuius posse existat, et si est in posse heredum dicti Sancij de He-

redia, ac heredes predicti utuntur, et gaudent dicta franchitia pro dicta tantum vinea; nam possibile esset quod franchitia eadem uterentur pro vino aliarum vinearum et tabernarum, quod esset contra formam privilegij in non modicum regionum dirictuum preiudicium. Et ideo per regios Officiales circa Regie Curie indemnitatem providendum est.

---

**Cabella Caxie Vini. Vinee di la Picagna Cathine**

---

Ius Cabelle Caxie vini trium quartucciozum vendendi ad minutum, pro qualibet quartaria civitatis Cathine eiusque territorij et districtus, ex vino vinee quondam Antonij et Petri de Castellis, di la Picagna nuncupate, site et posite in quarterio Iacij; ac ex vinea per eundem Antonium vel prefatum Petrum de Castellis, patrem et filium, in eorum clausuris positis in dicto territorio Iacij plantanda, proveniendum; eorum tantum vita durante, pro precio unciarum centum sexaginta, Serenissimus Rex Alfonso vendidit eisdem Antonio et Petro de Castellis patre et filio, non obstante Siracusano Capitulo, per quod iura Secretiarum alienari prohibetur, cum de iuribus et membris Regie Secretie eiusdem civitatis sit, cum clausula scilicet: Et si forte vinee et plante ipsius Antonij fuerint in alium vel alios filiorum dicti Antonij, quomodolibet post eius obitum translate, ius tantum predictum in ipsum Petrum modis omnibus remaneat et integre persistat, etc; eius cum Regio privilegio, dato Cesare Augusto XVIII Iunij 1425, de quo viceregia emanavit executoria, predictis Antonio et Petro de Castellis dum vixissent, data Cathanie VI Octobris IIII Inditionis 1425, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 72 notata.

Et nihilominus habenda esset a Secreto dicte civitatis Cathine relatio, si post mortem dictorum Antonij et Petri de Castellis, possessores dictarum vinearum dicta franchitia, in vim dicti regij privilegij concessi, tantum ad vitam predictorum Antonij et Petri, quod non transit ad heredes, uti fuerunt, et utantur. Nam in

compotis dicte Regie Secretie apparet Andream de Castellis huiusmodi franchitiam pro sua vinea retinere; et esse posset, quod dictus Andreas de descendentibus predictorum Antonij et Petri de Castellis esset, signanter quod in Cancellaria de dicto Andrea de Castellis pro dicta franchitia nullus apparet titulus sive privilegium; ob quod regia Curia lesa in suis iuribus videretur.

Requisitis exinde nonnullis personis huiusmodi Cabelle vini Cathanie franchicie et immunitatis possessoribus, ut eorum titulum demonstrarent in vim regiarum Instructionum, per tuam regiam Celsitudinem mihi commissarum, ex parte Andree de Castellis, moderni possessoris franchitie ipsius, fuit mihi oblatus quidam publicus contractus, manu quondam notarij Iacobi de Gravina in urbe felici Panormi XVIII Martij XIII Inditionis 1420 celebratus, per quem Serenissimus Rex Alfonsus quondam Andree de Castellis cathaniensi, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, ius cabelle sive drectus caxie trium quartucciozum vini, pro singula quartaria vini vendendi ad minutum, tam in dicta civitate Cathanie et terra Iacij, quam in eorum territorijs per dictum Andream et suos heredes ex vino perventuro ex quadam vinea magna ipsius Andree, sita et posita in territorio dicte terre Iacij; videlicet, de illa vinea que olim fuit quondam Artalis de Alagona, quam idem Andreas emptionis titulo possidere asserebat; pro pretio unciarum centum quinquaginta vendidit. Qui quidem contractus exinde per notarium Nicholaum de Francavilla XVIII Octobris VIII Inditionis 1430 in publicum transumptum translatus fuit, et de ipso contractu Regia in Cancellaria nullus apparet actus sive scriptura.

Nihilominus attendendum est et considerandum ne forte dicta franchitia pro alia vinea, quam pro vinea superius in capitulo exposita, ad vitam dictorum quondam Antonij et Petri de Castellis concessa, comprehendi debeat; et ideo videndum est si dictum membrum ipsius cabelle Regio patrimonio adeo prejudiciale perpetuo alienari poterat; sed quia dictum ius trium quartuciorum pro qualibet quartaria, cum vinea sit valde grandis, maximi est redditus, Regia Curia cum dictum ius drectus pro pretio unciarum centum quinquaginta, contra Regni Statuta perpetuo alienatum existat, non modicum commodum deperdit; esset omnino conveniens, ut circa illius recuperationem, virtute Capituli Colloquij Siracusani, actenderetur; sive aliqua daretur forma, per quam ad minus dicte uncie centum quinguaginta restituerentur, ut ius predictum dicte Regie Secretie restitui posset.

Quo vero ad dictam vineam prelibatorum Antonij et Petri de Castellis, ut supra expositam, esset a Secreto dicte civitatis Cathine habenda relatio, an sit in esse et per quem possidetur, ac si de illa debitum ius Regie Curie persolvitur; nam in ipsius Secretie compotis de iure ipso nullus fit introitus.

---

**Cabella Vini sive Redditus Unciarum CXV Super dicta Cabella et Redditus Unciarum X Super Cabella Vini Casalis Mascalarum extra Cataniam.**

---

Ioannes de Montecatheno ex concessione sibi per Serenissimum Regem Ferdinandum, Vestri Regij Culminis avum, facta pro eius assignatione annua ad eius tantum vitam, florenos auri Aragonum mille, sibi super nonnullis iuribus et regijs directibus in Regno Aragonum solvandos, tenebat et percipiebat. Nihilominus exinde idem Rex Ferdinandus eidem Ioanni de Montecatheno predictam eius assignationem ad hoc regnum commutavit, ipsosque florenos mille super iuribus tractarum Regni eiusdem Sicilie anno quolibet consequeretur.

Postmodum autem Serenissimus Rex Alfonsus prefato Ioanne de Montecatheno ipsam assignationis concessionem ad unum ipsius heredem, suo cum Regio privilegio dato in obsidione Bonifacij VIII Ianuarij 1421, ampliavit.

Similiter idem Rex Alfonsus prefato Ioanni de Montecatheno suo cum Regio privilegio, dato Neapoli XIII Aprilis 1423, ipsam assignationem dictorum mille florenorum auri de Aragonia, super iuribus et introitibus cabelle domorum Regie Secretie civitatis Nothi, tam si dicta cabella dictam summam florenorum mille transcenderet, quam si ad dictam summam non ascenderet, commutavit.

Cumque exinde idem Rex Alfonsus dictam civitatem Nothi cum eius redditibus, cabellis et iuribus, quondam Serenissimo Infanti don Petro, eius fratri, concessisset eius cum regia provisione, data Neapoli, II Octobris II Inditionis 1423; providit, quod dictus Ioannes de Montecatheno, suique heredes, dictam assignationem pre-

fatorum mille florenorum annualium super redditibus Secretiarum civitatis Cathanie et terre Placie, seu super quavis cabella ipsarum Secretiarum, ad eius arbitrium seu pro eo eius procurator, perciperet; quod ita provisum fuit et exequutum per tunc Regni Proreges, eius viceregia mediante provisione, data die VI Februarij II Inditionis predictae, iuxta formam privilegij dicti Regis Alfonsi super hoc predictis Ioanni de Montecatheno et eius heredibus concessi, dato Neapoli II Octobris II Ind. 1423. Que quidem provisio realiter, surrectitio modo, obtenta fuit; nam concessio dicte assignationis ad heredes non transit, nisi ad unum tantum heredum eiusdem Ioannis, pro ut iam forma privilegiorum dicti Ioannis, per quondam Nicolaum de Speciali tunc Regni Proregem, fuit recte discussa et ponderata. Ob quod Prorex ipse providit, quod dictus Ioannes de Montecatheno pro se, et uno tantum herede eius, assignationem ipsam super cabella vini civitatis Cathanie, vulgo dicta la Cabella di lo vino di fora, pro uncijs centum et quindecim, pro quibus extimata fuit tunc temporis valere, et super Cabella vini casalis Mascalarum pro uncijs decem, et sic in summa unciarum centum viginti quinque tantum, annuatim reportaret; de quibus ipse Ioannes contentus, pro se et dicto uno eius herede in possessionem dictarum cabellarum modo predicto positus fuit et immisus; sicuti in viceregia provisione data Panhormi XV Iunij IIII Inditionis 1426, et in Regie Cancellarie libro anni 1425 in cartis 102 notata, continetur.

Nihilominus, reviso per me Regni Secretiarum Capibrevio, in capitulo Regie Secretie dicte civitatis Cathanie, in cartis . . . apparet dictam cabellam vini di fora civitatis eiusdem, in presentiarum, anno 1513 decurrente, uncias centum annuatim; cabellam vero dicti casalis Mascalarum uncias ducentas anno quolibet reddere; quodque cabelle ipse per quondam Gulielmum de Montecatheno, Adernionis comitem, filium dicti Ioannis, possidebantur; qui decursis temporibus nature satisfecit. In quo Capibrevio rationes assignantur, quod dicta assignatio prefato Ioanni de Montecatheno concessa pro se et uno eius herede, ad illius alios heredes et successores numquam ampliata fuit, nisi tantum ad unum heredem ut supra; quo casu nulla alia apparente ampliatione dicte assignationis, assignatio ipsa in unum heredem dicti Ioannis finire debebat, qui fuit Gulielmus Raymundus de Montecatheno, Adernionis comes, eius filius, a quo Gulielmo Raymundo de Montecatheno processit Ioannes Thomas de Montecatheno, eius filius; qui (*sic*) successit Gulielmus Raymundus de Montecatheno iunior, ipsius Ioannis Thome filius,



qui superioris diebus obiit. Et ab (*sic*) ipso Gulielmo Raymundo de Montecatheno iuniori, successit don Antoninus de Montecatheno, eius filius, dicti Adernionis comitatus modernus comes. Sed quia (ut percepi) dicti de Montecatheno dictas cabellas seu partem reddituum illarum in diversas personas alienarunt, mihi videtur quod possessores ad edendum quo iure possident compelli deberent.

Nihilominus, quia de surreptione privilegij predicti in dicto Capibrevio satis ample dictum est, ad ea que ibi narrantur me refero. Nihilominus in vim regiarum Instructionum, per tuam Catholicam Maiestatem mihi commissarum, circa oblationem titularum regni fendorum, facta requisitione possessoribus cabellarum Regie Secretie civitatis Cathanie alienatarum; possessores dicte cabelle vini Cathanie et casalis Mascalarum duo publica instrumenta presentarunt, in altero quorum apparet quondam Gulielmum Raymundum de Montecatheno, comitatus Adernionis Comitem, prenominati Ioannis de Montecatheno, in cuius personam privilegia prenotata Regis Ferdinandi et Regis Alfonsi fabricata fuere, filium quondam Gemmo Manialardo de terra Mineij, eius domestico et familiari, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum, de prefata cabella vini casalis Mascalarum donationem inter vivos inrevocabilem fecisse. Quod quidem instrumentum in anno 1438, Serenissimo Rege Alfonso regnante, manu notarij Antonij de Astis de civitate Capue Regni Neapolis celebratum extitit, et penes regiam Secretiam, seu Conventum Sancti Francisci eiusdem civitatis Cathanie, conservatur. In reliquo autem instrumento apparet eundem Guilelmum Raymundum de Montecatheno quondam Rodorico et Francisco de Paternione, videlicet eorum cuilibet pro una integra medietate, eorumque imperpetuum heredibus et successoribus, Cabellam principalem vini forensis civitatis eiusdem Cathanie, cum potestate vendendi, alienandi etc. pro pretio unciarum quingentarum, cum pacto de retrovendendo infra annos novem quodcumque, et cum reservatione predictae donationis facte prefato Gemmo Manialardo de dicta cabella casalis Mascalarum, tanquam membrum ipsius principalis cabelle; nec non cum reservatione nonnullarum aliarum concessionum et venditionum de quota predictae principalis cabelle vini forensis Cathanie, alijs personis per eum factarum, ac cum nonnullis alijs pactis et conditionibus, vendidisse; quod instrumentum manu notarij Ioannis de Grequotio, XIII Novembris VI Inditionis 1457 celebratum fuit, et in actis Curie civilis dicte Cathaniensis civitatis conservatur. In cuius instrumenti narrativa per verba nar-

rata per Politomam de Capaci, tanquam procuratorem dicti Gulielmi Raymundi de Montecatheno ipsius cabelle venditorem, asseritur, quod ipse Gulielmus Raymundus de Montecatheno dictam principalem Cabellam vini forensis Cathanie, ut bonum burgen-saticum, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, cum potestate illam vendendi et alienandi etc., ex Regia concessione, preheuntibus regijs privilegij, tenebat et possidebat.

Tamen Regia in Cancellaria huiusmodi privilegia non reperiuntur, nisi tantum privilegia illa supra exposita, que ad vitam tantum prefati Ioannis de Montecatheno, et unius eius heredis, solummodo concessa fuerunt; et sic oporteret cabellarum possessores ad dicta privilegia Cabelle principalis predictae perpetuo concessa, edendum compelli. Nam in dicto venditionis instrumento huiusmodi concessionis privilegium de verbo ad verbum inseri debebat, sive ad minus in eo ipsius privilegij calendaria tempori exprimi, pro emptorum cautela, sicuti in similibus factum est et fieri consuevit. Unde, cum in dicto venditionis instrumento huiusmodi cerimonie apposite non fuerint, nisi tantum verba narrativa ut supra; reor aliud non extare privilegium, nisi predicta ad vitam tantum concessa, ob quod Regia Curia fraudolenter decepta fuisset. Et ideo per regios officiales est danda opera, ut omnino a possessoribus verus titulus prefati Gulielmi Raymundi de Montecatheno venditoris traddatur, quem si non presentaverint recuperetur dicta Cabella pro Regia Curia. Si vero huiusmodi titulos sive privilegia autentica ediderint, pro eodem pretio reddimatur, ac prefate Regie Secretie restituatur, actencto quod Cabella ipsa maximi est redditus.

---

#### Ordinatio Monete Auri.

---

Fuit olim per Serenissimum Regem Martinum, eius cum sacro Regio Consilio, facta ordinatio quedam, que in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 69 notata est; per quam mandavit, quod ducati auri iusti ponderis ad tarenos sex pro quolibet ducato expenderentur; floreni autem auri de Florentia ac de Aragonia ad tarenos quatuor et granos decem pro quolibet floreno etiam expenderentur.

**Molendina et Paratoria Comisi sive Fontane Frigide.**

---

Quondam Manfridus de Oriolis, pro se suisque heredibus, ex quodam privilegio, in Regie Cancellarie libro rationum anni 1468 in cartis 85 notato, construendi Molendina et Paratoria in feudo Comisi sive Fontane Frigide licentiam et facultatem obtinuit; quodque aquas pro illorum usu a Regio flumine vocato Flumi Duchi sive Platani, cum onere census tarenorum septem et granorum decem anno quolibet Regie Curie solvendo, capere posset.

Nihilominus est attendendum, quod in comptis regiarum Secretiarum Regni huiusmodi census non reperitur; et sic dici non potest si census ipse prestitus fuit aut non; et ideo habeatur relatio pro Curie Regie indemnitatem.

---

**Tonnaria in Feudo Abigliaturi.**

---

Quondam Iacobus Russus, legum doctor, a tunc Regni Prorege suo cum viceregio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1491 in cartis 204 notato, conficiendi unam Tonnariam in Plano Melattii, subtus feudum di lo Abigliaturi, licentiam et facultatem habuit.

Nihilominus est attendendum, si heredes dicti quondam Iacobi Russo dictam faciunt tonnariam, pro Regie Curie directibus non deperdendis.

---

**Officium Castellanie sive Alcaydie Castri Sancti  
Alexij cum Turri de Passo.**

---

Officium Castellanie sive Alcaydie castri Sancti Alexij, cum turri de Castro vallis Demine, per Artalem de Angelica olim possidebatur; qui exinde Alcaydiam ipsam in manibus tunc Regni Proregis renunciavit; quam ob renunciationem ad Serenissimi Regis Alfonsi licteras ac dicti Proregis, quondam Thome de Romano deinde concessum extitit.

Successive autem Rex idem Officium predictum prelibato Thome de Romano suisque imperpetuum heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendantibus, tunc iam natis et postmodum nascituris; Officium prelibatum cum omnibus suis iuribus, pertinentijs et proprietatibus, cum quibus illud idem Thomasius suisque precessores tenuerunt ad usum et consuetudinem Hispanie, cum banco iusticie et cognitione causarum civilium et criminalium inter homines illic habitantes et confluentes; ac presertim inter socios dicti Castri, si ibidem delinquerint, pro ut alijs dicti Regni baronibus similem iurisdictionem civilem et criminalem habentibus, iuxta Regni Constitutiones, cum gagijs seu salarijs pro persona Castellani et Sociorum ibidem deputatorum, solvendis per Abatem et Monasterium Sancti Petri et Pauli de Agrò: nec non per Archimandritam et magnum Monasterium Sancti Salvatoris Lingue Fari Messane, quemadmodum eidem Thomasio, et dicto olim Artali de Angelica, alijs precessoribus melius et plenius solitum est satisfieri, simul cum iuribus et emolumentis debitis et consuetis; suo cum Regio privilegio, dato Neapoli V Iulij XV Inditionis 1452, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XV Martij prime Inditionis, concessit.

Mortuo exinde dicto Thoma de Romano, sibi in eodem Officio et Alcaydia, ex illius testamentaria dispositione successit Ioannes Benedictus de Romano, eius filius. Qui pro se suisque heredibus predictis, de Officio ipso Castellanie dicti Castri a quondam don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, cum inserto tenore predicti privilegij, confirmationem, suo cum Viceregio privilegio,

dato Panhormi . . . Iulij, VII Inditionis 1459, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 381 notato, reportavit.

Sed quia dictum Castrum Sancti Alexij, cum turri de Passo, in loco fortissimo et eminente super quadam rupe in mare adiacenti, cum eximia altitudine tam ex parte maris, quam montis, positum est; et adeo impugnabile reperitur, quod equitum, pedumque copie quevis absque permissu Castellani et Sociorum Castri ipsius illac iter accipere non valerent; propterea, pro totius Regni tutela et defensione Castri ipsius, custodiam virili persone et in bello experite ac fidelitate perspicue, ad regium beneplacitum ad annum, sive ad vitam tantum, et non ad heredes et successores quoscumque, concedi oporteret. Nam in dubio versatur, an ipsi heredes et successores huiusmodi prestantie, virtutis et fidelitatis esse possent, ut merito illis prefati Castri provincia dari deberet, pro ut in presentiarum casus evenisset; ignoscitur si enim, quod absit, bella in Regno succederent, esset expediens illius modernum detemptorem ab ipso Officio amovere, et alium strenuitate et virtute prestantiorem in illo apponere; et hac de causa, Vestra Catholica Maiestas Regni Castellaniae, non nisi virilibus et bellicosis personis, de quibus sit merito confidendum, ad eorum tantum vitam committere consuevit. Nihilominus quia Regia Pragmatica *Post Bella* super Officijs et Castellanijs etiam disponit, et circa illorum revocationes formam impartitur, Vestra Regia Serenitas super ipsa Alcaydia, sive Officium Castellanie dicti Castri Sancti Alexij, cum turri de Passu, quod pro eius Regio servicio faciat providere debere; signanter quod ipsa Pragmatica, predictum Regem Alfonsum, qui Alcaydiam predictam ad heredes perpetuo concessit, et ita fuit (???)

Mortuo tandem dicto Ioanne Benedicto Romano, sibi in dicto Castro Sancti Alexij successit Thomas de Romano, eius filius legitimus et naturalis.

**Pons Maritimæ Cathaniæ.**

---

Serenissimi Reges Martinus et Maria quondam Ferdinando Domingo, de eorum Regia domo, ad eius tantum vitam, Pontem Carricatorij maris civitatis Cathaniæ, cum omnibus suis iuribus, rationibus, redditibus, emolumentis, proprietatibus et universis pertinentijs eorum, cum Regio privilegio, sive patentibus licteris datis X Octobris, V Inditionis 1396, concesserunt.

Deinde vero Serenissimus Rex Alfonsus eidem Ferdinando Domingo, tunc eius sub Camerario, ad eius supplicationem, ad Margaritam eius filiam, tunc uxorem Eximenij de Assaro in dicta civitate Cathaniæ commoranti, ad eius tamen vitam post mortem dicti Ferdinandi, Pontem predictum suo cum Regio privilegio, dato in turri Noli III Novembris 1427, ampliavit.

Cumque exinde dictus Eximenius de Assaro decessisset, prefata Margarita, eius uxor, ad secunda vota convolans, Eximienio de Salem se copulavit, cum quo filios procreavit, illique dictum Pontem in dotem apportavit. Et sic dictus Rex Alfonsus eidem Eximienio de Salem ad suos heredes eius de corpore legitime perpetuum descendentes, natos et nascituros, Pontem predictum, pro ut illum dicta Margarita et ipsi Eximienio de Salem, pro ea vel pro eo, seu utroque nomine possidebant, eius cum Regio privilegio, dato in civitate Tiburtina primo Augusti X Inditionis 1447, ampliavit.

Postmodum autem dictus Pons ad Bernabam de Salem cathinensem pervenit, qui an filius fuerit dicti quondam Eximenij de Salem et Margarite, iugalium, Regia in Cancellaria non apparet. Tamen quicquid sit, idem Bernabas de ipso Ponte, seu iure Pontis ipsius, quondam Ioanni de Alexandrano suo avunculo sanguinis, legum doctori, eius intuitu servitorum et beneficiorum post ipsius Bernabe donatoris tamen mortem, donationem fecit inter vivos inrevocabilem; quodque dictus donatarius de donatione ipsa regiam confirmationem sibi impetraret, pro ut in contractu huiusmodi donationis manu notarij Petri de Maysano, XII Aprilis, III Inditionis 1485 celebrato, continetur. Quem contractum Regia Vestra Celsitudo prelibato Ioanni de Alexandrano iuxta illius formam acceptavit et

confirmavit, et post ipsius Barnabe obitum etiam de novo concessit, cum illis iuribus; redditibus, preeminentijs, honoribus et oneribus cum quibus per dictos Reges prefato Eximio et dictis suis filijs concessus extiterat. Ita quod post obitum dicti Barnabe donatoris; dictus Ioannes Alexandranus, sui que filij et heredes et successores in dicti Pontis possessionem immicterentur et manutenerentur; quemadmodum in eius Regio privilegio dato Derthuse XXVIII ianuarij, XIII Inditionis 1496, de quo viceregia emanavit executoria data Messane XXII Aprilis, XIII Inditionis 1496, et in Regie Cancellarie libro anni 1495 in cartis 327 notata, continetur.

---

**Officium Pontis sive Pons Maritime Messane.**

---

Quondam Thomas Mattheus de Romano, messanensis, a Serenissimo Rege Alfonso edificandi unum ligneum Pontem in maritima nobilis civitatis Messane eius propria impensa, nec non illum reparandi casu quo ad ruinam devenisset, ad opus onerandi per eum merces et alias res tam infra quam extra regnum, cum iuribus eidem Thome Mattheo suisque heredibus applicandis, hoc modo videlicet; Pro quolibet saccolino grana decem haberet, et pro quolibet cantario ferri granum unum; pro qualibet balla panni grana decem; pro quolibet . . . . tarenos quatuor; pro qualibet balla tele et operis albi grana decem; pro quolibet carratello zuccari et contrapellium ac cuiuslibet mercantie grana decem; pro quolibet barrili tonnine et sardarum granum unum; pro qualibet vegete olij grana decem; pro qualibet balla grana duo; pro qualibet salma salis grana quinque; pro quolibet cantario caseorum seu equicaseorum granum unum; pro qualibet caxsia mercantie grana decem; pro quolibet cantario eris grana quinque; pro quolibet cantareo cuiusvis metalli grana quinque; pro quolibet cantareo aluminis grana tria: gratiam et concessionem reportavit. De quibus tamen iuribus nulli respondere teneretur, imo illa ad eius suorumque heredum predictorum commodis et utilitatibus applicaret; quodque huiusmodi merces aliunde extrahi non possent, sicuti in eius Regio privilegio

dato in turri Octavij in anno 1456, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie rationum libro anni 1455, in cartis 360 notata, hec et alia seriusius exponuntur.

Et nihilominus, actento quod iura predicta per regiam Curiam taxata et ordinata, propter frequentiam mercium, que a dicta civitate extrahuntur, Pons predictus maximam summam reddere debet; essem opinionis pro augmento regij patrimonij et multiplicatione reddituum Sacri Regij Demanij, quod finitis tam dicti Messane Pontis, quam aliorum Regni concessionibus in eisdem nomen Cabelle Pontis imponeretur, cum predictorum iurium taxatorum consequutione, modo quo supra et numero aliarum cabellarum Regni Secretiarum, Pontes ipsi agregerentur, extincto penitus et abolito hoc nomine officij Pontis, nam Regia Curia propterea maximam reportaret utilitatem.

---

#### Officium Magistri Notarij Cathanie.

---

Officium Magistri Notariatus Curie Capitanei civitatis Cathanie per Serenissimum Regem Martinum quondam Antonio de Gangijs, legum doctore, ad eius vitam et unius eius heredis, concessum fuit. Mortuo exinde dicto Antonio de Gangijs, sibi eodem in Officio successit Mazullus de Gangijs, eius filius, qui de voluntate et consensu Serenissimi Regis Alfonsi ipsum Magistri Notariatus Officium, cum quondam Ioanne de Vitillino pro Officio Credenzerij dohane Messane, quod ex Regio privilegio pro eo et uno eius herede possidebat, cum additu unciarum centum permutavit. Et sic dictus Rex Alfonsus eidem Ioanni de Vitillino, et uni eius heredi, dictum Officium Magistri Notarij Cathanie, cum potestate substituendi, ac creandi Archivarium et Notarium in dicto Officio, suo cum Regio privilegio, dato Messane in anno 1421, confirmavit.

Crescentibus postmodum dicti Ioannis Vitillini servitijs, Officium predictum Notariatus Cathanie cum omnibus iuribus quibus Magistri Notarij Magne Regie Curie plene gaudent, eidem Ioanni



Vitillino ad suos imperpetuum heredes et successores quoscumque ampliatus fuit.

Defuncto exinde dicto Ioanne de Vitillino ab intestato, sibi in eodem Officio successit Eximenius de Vitillino, eius filius, qui Officium ipsum quondam Andree de Castello pro pretio unciarum centum, carta gratie reddimendi mediante, cum publico contractu manu notari Nicolai de Francavilla, in anno 1452 vendidit. Quo in contractu exponitur, quod eidem Ioanni de Vitillino dictum Officium sub onere paris unius chirothecarum in feudum concessum extitit, quodque illi deinde, suisque heredibus, per dictum Regem Alfonso suo cum Regio privilegio, dato Caete IIII Februarij III Indicionis 1440, dictum ius chirothecarum relaxatum fuit; nihiloominus Officium predictum in feudum remanet.

Dictus vero Andreas de Castellis, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, de Officio predicto a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, fidelitate regia, Regni Constitutionibus, et Regie Curie et alterius iuribus semper salvis, XV Februarij XV Indicionis 1453, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 446 notatam, obtinuit.

Postmodum autem Officium predictum, ut percepi, eidem Exmenio de Vitellino restitutum fuit; qui, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, a tunc Regni Prorege de illo, XIII ianuarij XIII Indicionis 1479, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 196 notatam, reportavit.

Preterea dictus Eximenius Vitillino de dicto Magistri Notariatus Officio Hieronimo Vitillino, eius filio, publico mediante contractu manu notarij Sigismundi de Avarretta, VIII Martij X Indicionis 1492, donationem fecit. Qui Hieronimus pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, de Officio ipso a quondam Ferdinando d'Acuña, tunc Regni Prorege, XXIII Februarij XI Indicionis 1493, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1492, in cartis 390 registratam, habuit.

Dictus autem Hieronimus Vitillino Officium prelibatum, viceceregia licentia preheunte, Ioanni de Marchisana suisque imperpetuum heredibus et successoribus, pro certo pretio, publico mediante contractu manu notarij Nicolai la Licata, primo Martij prime indicionis 1497, vendidit; cuius virtute idem Ioannes de Marchisana, pro se suisque heredibus et successoribus predictis, de Officio prelibato a quondam Ioanne de la Nuça, tunc Regni Prorege, XXIII Septembris II Indicionis 1498, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 219 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, dictum Magistri Notariatus Cathanie Officiū per prefatum Ioannem de Marchisana possidetur; quod anno quolibet reddit . . . . 07 LX.

Nihilominus, quia Officiū predictum in feudum absque servitio concessum, per Hieronimum Vitillino Ioanni Marchisana venditum fuit, Vestra Catholica Maiestas, in vim Regie Pragmatice *Post Bella*, pro pretio quo venditum fuit recuperare potest, et sue Regie Curie restituere.

Dictusque Ioannes La Marchisana de dicto feudo et Officio Magistri Notariatus cepit investituram a don Ioanne de Luna Preside, ob mortem domini Regis Ferdinandi, die VIII Februarij V Inditionis, 1517, notatam in libro anni 1516 fol. 804; et iuravit reddere tantundem.

FINE DEL VOLUME II.



## INDICE ALFABETICO

DEI NOMI DEI FEUDATARI E DEI PUBBLICI UFFIZIALI  
CHE RICORRONO NEL VOLUME

---

### A

Abate (de) Clemente di Maggiore	Pag. 149.
Abate (de) Nicolò, Notaio	» 83.
Abella (de) Nicolò	» 336.
Abruzzo (de) Benvenuta	» 244.
Abruzzo (de) Giacomo	» 244.
Abruzzo (de) Giovanna	» 244. 245.
Acuña, (d') Ferdinando Vicerè e Presidente del Regno	» 76, 105, 110, 129, 176, 233, 237, 263, 265, 267, 334, 368.
Adernò (di) Conte	» 8.
Adolfo, Arcivescovo di Catania	» 179.
Affermo (de) Giovanni	» 145.
Affermo (de) Muchio	» 81, 144, 146.
Affitto (de) Luisa	» 330.
Affitto (de) Pietro	» 330.
Agnello (de) Alfonso	» 160.
Agnello (de) Giacomo, Capitano di Mistrretta	» 159, 160, 161, 162.
Agnello (de) Maziotta	» 160.
Agnello (de o lo) Paolo	» 160.
Agostino Antonio, dottore in legge, Vice Cancelliere del Sacro R. Consiglio	» 299.

Aiello (di) Conte	Pag. 69.
Alagona (di) Artale	» 166, 342, 337.
Alagona (di) Blasco, Conte	» 27, 28, 102, 158.
Alagona (di) Manfredo, Maestro Giustiziere	» 314, 342.
Alagona (de) Maria	» 342.
Alaman Vincenzo	» 96.
Albamonte (de) Antonio	» 145, 146.
Albamonte <i>alias</i> d'Affermo Giovan Giacomo	» 143.
Albamonte (de) Giovanni Minaguerra	» 143.
Albanes (de) Pietro	» 258.
Aldoino, giudice	» 60, 62.
Aldoino (de) Aldoino	» 60, 64.
Aldoino (de) Costanza	» 67.
Aldoino (de) Federico	» 61, 64.
Aldoino (de) Geraldo	» 61, 64, 67.
Aldoino (de) Giacomo	» 60, 63, 64, 66, 67.
Alessandrano (de) Giovanni	» 365, 366.
Alessandro (de) Bianca	» 168.
Alessio (de) Antonio	» 329, 330.
Alessio (de) Luisa	» 330.
Alessio (de) Nicolò	» 23.
Alferio (de) Ludovico	» 354.
Alfonso, Re	» 11, 39, 60, 61, 62, 65, 67, 68, 69, 75, 99, 116, 118, 129, 145, 149, 155, 159, 161, 171, 192, 203, 204, 211, 221, 232, 236, 227, 228, 229, 236, 239, 242, 246, 248, 249, 254, 255, 256, 259, 279, 294, 296, 297, 309, 313, 320, 321, 322, 323, 324, 347, 348, 349, 354, 355, 356, 358, 359, 360, 363, 365, 366, 367, 368.
Algorri (de) Pietro	» 256.
Aliberto (de) Giovan Salvo	» 144.
Alifia (de) Andrea	» 123.
Alifia (de) Filippo	» 123, 124.
Alliata (de) Andreotto, dottore in legge	» 277.
Aloysio (de) Federico, Milite	» 14, 159.
Amato (de) Pietro, Notaio	» 19.
Amore (de) Altabella	» 35.
Amore (de) Antonio Melchiorre	» 34, 35.
Amore (de) Giovanni	» 34.
Andrea (de) Andrea, detto Strazza	» 339.
Andrea (de) Giacomo, Notaio	» 121.
Andrea (de) Pina	» 339.
Andreolo (de) Tommaso	» 295.
Andriana	» 54.
Anfusio (de) Andrea, Notaio	» 259.

Angelica (de) Artale	Pag. 363.
Ansalone (de) Bartolomeo	» 217.
Ansalone (de) Bonsignore, Dottore in legge	» 153, 216, 217.
Ansalone (de) Francesco	» 213, 266.
Ansalone (de) Francesco, Barone di Pettineo	» 284.
Ansalone (de) Giovanni, Dottore in legge	» 213, 265, 266, 281.
Ansalone (de) Guglielmo	» 342.
Ansalone (de) Scipione	» 213, 280.
Anselmo, Marescalco	» 179.
Antiochia Belengario	» 118, 119.
Antiochia (de) Benedetto, Milite	» 225.
Antiochia (de) Margherita	» 225.
Antiochia (de) Pietro, Cancelliere del Regno	» 196.
Antonia, Regina	» 103, 134, 177.
Aquila (de) Pietro, Notaro	» 38, 164, 309, 336.
Aquilono (de) Tommaso, Notaro,	» 36.
Aragona (de) Bartolomeo	» 121, 131, 132.
Aragona (de) Eleonora	» 84.
Aragona (de) Federico	» 9, 10, 12, 13, 14, 272.
Aragona (de) Giovanni Marchese di Castiglione e Francavilla, Vicario del Regno	» 234, 244, 303.
Aragona (de) Ludovico, Milite, Maestro Razionale del Regno	» 163, 336.
Aragona (de) Vinciguerra, R. Cancelliere	» 80, 82, 108, 130, 131, 132, 325, 326.
Arcadio (de) Augeri	» 84.
Arcivescovo di Messina	» 185.
Arcivescovo di Palermo, Presidente del Regno	» 19, 20, 31, 43, 150, 171, 187, 229, 294, 298, 323.
Argenteis (de) Adamo, Notaio	» 279.
Aricio (de) Giacomo, Protonotaro	» 6, 166, 167.
Aricio Giacomo	» 344.
Armaleone (de) Francesco	» 170.
Armaleone (de) Nicolò	» 170.
Armaleone (de) Pietro	» 170.
Armato (de) Beatrice	» 286.
Armato (de) Giovanni	» 286.
Armato (de) Paola	» 286.
Armato (de) Paolo	» 286.
Armato (de) Pietro, Notaio	» 134, 174, 283, 286.
Armato (de) Rainieri	» 286.
Arnaldo Bernardo	» 196.
Arri (de) Ansaldo, Visconte	» 229, 231.

Asinolo Bartolomeo	Pag. 312, 313.
Asmundo (de) Adamo, Dottore in legge	» 35, 198.
Asmundo (de) Adamo, Presidente del Regno	» 79.
Assaro (de) Exemeno	» 365.
Assaro (de) Margherita	» 365.
Astis (de) Antonio, Notaio	» 360.
Augusto (de) Nicolò, Notaio	» 116, 119.
Avarretta (de) Sigismondo, Notaio	» 368.
Aversa (de) Giacomo, Cappellano	» 299, 300.
Ayn (de) Asuaro	» 88.
Ayn (de) Giacinta	» 88.
Azuar Raimondo	» 131, 323.

**B**

Balba (la) Altavilla	» 243.
Balba (la) Conello	» 242, 243.
Balba (de o la) Gugliotta	» 138, 338.
Balba (la) Tura	» 242.
Balduno (de) Regale	» 347.
Balsamo (de) Angelo	» 172, 199.
Balsamo (de) Balsamo	» 254.
Balsamo (de) Eufemia	» 253, 254.
Balsamo (de) Francesco	» 199.
Balsamo (de) Giacomo	» 15, 176.
Balsamo (de) Giacomo, Barone di Mirto	» 269.
Balsamo (de) Giovanni, Milite	» 253, 254.
Balsamo (de) Giovan Giacomo	» 254.
Balsamo (de) Giovanni Enrico	» 47.
Balsamo (de) Macalda	» 172.
Balsamo (de) Nicolò, Notaio	» 119.
Balsamo (de) Nicolò	» 172, 197, 199.
Balsamo (de) Tuccio	» 172, 197, 198.
Barbulitta (de) Alvira	» 215.
Barbulitta (de) Antonio	» 215.
Barcalò Pietro	» 232.
Barresi (de) Antonello	» 274, 275.
Barresi (de) Giovan Luigi	» 273, 274.
Barresi (de) Nicoletta	» 274, 275.
Barresi (de) Nicolò	» 273, 274.
Basilico (de) Antonella	» 323.
Basilico (de) Giovanni, Milite	» 243.
Basilico (de) Matteo	» 323.
Baudo (de) Nicolò, Notaio	» 275.
Baudo (de) Peralcono	» 9, 10, 11.
Bellobruno (de) Antonio, Portulano	» 341.
Belloch (de) Antonio	» 156.

Belloch (de) Bartolomea	Pag. 186.
Bernardo, Arcivescovo di Bari	» 179.
Bertoldo, duca di Turingia	» 179.
Bertolo (de) Adogeno, Portulano	» 341.
Bevilacqua (de) Giovanni	» 116.
Bevilacqua (de) Margherita	» 116.
Bevilacqua (de) Pietro	» 116.
Bianca, infante	» 339, 340.
Bianca, regina	» 258, 259.
Biguagna Pietro	» 346.
Biscardo Antonino	» 35.
Bivacqua (de) Angela	» 287.
Bivacqua (de) Nicolò	» 287.
Bivacqua (de) Pietro	» 287.
Blanco (de) Antonio	» 168.
Blanes (vedi Castilladoris)	» 192.
Bonacolsis alias de Mantova Federico	» 303.
Bonacolsis (de) Giovanni	» 37, 54.
Bonacolsis alias de Mantova Luigi	» 303, 304.
Bonagrazia (de) Ludovico	» 49.
Bonagrazia (de) Vincenzo	» 48, 49.
Bonaiano Pietro, Notaio	» 232.
Bonaiuto Bartolomeo, Notaio	» 221.
Bonanno Gerardo	» 330.
Bonfiglio (de) Coletta	» 298.
Bonfiglio (de) Giovanni, Milite	» 204, 223, 224.
Bonfiglio (de) Pietro	» 298.
Bonfiglio (de) Rainieri	» 218.
Bonifacis (de) Matteo	» 176.
Bonifacis (de) Pina	» 176.
Bonina Guglielmo	» 268.
Bonina Paolo	» 268.
Bonina Vincenzo	» 41.
Bonasconto (de) Blasco	» 156.
Bono (de) Antonio	» 125, 127.
Bono (de) Tommaso	» 125, 126.
Braconieri (de) Angelo	» 192.
Braconieri (de) Simone	» 192.
Brigaglia (de) Roberto	» 302.
Brima (de) Filippo, Notaio	» 175.
Bubutello (de) Belluchia	» 33.
Bubutello (de) Diana	» 33.
Bubutello (de) Francesco	» 33.
Bubutello (de) Giovannuccio	» 33.
Bubutello (de) Ruggiero	» 33.
Bubutello (de) Tebaldo, Milite	» 32, 33.
Bubutello (de) Venezia	» 33.
Bufalo Tommaso	» 304.
Buonamico (de) Giovanni, Notaio	» 33.



## C

Calcaterra (de) Antonio, Notaio	Pag. 344.
Calcaterra (de) Giovanni	» 344.
Calcerando (de) Nicolò	» 115.
Calciamirra Roberto, Dottore in legge	» 155.
Caltanissetta (de) Giovanni, Notaio	» 279.
Calvellis (de) Giovanni	» 290.
Camanjes Pietro, Consigliere e Segretario regio, Milite, Notaio	» 232.
Camarda Leonardo, Notaio	» 71.
Camarda Pino, Notaio	» 250.
Cambris (de) Tommaso, Algozirio regio	» 329.
Camella Altadonna	» 141, 142, 143.
Camella Antonio	» 141, 142.
Camella Macalda	» 143.
Cammarana (de) Giovan Matteo	» 48.
Cammarini Andrea	» 226.
Cammella Angelo	» 143.
Cammella Giovanni	» 143.
Campulo (de) Filippo	» 294, 295.
Campulo (de) Giacomo	» 79, 292.
Campulo (de) Giovanni	» 79.
Campulo (de) Giovanni Francesco	» 79.
Campulo (de) Girolamo	» 79.
Campulo (de) Paolo	» 78, 79.
Campulo (de) Pietro	» 187, 188.
Campulo (de) Pino	» 79, 138, 159, 162, 293.
Campulo (de) Rainieri	» 78, 79.
Cannata Giacomo, Milite	» 206, 207.
Cannata Perrono	» 206, 207.
Capaci Politoma	» 361.
Cappuccio (de) Francesco, Notaio	» 264.
Carasquer Giovanni, Carpentiere	» 232.
Corsu Matteo, Notaio	» 243.
Carasto (de) Giovanni, Notaio	» 201.
Cardeli (de) Bartoluzzo	» 300.
Cardines (de) Didaco	» 261.
Cardines (de) Giovanni, Governatore della Camera Reginale di Siracusa	» 260, 61.
Cardona (de) Antonio, Vicerè	» 49, 60, 63, 79, 84, 87, 133, 149, 186, 191, 193, 197, 209, 215.
Cardona (de) Artale, Conte di Collesano	» 296, 297, 328.
Cardona (de) Beatrice	» 263.

- Cardona (de) Maria, Contessa di Collesano Pag. 261, 273.
- Cardona (de) Pietro, Conte di Collesano » 263, 264, 266, 269, 273, 274, 296, 297.
- Cardona (de) Pietro, Vicerè » 296.
- Cardona (de) Raimondo, Vicerè e Presidente del Regno » 15, 41, 56, 69, 199, 267, 268, 329, 332.
- Cardona de Frades (de) Conte, Vicerè » 145.
- Carducis o Carducio (de) Bernardino » 193.
- Carducis o Carducio (de) Bianca » 192, 193.
- Carioso (de) Alfonso » 167, 168, 169.
- Carioso (de) Andrea » 167, 168, 169.
- Carioso (de) Fortugno » 167, 168.
- Carioso (de) Giovanni » 168.
- Carioso (de) Giovanni Antonio » 167, 169.
- Carioso (de) Tommaso » 168.
- Carissimo (de) Giacomo, Notaio » 195, 269.
- Carissimo (de) Paolo, Notaio » 246.
- Carlo, Imperatore » 328.
- Carlo, Re » 193, 268, 332.
- Caro (de) Antonio » 277.
- Caro (de) Calcerando » 348.
- Caro (de) Giovanni » 277, 347, 348.
- Carta (de) Nicolò » 57.
- Caropipi (de) Costanzo » 81.
- Caropipi (de) Lamberto » 81.
- Caruso (de) Fortugno, Notaro e Regio Segretario » 31.
- Cassarino Nicolò, Notaio » 343.
- Cassenti Nardo » 228.
- Castagna Nicolò, Milite » 224, 293, 343.
- Castagna Nicolò, R. Tesoriere » 173, 174, 175, 176, 177.
- Castagna (de) Giovanni » 236.
- Castagna (de) Granata » 236, 237.
- Castagna Lorenzo, Notaio della Curia » 196.
- Castella (de) Antonio » 118.
- Castella (de) Giovanni » 118.
- Castelli (li o de) Andrea » 354, 357, 368.
- Castellis (de) Antonio » 356, 357, 358.
- Castellis (de) Corrado » 281.
- Castellis (de) Pietro » 356, 357, 358.
- Castello (de) Giovanni » 55, 56.
- Castello (de) Guglielmo » 56.
- Castello (de) Margherita » 55.
- Castilladoris (de) alias de Blanes Vitale » 192.
- Castrogiovanni (de) Filippo » 142.
- Castronovo (de) Bartolomeo » 98.
- Cavaleria (della) Alonso o Alfonso, Vice Cancelliere del Regno, Tesoriere Generale » 230, 231, 232, 233.

Caxula Gregorio	Pag. 300, 301.
Ceci Damiano	» 308.
Ceci Ruggiero	» 307, 308.
Celsa (de) Adamo	» 138.
Celsa (de) Giovannuccio	» 138.
Centelles (de) Giuliano, Presidente del Regno	» 92, 324.
Chiaromonte (de) Andrea	» 29.
Chiaromonte (de) Enrico	» 29.
Chiaromonte (de) Federico	» 29.
Chiaromonte (de) Giovanni, Senescalco del Regno, Procuratore Gen. del Maestro Razionale, Milite e Luogo- tenente della Curia	» 196.
Chiaromonte (de) Manfredo	» 20.
Chiaromonte (de) Matteo	» 29.
Chiaromonte (de) Simone	» 29.
Chicari Vassallo	» 90, 94, 95, 181.
Choarasa (de) Arnaldo	» 10, 11.
Cirino (de) Antonio	» 92.
Cirino (de) Pergo	» 91, 92, 93, 181.
Cirino (de) Enrico	» 92.
Cirino (de) Filippo	» 93.
Cirino (de) Giovannello	» 92, 93.
Cirino (de) Giovanni	» 92.
Cirino (de) Paolo	» 92.
Coglitore Foliono	» 232.
Collotorto (de) Giovanni, Notaio	» 282.
Comite (de) Giacomo	» 192.
Comite (de) Giovanni, Notaio	» 126, 176, 265.
Conte di Monteleone, Vicerè	» 264.
Conza (de) Raimondo, Notaio	» 173.
Corrado, Vescovo di Spira e di Metz, Cancelliere dell'Aula Imperiale	» 179.
Correnti Matteo, Notaio	» 250.
Costanza, Infante, Vicaria Generale del Regno	» 48.
Crisafi Carloso	» 85.
Crisafi Filippo	» 85.
Crisafi Giovanni	» 201.
Crisafi Giovan Michele	» 85, 86, 93, 93.
Crisafi Giovan Vincenzo	» 86, 93, 96.
Crisafi Luca	» 85.
Crisafi Michele	» 85.
Crisafi Nicolò	» 29, 30, 84, 86, 87, 91, 92, 93, 181, 318.
Crisafi Tommaso	» 85.
Crispo Andrea	» 46.
Crispo Elisabetta	» 46.
Crispo Federico	» 46.

Crispo Francesco	Pag. 47.
Crispo Giovanni	» 47, 48.
Crispo Rinaldo, Dottore in legge	» 45.
Crispo (de) Tommaso, Dottore in legge	» 81.
Cumbis (de) R.	» 18.
Cumbis (de) Raimondo	» 27, 28.
Custo (de) Andrea	» 328.
Custo (de) Francesco	» 328.

**D**

Dacuña vedi Acuña	»
Daragonia vedi Aragonia	»
Darturello Filippo	» 338.
Denti Andrea	» 22.
Denti Giovanna	» 244.
Denti Giovannello	» 245.
Denti Giovanni	» 244, 245.
Denti Pietro	» 245.
Denti Roberto	» 244.
Denti Simone	» 244.
Diana (de) Roberto, Priore	» 30.
Dietrico, Arcivescovo	» 179.
Domingo Ferdinando, Sotto Camerario del Re	» 365.
Domingo Margherita	» 365.
Domingus Giovanni, Notaio	» 232, 233.
Donguida Antonio	» 258.
Donguida Guglielmo	» 257, 258.
Don Martino (de) Giovanni	» 342.
Durrea Lop Ximenis, Vicerè e Presidente del Regno	» 21, 26, 29, 34, 38, 40, 46, 55, 60, 61, 64, 65, 68, 72, 88, 92, 123, 139, 143, 145, 149, 155, 157, 171, 182, 183, 224, 227, 242, 253, 256, 257, 263, 282, 294, 297, 363.

**E**

Eleonora, Regina	» 137, 138, 284.
Elisabetta, Regina	» 260.
Ermanno, Langravio di Turingia	» 179.
Eufemia, Infante, Vicaria Generale del Regno	» 73.

## F

Falconi (de) Alvira	Pag. 215.
Falconi (de) Antonia	» 37, 58.
Falconi (de) Antonio	» 215.
Falconi (de) Bongiovanni	» 211.
Falconi (de) Catarinella	» 215.
Falconi (de) Falcono	» 210, 213, 214, 215.
Falconi (de) Napoleone	» 56, 57, 58.
Falconi (de) Pietro	» 56, 58.
Fallera Matteo, Notaio	» 280.
Faraci (de) Bernardino	» 204.
Faraci (de) Nicolò	» 203, 204.
Faraci (de) Ruggiero	» 204.
Faraci (de) Smiralda	» 203, 204.
Fardella Giacomo	» 331.
Fardella Nicolò	» 331, 333, 334.
Fassari (de) Bernardo	» 102.
Faylla Guglielmo	» 6.
Federico, Duca di Lotoringia	» 179.
Federico, Imperatore	» 151, 152.
Federico, Infante	» 154, 156.
Federico, Re	» 22, 32, 33, 36, 57, 58, 73, 76, 78, 102, 103, 104, 105, 106, 108, 109, 122, 128, 129, 133, 137, 138, 147, 150, 177, 178, 179, 180, 184, 191, 193, 206, 210, 214, 215, 226, 234, 240, 256, 270, 271, 272, 283, 288, 291, 300, 301, 302, 303, 304, 306, 307, 308, 309, 311, 312, 317, 320, 322, 323, 325, 326, 327, 339, 347, 351, 353.
Ferdinando, Re	» 45, 21, 23, 47, 56, 62, 74, 82, 86, 120, 137, 139, 149, 150, 153, 173, 188, 193, 195, 209, 212, 213, 221, 228, 230, 232, 238, 246, 251, 255, 258, 262, 264, 268, 269, 277, 284, 321, 322, 329, 331, 332, 338, 369.
Ferrerio (de) Alvira	» 215.
Ferrerio (de) Giovan Pietro	» 215, 216.
Ferrerio (de) Pino	» 215.
Ferro (de) Bartolucio	» 138.
Fesauli Pietro	» 264.
Filingieri (de) Francesco	» 11, 12, 15.
Filingieri (de) Girolamo, Conte di San Marco	» 12, 14, 15.

<b>Filingieri (de) Riccardo, Conte di San</b>	
Marco	Pag. 41, 43, 44, 45.
<b>Filippo (de) Bartolo, Notaio</b>	» 244.
<b>Finochara (de) Andrea</b>	» 166, 167.
<b>Finochara (de) Nucifora</b>	» 166.
<b>Finochu Andrea</b>	» 339.
<b>Flodiola Gabriele</b>	» 21.
<b>Flodiola Jannella</b>	» 21.
<b>Fontana (de) Andrea</b>	» 311.
<b>Francavilla (de) Nicolò, Notaio</b>	» 26, 191, 357, 368.
<b>Frisario Bartuchio</b>	» 199.
<b>Furnari (de) Antonello</b>	» 137.
<b>Furnari (de) Antonio</b>	» 134, 136, 137.
<b>Furnari (de) Blasco, Notaio</b>	» 133, 134, 135, 136, 137.
<b>Furnari (de) Filippo</b>	» 135, 136, 137.
<b>Furnari (de) Nicolò Antonio</b>	» 137.
<b>Furnari (de) Rosa</b>	» 134, 135, 136.

**G**

<b>Gallo (de) Giovanni</b>	» 333, 334.
<b>Gallo (de) Manna</b>	» 334.
<b>Gallo (de) Simone</b>	» 334.
<b>Ganci (de) Antonio, Dottore in legge</b>	» 367.
<b>Ganci (de) Mazullo</b>	» 367.
<b>Gangolandi (dei Conti di) Invento</b>	» 241.
<b>Gangolandi (dei Conti di) Pietro</b>	» 241.
<b>Gandolandi (dei Conti di) Vera</b>	» 241.
<b>Gardo Giovanni</b>	» 282.
<b>Garresio (de) Bonasia</b>	» 339, 340.
<b>Garresio (de) Matteo</b>	» 339, 340.
<b>Gavarretta (de) Giovanni</b>	» 291.
<b>Gavarretta (de) Gualtiero</b>	» 202, 203.
<b>Gentile Gualtiero, Maestro Contestabile</b>	» 179.
<b>Giacomo, Re</b>	» 9, 11, 13, 24, 28, 38, 49, 73, 102, 103, 105, 116, 135, 147, 153, 154, 156, 312.
<b>Gioeni (de) Andrea Guglielmo</b>	» 76.
<b>Gioeni (de) Bartolomeo, Milite, Cancelliere del Regno</b>	» 6, 18, 73, 74, 75, 78, 104, 105, 107, 110, 113, 114, 115, 121, 253, 268, 323.
<b>Gioeni (de) Federico</b>	» 76.
<b>Gioeni (de) Ferrono, R. Protonotaro</b>	» 73, 103, 104, 106, 110.
<b>Gioeni (de) Perruchio</b>	» 73, 74, 103, 110.
<b>Gioeni (de) Raimondo</b>	» 74, 75.
<b>Gioffredo (de) Pietro, Notaio</b>	» 160.
<b>Giordano (de) Federico</b>	» 67.
<b>Giordano (de) Gemma</b>	» 67.

Giordano (de) GERALDO	Pag. 67.
Giordano (de) LUCREZIO	» 298.
Giordano (de) MAZZULLA	» 298.
Giovanna, Regina	» 193, 328.
Giovanni, Arcivescovo di Palermo, Presidente del Regno	» 191.
Giovanni, Duca	» 129.
Giovanni, Infante, Duca di Atene e Neopatria, Marchese di Randaccio e di Castiglione e Francavilla, Governatore di Messina e Vicario Gen. del Regno	» 46, 51, 235, 259.
Giovanni, Re	» 127, 137, 152, 160, 169, 199, 225, 227, 268, 271, 272, 296, 316, 319, 320, 324, 327, 332, 350.
Giovanni (de) Gentile	» 134.
Giovanni (de) Leonardo	» 134.
Gotto (de) Antonio	» 50.
Gotto (de) Nicolò	» 49, 50.
Gravina (de) Carlo	» 350.
Gravina (de) Giacomo, Notaio	» 337.
Gravina (de) Giovanni, Notaio	» 260.
Grecuzzo (de) Giovanni	» 350.
Gregorio, vedi Taranto	» 336, 337.
Gregorio (de) Ansaldo	» 287, 345, 346.
Gregorio (de) Antonia	» 211.
Gregorio (de) Bartolomeo	» 211.
Gregorio (de) Catarinella	» 85.
Gregorio (de) Giacomo	» 209, 212.
Gregorio (de) Giovanni	» 209.
Gregorio (de) Gregorio	» 208, 210, 211, 212.
Gregorio (de) Margherita	» 211.
Gregorio (de) Nicolò	» 85.
Gregorio (de) Orlando	» 211.
Gregorio (de) Tommaso	» 209.
Griffo (de) Perrono	» 301.
Grifomilinis (de) Lancia	» 301.
Grignano (de) Antonio Vincenzo	» 328.
Grisafi Nicolò, Maestro Razionale	» 6, 91.
Griso alias de Serafino (de) Giovanni	» 209.
Griso alias de Serafino (de) Margherita	» 209.
Griso alias de Serafino (de) Violante	» 209.
Grua (de) Eulalia	» 176.
Grua (de) Gilberto	» 176.
Grua (de) Margherita	» 176.
Guadro (de) Giovannella	» 117, 119.
Guadro (de) Giovanni	» 117, 119.
Guadro (de) Gomerio	» 116, 117, 119.
Guarrieri (de) Giacomo, Notaio	» 84.

Guidone (de) Bartolomeo	Pag. 176.
Guglielmo, Re	» 151.
Gullo Filippo	» 311.

**H**

Herbes (de) Flora	» 314.
Herbes (de) Petrolo	» 314.
Heredia (de) Sancio	» 355.
Humano, vedi Umano	» 238, 239.

**I**

Iandayduni Bernardo	» 332.
Isnardo, vedi Ysnardo	» 145, 146.
Iurba Nicolò, Notaio	» 212.

**L**

Labruzzo (de) Giacomo, Milite	» 244.
La Burci (de) Margherita	» 306.
La Burci (de) Nicolò	» 306.
Lamanca Guglielmo, Notaio	» 263.
Lamia (de) Nicolò	» 82, 83.
Lancia Antonella	» 194, 195.
Lancia (de) Antonio	» 130, 193, 194.
Lancia (de) Beltrando	» 166, 167.
Lancia (de) Blasco, Dottore in legge	» 41, 129, 130, 263.
Lancia (de) Corrado	» 118.
Lancia (de) Corrado, Milite, Segreto e Maestro Procuratore di tutta la Sicilia	» 331.
Lancia (de) Elisabetta Antonia	» 264.
Lancia Francesco	» 71, 193.
Lancia (de) Giacoma	» 182.
Lancia (de) Manfredi	» 51, 129, 130, 181, 182.
Lancia Natale, Maestro Notaio nell'Ufficio del Protonotaro del Regno	» 163, 270, 302.
Lancia (de) Nuccio	» 182, 183.
Lancia (de) Perruchio	» 118.
Lancia (de) Petruccio	» 130.
Lancia (de) Rinaldo	» 71, 72, 163, 164, 193, 194, 304, 305.
Lanuça (de) Giovanni, Vicerè, Presidente del Regno	» 12, 15, 21, 23, 26, 34, 35, 41, 59, 65, 72, 83, 96, 97, 130, 146, 152, 176, 180, 194, 209, 219, 228, 239, 245, 263, 273, 274, 275, 299, 310, 330, 340, 368.



Laurea (de) Elisabetta	Pag. 45.
Laurea (de) Nicolò	» 45, 46.
Laurea (de) Pietro Nicolò	» 47.
Lauria (de) Mattia	» 241.
Lauria (de) Vera	» 241.
Leo (de) Domenico, Notaio	» 263, 264.
Leopardo (de) Giovanni, Notaio	» 91.
Libiano (de) Altabella	» 34.
Libiano (de) Antonino	» 34.
Libiano (de) Antonio	» 34.
Libiano (de) Bernardo	» 33, 34.
Libiano (de) Bianca	» 34.
Libiano (de) Libiano	» 34.
Libiano (de) Mazullo	» 34.
Licata (de) Nicolò, Notaio	» 368.
Lignuvirdi Francesco, Procuratore ed Ambasciatore dell'Università di Ni- cosia	» 257.
Liori (de) Sancio Royz, Visconte di Galeano	» 98, 99, 276.
Lombardo (de) Bartolomeo, Dottore in legge	» 335.
Lombardo (de) Giorgio	» 160.
Lombardo (de) Vincenzo	» 161.
Longo Giovanni, Dottore in legge	» 299, 300.
Loreto (de) Pietro	» 37.
Ludovico, Duca di Navarra (1)	» 179.
Ludovico, Re	» 48, 70, 72, 181, 200, 210, 225, 226, 227, 244, 272, 290, 306, 341, 333.
Luna (de) Giovanni, Presidente del Re- gno	» 15, 21, 36, 47, 56, 69, 70, 74, 76, 86, 98, 117, 120, 130, 139, 144, 150, 156, 161, 193, 195, 209, 212, 213, 216, 228, 234, 238, 251, 254, 255, 257, 258, 262, 264, 268, 269, 277, 280, 329, 331, 332, 335, 369.
Lupaldo, Arcivescovo di Marino	» 179.

### M

Maccaruni Lorenzo	» 301.
Maestro Giustiziere e Presidente del Re- gno	» 171, 263.

---

(1) Si corregga di *Baviera*, risultando il nome di Ludovico di Baviera da un diploma coevo, segnato col n. 25 del Tabulario della Magione conservato in questo Archivio.

Maggiore (de) Clemente, Notaio	Pag. 172.
Maggiore (de) Filippo, Notaio	» 24, 78.
Magna (de) Giovanni	» 208, 210, 211, 212.
Magna (de) Giuliano, Milite	» 206, 208.
Magna (de) Gualtiero	» 206, 207, 208, 210.
Magna (de) Nicolia	» 208, 210, 212.
Maij Giovanni, Dottore in legge	» 299, 300.
Maisano Pietro, Notaio	» 365.
Malferit (de) Tommaso	» 299, 300.
Manfredi, Re	» 60.
Mangiavacca Costanza	» 173, 174.
Mangiavacca Francesco	» 173.
Mangiavacca Giovanni	» 99.
Mangiavacca Guijone	» 56.
Mangiavacca Manfredo	» 173, 174, 177.
Mangiavacca Nicolò	» 173, 174-5, 177, 178.
Maniardo Gemmo	» 360.
Maniscalco (de) Bartolomeo	» 218.
Maniscalco (de) Gentile	» 218.
Maniscalco (de) Guglielmo	» 133, 134, 218.
Maniscalco (de) Riccardo	» 218, 219.
Manjanti Bonamico	» 242, 281.
Manjanti Margherita	» 242.
Manjanti Tura	» 242.
Manyanti Girolamo, Notaio	» 251, 252.
Marchesano (de) Giovanni	» 368, 369.
Marchisio (de) Anna	» 36.
Marchisio (de) Antonella	» 24.
Marchisio (de) Beatrice	» 47.
Marchisio (de) Francesco	» 36.
Marchisio (de) Giovanni Sallimbeni	» 28, 29, 31.
Marchisio (de) Marchisio Sallimbeni	» 24, 25, 28, 31.
Marchisio (de) Sallimbeni	» 28, 29, 292,
Marchisio (de) Sallimbeni, Barone e Signore della terra e castello di Scalletta	» 25, 188, 189.
Marchisio (de) Sallimbeni, Dottore in legge, Protonotaro	» 23, 24, 25, 27, 30, 31, 32, 52, 53, 188, 189, 190, 191.
Marco (de) Giovanni, Notaio	» 74.
Marescalco (de) Bertolotto	» 134, 135.
Marescalco (de) Gentile	» 134, 135.
Marescalco (de) Guglielmo	» 135.
Marescalco o Maniscalco Nicolò	» 141, 142.
Maria, Regina	» 5, 10, 22, 27, 34, 37, 38, 43, 53, 57, 58, 78, 79, 80, 81, 82, 100, 104, 105, 106, 118, 121, 128, 138, 141, 146, 148, 158, 162, 164, 166, 169, 170, 193, 226, 278, 293, 365, 367.

Marino (de) Bartolomeo	Pag. 179, 180.
Marino (de) Bella	» 78, 79.
Marino (de) Guglielmo	» 179.
Marino (de) Matteo	» 178, 180, 181.
Marino (de) Pietro	» 78, 180.
Mariscalco (de) Damiana	» 141, 142, 143.
Mariscalco (de) Riccardo, Milite	» 141, 142.
Marotta (de) Manfredi	» 226.
Marraffo (de) Giovanni, Notaio	» 197.
Martino, Re	» 5, 6, 9, 10, 11, 13, 16, 18, 19, 22, 24, 26, 27, 28, 30, 34, 37, 38, 43, 53, 57, 58, 60, 78, 79, 80, 81, 82, 91, 92, 100, 104, 105, 106, 107, 109, 111, 116, 118, 121, 122, 128, 138, 141, 143, 148, 158, 162, 164, 166, 169, 170, 177, 178, 180, 182, 189, 191, 201, 271, 273, 277, 278, 279, 281, 292, 293, 306, 309, 311, 313, 314, 315, 317, 318, 319, 322, 327, 333, 336, 339, 341, 344, 345, 361, 363, 367.
Mastrantonio (de) Elisabetta Antonia	» 263-4.
Mastrantonio (de) Salvatore, Barone di Iaci	» 263-264.
Mauro (de) Filippo	» 208, 210, 211.
Mauro (de) Giovanni	» 133, 134.
Mauro (de) Nicolia	» 208, 209, 210.
Mauro (de) Pietro	» 290, 291, 302.
Mauro (de) Stefano	» 133, 134.
Mauro (de) Violante	» 209.
Maya (de) Bernardo, frate dell'Ordine dei Predicatori	» 242, 243.
Maza (de) Lansa	» 313.
Medico (de) Giovanni	» 168.
Medico (de) Nicolò	» 168.
Medico (de) Pietro, Notaio	» 39, 192.
Messina (de) Giovanni Ferdinando	» 143.
Messina (de) Macalda	» 143.
Mignia (de) Artale	» 98.
Minutellis (de) Francesco	» 265.
Mirone Pietro, Algozziro	» 81.
Mirulla Bitto	» 194.
Mirulla Tommaso	» 194, 195.
Modica (de) Giovanni	» 97.
Modica (de) Perrello	» 97, 98.
Monroy (de) Gonsalvo	» 116, 118, 119.
Montalto (de) Ludovico	» 268.
Montaperto (de) Bartolomeo	» 327.
Montecateno (de) Antonino, Conte d'A- dernò	» 359.

Montecateno (de) Antonio	Pag. 80.
Montecateno (de) Antonio, Ammiraglio	» 278, 279.
Montecateno (de) Beatrice	» 109.
Montecateno (de) Gian Tommaso	» 359.
Montecateno (de) Giovanni	» 83, 84, 87, 109, 111, 113, 170, 278, 358, 359, 360, 361.
Montecateno (de) Giovanni, Conte d'Adernò	» 221, 222, 223, 348, 349.
Montecateno (de) Guglielmo, Conte d'Adernò	» 359.
Montecateno (de) Guglielmo Raimondo, Conte d'Adernò	» 359, 360, 361.
Montecateno (de) Guglielmo Raimondo, Conte d'Aidone	» 222.
Montecateno (de) Guglielmo Raimondo, Marchese di Malta	» 37, 109, 110, 111, 167, 169, 278, 349, 350.
Montecateno (de) Matteo	» 84, 109, 113, 278.
Montecateno (de) Pietro	» 278.
Montecateno (de) Raimondo	» 88.
Montecateno (de) Simone	» 278, 279, 280.
Montecateno (de) Ugo, Vicerè	» 36, 62, 65, 66, 79, 120, 121, 137, 170, 172, 187, 188, 192, 194, 200, 228, 245, 251, 264, 269.
Monteleone (Conte di), Vicerè	» 150.
Monterosso (de) Berengario	» 240, 241.
Monterosso (de) Bernardo Raimondo	» 240, 241.
Montesereno (de) Raimondo	» 33.
Moscato Giacomo	» 241.
Muzicato (de) Filippo	» 23.
Muzicato (de) Garita	» 23.
Muzicato o Muzicato (de) Gian Tommaso	» 7, 8.
Mule (de) Pietro	» 308.
Muleti Matteo Giacomo	» 222.
Muleti Paolo	» 221, 222.
Muntodron (de) Beltrando	» 201.
Musco (de) Giuliano, Notaio	» 90.
Mustica (de) Blasco, Notaio	» 193.
Muzzicato (de) Giovanni	» 239, 240.

**N**

Naso (de) Roberto	» 326.
Nassari (de) Antonio	» 229, 230, 233.
Nassari (de), <i>alias</i> de Perricono, Bonsignore	» 229, 230, 231, 235, 236.
Nassari (de) Catarinella	» 231, 232.

Nassari (de) Giovanni	Pag. 229, 233.
Nassari (de), <i>alias</i> de Perricono, Gregorio »	230, 231, 232, 233.
Nava (de) Giovanna	» 54, 55.
Nava (de) Gutterra	» 54.
Nava (de) Margherita	» 55.
Navarra Andrea, Algozziro Regio	» 74, 75, 76.
Niffe (de) Bertoldo, Protonotaro dell'Aula Imperiale e Vice Signore di Trento »	179.
Noaria (de) Antonio	» 164.
Noto (de) Lorenzo, Notaio	» 37, 125, 138, 173, 182.

## O

Omodeo Francesco, Notaio	» 225, 226.
Omodeo Guglielmo	» 226, 227, 228.
Omodeo Margherita	» 225.
Omodeo Nicolò	» 225, 227.
Omodeo Simone	» 226, 227, 228.
Oriolis (de) Berengario	» 182, 183.
Oriolis (de) Giacoma	» 182.
Oriolis (de) Isabella	» 182.
Oriolis (de) Manfredi	» 182, 183, 362.
Oriolis Pietro	» 182, 183.
Oriolis Pietro Sancio	» 183.

## P

Palazzi (de) Luisa	» 23, 27.
Palizzi (de) Francesco	» 271, 272.
Palizzi (de) Lucca	» 83, 86, 87, 109.
Palizzi (de) Maria	» 109.
Palizzi (de) Matteo, Conte	» 109, 110, 113.
Pamp'ona (de) Costanza	» 81.
Pamplona (de) Ludovico	» 81.
Pancaldo (de) Armano	» 151, 152.
Pancaldo (de) Enrico	» 41, 152.
Pancaldo (de) Filippo, Notaio	» 98.
Pancaldo (de) Girolamo	» 44.
Pancaldo (de) Giuliano	» 152.
Pancaldo (de) Giulio	» 43, 152.
Pancaldo (de) Pietro	» 152.
Pandolfo (de) Enrico	» 195.
Papaleone (de) Bartolomeo, Giudice	» 57, 58.
Papaleone (de) Pagana	» 57, 58.
Parisio (de) Bartolomeo, Giudice della Sacra Regia Coscenza »	211.
Parisio, <i>alias</i> Vayro, (de) Adario	» 172.

Parasio, <i>alias</i> Vayro, (de) Giovan Guglielmo	Pag. 171.
Parasio, <i>alias</i> Vayro, (de) Giovan Luigi	» 171.
Parasio, <i>alias</i> Vayro, (de) Ludovico	» 171, 172.
Parasio, <i>alias</i> Vayro, (de) Margherita	» 171, 172.
Parasio, <i>alias</i> Vayro, (de) Nicolò	» 171, 172.
Paruta (de) Ruggiero, Vicerè	» 243.
Passia (de) Antonella	» 323.
Passia (de) Giaimo	» 322, 323.
Passia (de) Giovan Manfredo	» 323.
Paternò (de) Alfonso	» 310.
Paternò (de) Alvira	» 38.
Paternò (de) Angelo Francesco	» 98.
Paternò (de) Antonio	» 309.
Paternò, Barone (di)	» 8.
Paternò (de) Benedetto	» 38.
Paternò (de) Benedetto Antonio	» 40.
Paternò (de) Francesco	» 380.
Paternò (de) Giovannella	» 97, 98.
Paternò (de) Giovanni	» 29, 310.
Paternò (de) Giovanni, Arcivescovo di Palermo, Presidente del Regno	» 333.
Paternò (de) Nicolò, Secreto di Catania	» 37, 38, 39, 40, 399.
Paternò (de) Rodrigo	» 360.
Patti (de) Angela	» 346.
Patti (de) Ansaldo	» 186, 188, 189, 190.
Patti (de) Antonio	» 149.
Patti (de) Blasco	» 150.
Patti (de) Eufemia	» 149.
Patti (de) Ginevra	» 287, 346.
Patti (de) Giovannello	» 149, 186.
Patti (de) Giovanni	» 186, 187, 317.
Patti (de) Giovan Matteo	» 149, 150.
Patti (de) Giovannuccio	» 148, 149.
Patti (de) Nicolò, Barone e Capitano di Scaletta	» 23, 24, 27, 30, 52, 53.
Patti (de) Pellegrino, Vice Maestro Giustiziere	» 149, 184, 185, 187, 188, 189, 190.
Patti (de) Sicilia	» 150.
Patti (de) Tommaso	» 150.
Patto (de) Eufemia	» 233.
Pellicano Raimieri, Notaio	» 250.
Perbollit (de) Antonio	» 298.
Perbollit (de) Raimiera	» 297, 298.
Perdicario (de) Federico, Dottore in legge	» 263.
Perdicario (de) Giovanni, Notaio	» 273.
Perdicario (de) Lattanzio	» 263.
Peralta (de) Guglielmo	» 36, 152.

Peregrino (de) Antonia	Pag. 345.
Peregrino (de) Antonio, Notaio	» 135.
Peregrino (de) Dionisio	» 845.
Peregrino (de) Maria	» 345.
Pericono, <i>alias</i> Nassari, (de) Antonina	» 224.
Pericono, <i>alias</i> Nassari, (de) Bonsignore	» 234.
Pericono, <i>alias</i> Nassari, (de) Francesco	» 234.
Pericono, <i>alias</i> Nassari, (de) Gregorio	» 230, 231.
Perillos (de) Raimondo, Vicerè	» 244.
Perricone (de) Bernardino, Procuratore	» 56.
Pervitale (de) Pietro	» 49.
Pietro, Cancelliere del primogenito di Aragona	» 114.
Pietro, Infante, Vicerè, Vicario Generale e Luogotenente Generale	» 17, 116, 204, 205, 219, 355, 358.
Pietro, Re	» 42, 184, 195, 206, 207, 208, 210, 215, 216, 241, 271, 272, 312, 313, 353.
Pietro, Promotore	» 318.
Pignatelli Ettore, Conte di Monteleone, Luogotenente Generale del Regno di Sicilia	» 44, 124, 153, 201, 252.
Pignero (de) Antonio	» 262.
Pignero (de) Eufemia	» 262.
Pignero (de) Melchiorre	» 262.
Pignero (de) Simone	» 262.
Platamone (de) Antonella	» 24, 25.
Platamone (de) Antonio	» 237, 250.
Platamone (de) Battista, Vicerè e Presidente del Regno	» 26, 323, 354.
Platamone (de) Giovannella	» 237, 238, 250.
Platamone (de) Giovanni Ferdinando	» 237, 238, 250, 251, 252.
Platamone (de) Giulio Sanzio	» 24, 25.
Pollicinis (de) Gaspare	» 176.
Poncio (de) Guglielmo	» 158.
Porco (de) Bartolomeo	» 68, 69.
Porco (de) Francesca	» 172.
Porco (de) Genojello	» 57, 58, 59.
Porco (de) Girolamo	» 59, 69.
Porco (de) Mannuchella	» 70.
Porco (de) Mannucchia	» 47, 69.
Porco (de) Nicoletta	» 59.
Porco (de) Nicolò	» 58, 59.
Porco (de) Pietro	» 61, 67, 68, 69.
Porto (de) Girolamo	» 219.
Porto (de) Mazullo	» 218.
Porto (de) Salvatore	» 218.
Porto (de) Salvo	» 219.
Pozzo (de) Filippo	» 141, 142, 143.
Pozzo (de) Gugliotta	» 141.

Pozzo (de) Pietro	Pag. 143.
Pozzuoli (de) Giacomino	» 88.
Prades (de) Giacomo	» 275.
Prancacis (de) Angelo, Notaio	» 268.
Presbitero Giacomo (de) Nicolò	» 341.
Prezioso (de) Giovanni	» 226, 227, 228.
Procida (de) Antonio, Milite	» 236.
Procida (de) Corrado, Milite	» 235, 236.
Protonotaro (de) Giovanni	» 197, 200.
Protonotaro (de) Nicolò	» 140, 196, 197, 198.
Protonotaro (de) Oliviero	» 197, 199, 200, 201.
Puiars Margherita	» 324.
Puiars Pietro	» 324.
Pujades Guglielmo, Vicere	» 152.
Pullicino Federico	» 175, 176.
Pullicino Maria o Eulalia	» 175, 176.

## R

Raineri (de) Bartolomea	» 151.
Rainieri (de) Bartolucio	» 147.
Rainieri (de) Chiara	» 147.
Rainieri (de) Giovanni	» 147, 148, 149, 150, 153, 156.
Rainieri (de) Macalda	» 147, 148.
Rainieri (de) Manna	» 148.
Rainieri (de) Pietro	» 148.
Rainieri (de) Romana	» 147.
Rainieri (de) Saracena	» 154.
Rainieri (de) Stefania	» 147.
Randisi (de) Giacomo, Notaio	» 160.
Requisenz (de) Bernardo, Vicere	» 324, 348.
Requisenz (de) Luigi	» 331.
Reggio (de) Antonio	» 304, 305.
Riccio (de) Gian Tommaso	» 212.
Riccio (de) Nicola	» 212.
Rigio (de) Costanza	» 322.
Rigio (de) Pietro	» 320, 321, 322, 323.
Rigio (de) Violante	» 322.
Rinaldo (de) Antonio	» 267.
Rinaldo (de) Nicolò	» 266.
Ristolo (de) Baldo	» 306.
Ristolo (de) Costanza	» 306.
Ristolo (de) Giovanni, Notaio	» 305, 306.
Ristolo (de) Margherita	» 306.
Ristolo (de) Nicolò	» 306.
Ristolo (de) Pietro	» 305, 306.
Rizari Giovannella	» 117, 119.
Rizari Pietro	» 117, 119.



Rizu Bernardino	Pag. 267.
Rizu Giovanni	» 211, 267.
Rizu Giovanni Antonio	» 267.
Rizu Giovan Nicolò	» 23.
Roberto, Conte di Loritello	» 179.
Rocca Giacomo, Scrittore regio, Procuratore del Fisco e del Real Patrimonio	» 232.
Rocca (la) Bernardino	» 150.
Rocca (la) Girolamo	» 201.
Rocca (la) Nicolò	» 251, 252.
Romano (de) Antonio	» 88.
Romano (de) Bartolomeo, Notaio	» 198.
Romano (de) Bella	» 78.
Romano (de) Cristoforo, Milite	» 88, 90, 236.
Romano (de) Floretta	» 77.
Romano (de) Francesco	» 26, 212.
Romano (de) Giordano	» 77, 78, 353.
Romano (de) Giovanni	» 241.
Romano (de) Giovan Antonio	» 89.
Romano (de) Giovan Benedetto	» 26, 362, 364.
Romano (de) Isolda	» 77, 78.
Romano (de) Margherita	» 77, 78.
Romano (de) Nicolia	» 242.
Romano (de) Nicolò	» 78.
Romano (de) Paolo	» 353.
Romano (de) Pietro	» 242, 351, 352, 353.
Romano (de) Tommaso	» 26, 88, 89, 288, 289, 363, 364.
Romano (de) Tommaso Matteo	» 366.
Romeo Raimondo	» 70, 71.
Rosso (de) Beatrice	» 173, 175, 177, 178.
Rosso (de) Damiano	» 191, 192.
Rosso (de) Enrico, Conte d'Aidone e Cancelliere del Regno	» 43, 82, 133, 134, 173, 174, 175, 177, 178.
Rosso Enrico, Milite, Maestro Razionale della Magna R. Curia	» 351.
Rosso (de) Giovanni	» 43.
Rosso Guglielmo	» 192, 274, 275.
Rosso Riccardo	» 43, 191.
Rosso (de) Rosso, Conte di Aidone, Maestro Razionale	» 207.
Ruggiero, Conte Normanno	» 103, 202, 203, 229, 231.
Rugulento (de) Filippo	» 302.
Rumbolo Giacomo	» 312, 313.
Rumbolo Matteo	» 312.
Rumbolo Pietro Giacomo	» 312.
Russo Pietro, Notaio	» 277.

S

Sabatino (de) Simone	Pag. 225.
Sabia Federico	» 256.
Sabia Nicolò	» 255.
Sabia Pietro	» 255.
Saccano (de) Giovanni	» 326, 327.
Sacco (de) Alvaro	» 246.
Sacco (de) Giliberto	» 246.
Salamone (de) Guglielmo, Notaio	» 257.
Salem (de) Barnaba	» 365.
Salem (de) Exemeno	» 355.
Salem (de) Margherita	» 365.
Sallimpipi Adoardo	» 216.
Sallimpipi Bartolomeo	» 216, 217.
Sallimpipi Beatrice	» 216.
Sallimpipi Filippo	» 216.
Sallimpipi Giovanni	» 216.
Saivaggio (de) Federico	» 309.
San Bartolomeo (de) Bartolomeo, Notaio	» 100.
San Marco (de) Filippo	» 32.
San Martino (de) Giovannello Ramon- detto	» 139.
San Martino (de) Nicolò Ramondetto, Dottore in legge	» 139, 140.
San Martino (de) Ramondetto	» 138, 139.
San Sepolcro (de) Cesare, Vice Portu- lano	» 341.
Sant'Angelo (de) Amico	» 40, 41, 116.
Sant'Angelo (de) Andrea	» 120.
Sant'Angelo (de) Blasco	» 39, 40, 41.
Sant'Angelo (de) Giacomo	» 40, 41.
Sant'Angelo (de) Giovannella	» 120.
Sant'Angelo (de) Margherita	» 116.
Sant'Angelo (de) Nicolò	» 116.
Santa Pace (de) Raimondo, Presidente del Regno	» 137, 156.
Santo (de) Brandò	» 317.
Sardini (de) Enrico	» 63.
Sardini (de) Giovanni	» 63.
Scalsio (de) Pietro	» 307.
Scarnona (de) Blasco	» 37, 39.
Sclafano (de) Matteo, Maestro Razionale della Magna Regia Curia, Milite, Luo- gotenente	» 196.
Serafinis, vedi Griso	» 209.
Serafinis (de) Matteo	» 221.
Serra Pietro	» 318.

Sicamino Ambrosiano	Pag. 203.
Sicamino Geraldo	» 203.
Sicamino Nicolò	» 203.
Sicamino Smiralda	» 203.
Sicamino Tuccio	» 203.
Signorino Blasco	» 334.
Sifrido, Arcivescovo di Magonza	» 179.
Sillito e de Baudo (de) Artale	» 275.
Sillito e de Baudo (de) Giovanni Antonio	» 275.
Simone, Arcivescovo di Palermo, Presidente del Regno	» 11, 13, 40, 71, 73, 74, 105, 129, 143, 145, 167, 169, 176, 198, 200, 217, 279, 286, 309, 368.
Sinibaldo (de) Ramondello	» 314.
Sollima Antonio, Notaio	» 36, 194.
Sorban Giacomo	» 260.
Sorban Giovanni	» 259.
Sorban Martino	» 258, 259.
Spatafora (de) Antonio	» 237, 247, 248, 249, 250.
Spatafora Bartolomeo	» 28, 155, 156.
Spatafora Berardo	» 102, 272, 273.
Spatafora (de) Bernardina	» 65, 66.
Spatafora (de) Corrado	» 176.
Spatafora (de) Dulce	» 247, 248, 249.
Spatafora (de) Francesco	» 62, 63, 72.
Spatafora (de) Federico	» 62, 65, 69, 71, 120, 121, 281, 335.
Spatafora (de) Gerotta	» 226, 227, 228.
Spatafora (de) Giovannello	» 122, 228, 237, 250.
Spatafora Giovanni	» 155, 157, 228, 237, 238, 250.
Spatafora Giovan Michele	» 122, 228.
Spatafora (de) Giov. Pietro	» 66.
Spatafora (de) Girolamo	» 65, 66.
Spatafora (de) Margaritella	» 176, 177.
Spatafora (de) Marino	» 155.
Spatafora (de) Pietro	» 155.
Spatafora (de) Rinaldo	» 156, 226, 227, 228.
Spatafora (de) Ruggiero, Barone di Roccella	» 103, 121, 155, 228, 247, 248, 250.
Spatafora (de) Ruggierotto	» 236, 237, 248, 249, 250.
Spatafora (de) Russo, Conte, Presidente del Regno	» 155, 157.
Spatafora (de) Sallimbeni	» 237, 250.
Spatafora Tommaso	» 173, 272, 273.
Speciale (de) Nicolò, Vicerè	» 58, 60, 64, 203, 215, 221, 295, 359.
Spes (de) Gaspare, Vicerè	» 8, 34, 40, 86, 93, 95, 126, 137, 138, 199, 204, 230, 237, 253, 254, 298.
Spina (de) Costanza	» 71.
Spina (de) Francesco, Giudice, Dottore in legge	» 71, 72.

Spinis (de) Costanza	Pag. 173, 174, 177.
Spinis (de) Giacomo	» 173.
Statella Accursio	» 175, 177.
Statella Agata	» 35.
Statella Anna	» 36.
Statella Enrico	» 35.
Statella Ercole	» 121.
Statella Francesco	» 121.
Statella Giovanni	» 174, 175, 177.
Statella Giovanni Enrico	» 36.
Stayti Giglio	» 294.
Stayti Giovanni	» 35, 36, 293, 294.
Stayti Nicolò	» 293, 294.
Stinca (de) Andriana	» 168.
Stinca (de) Lorenzo	» 168.
Strazza, vedi Andrea (de) Andrea	» 339.
Suria (de) Paolo	» 33.
Suria (de) Ruggiero	» 32, 33.

**T**

Taranto e de Gregorio (de) Anastasio	» 336, 337.
Taranto (de) Galvagno	» 106, 128.
Taranto (de) Giovanni	» 54.
Taranto (de) Guglielmo	» 106, 128.
Tornaimbene Laura	» 41.
Tornaimbene Margherita	» 40.
Tornaimbene Nicolò	» 40, 41.
Tornaimbene Nicolò, Barone di Castania	» 285.
Tornellis (de) Andreotta	» 180.
Tornellis (de) Mazullo	» 180.
Tornellis (de) Odoardo	» 180.
Tornellis (de) Pietro	» 180, 181.
Torneri (de) Stefano	» 334.
Torres (de) Martino, Vicerè	» 149.
Tranchida Nicolò	» 201.
Traversa (de) Giovanni	» 322, 323.
Trento (de) Manfredo	» 346.
Trovato (de) Blasco	» 44.
Tudisco (de) Antonio	» 168.
Tudisco (de) Costanza	» 168.
Turano (de) Giovanni, Notaio	» 141.
Turtureto Francesco	» 200, 201.
Turtureto (de) Galvagno	» 5, 6, 7.
Turtureto Giovanni	» 127, 128, 129, 286.
Turtureto (de) Lucia	» 7.
Turtureto (de) Matteo	» 97, 200.

Turtureto (de) Nicolò	Pag. 200.
Turturejo (de) Paola	» 286.
Turtureto (de) Simone	» 200.
Turtureto (de) Tommaso, Maestro R- gionale	» 7, 93, 96, 97, 127, 128, 200

## U

Umano (de) Angelo	» 238.
Umano (de) Bartolomeo, Milite	» 238.
Umano (de) Giovanni Antonio	» 239.
Umano (de) Tuccio	» 239.
Urso (de) Antonio	» 245, 246.
Urso (de) Gilforte	» 245, 246.
Urso (de) Giliberto	» 246.
Urso (de) Nicoletta	» 245.
Urso (de) Sicilia	» 245.

## V

Valguarnera (de) Giovanni, Presidente del Regno	» 137, 156.
Valguarnera (de) Simone	» 80, 81, 82.
Valguarnera (de) Vitale	» 80, 81, 82.
Vallono (de) Giovannuccio	» 148.
Vallono (de) Margherita	» 148.
Vanchez Giovanni, Procuratore del Re- gio Fisco	» 247.
Vaquedano (de) Didaco	» 238.
Vayro, vedi Parisio	» 171, 172.
Velasquez (de) Ferdinando, Vicerè	» 84, 87, 119.
Venetico (de) Rainieri	» 59, 62.
Venetico (de) Razuna	» 59, 62.
Venetico (de) Simio	» 59, 62.
Venetico (de) Simone	» 59, 62.
Ventimiglia (de) Antonio, Ammiraglio e Signore della terra di S. Mauro	» 126, 127.
Ventimiglia (de) Antonio, Conte di Col- lesano e Signore di Petralia, Came- rario, Consigliere e Familiare regio	» 15, 16, 17, 18, 19, 20, 22, 121, 125, 277, 315.
Ventimiglia (de) Antonio Umberto	» 20.
Ventimiglia (de) Cicco	» 277, 278, 280.
Ventimiglia (de) Elisabetta	» 45.
Ventimiglia (de) Emmanuele, Conte di Geraci	» 270.

Ventimiglia (de) Enrico , Conte di Geraci	Pag. 275, 277, 278, 279, 280, 282.
Ventimiglia (de) Federico	» 125, 176, 224, 270.
Ventimiglia (de) Filippo	» 265.
Ventimiglia (de) Francesco , Conte di Geraci e di Collesano	» 45, 100, 101, 121.
Ventimiglia (de) Francesco Umberto, Milite	» 15, 16, 17, 18, 19, 20.
Ventimiglia (de) Giovanni, Marchese di Geraci	» 181, 279, 280, 282.
Ventimiglia (de) Giovanni Silvestro	» 21.
Ventimiglia (de) Iannella	» 20, 21.
Ventimiglia de Luciano	» 122.
Ventimiglia (de) Margherita	» 176, 224.
Ventimiglia (de) Paolo	» 279.
Ventimiglia (de) Perno	» 176.
Ventimiglia (de) Sigismondo	» 21.
Ventimiglia (de) Simone	» 265.
Vescovo di Cefalù	» 101.
Vescovo di Ilerda, Vicerè	» 49, 60, 63, 79, 135, 186, 191, 193, 197, 209, 215.
Vescovo di Mazzara	» 184.
Vice Segreto della terra di Paternò	» 6.
Villanova (de) Calcerando	» 104.
Vinchio (de) Antonio, Notaio	» 175.
Vitale (de) Enrico	» 49.
Vitale (de) Pietro	» 49.
Vitillino (de) Eximeno	» 368.
Vitillino (de) Giovanni	» 354, 367, 368.
Vitillino (de) Girolamo	» 368, 369.

**Y**

Ysuardo (de) Nicolò	» 145, 146.
---------------------	-------------

**Z**

Zafarana Domenico	» 43.
Zafarana Giorgio	» 43.
Zafarana Giovanna	» 43.

## AVVERTENZA

---

Alla fine del terzo ed ultimo volume de' *Capibrevi feudali* verrà pubblicato un *Indice Alfabetico* de' Feudatari dell'isola, cui venne nel corso di più secoli confiscato il patrimonio per delitto di fellonia contro la suprema potestà dello Stato.

A ciò ci ha indotto il convincimento, che con quest' altro corredo acquisterà maggior peso la nostra pubblicazione ne' riguardi della storia siciliana, durante il non breve periodo di anarchia che ne oppresse le forze, specie dal tempo dei Quattro Vicari fino alla venuta e al trionfo de' Martini. In siffatta guisa pensiamo, che alla storia legale, minuziosa e completa, intessuta dal Barbieri con meravigliosa esattezza, toccando di ciascun feudo le prime origini e le loro vicende fino a' primordi del secolo XVI, non verrà meno quel largo e sicuro indirizzo agli studiosi, cui abbiamo mirato nella scarsa misura delle nostre forze.

# INDICE DELLE MATERIE

## CONTENUTE NEL VOLUME

I.	Monte, ossia Poggio Mompileri—Allegazione .	Pag.	5
II.	Castello e feudi Pi.tra di Roma—Allegazione .	»	9
III.	Casali di Mirto, Crapisusu, Belmonte, Mirtiro, Fazana e Crapijusu . . . . .	»	13
IV.	Castello e feudo Rasuttano—Allegazione .	»	15
V.	Feudo Sisto . . . . .	»	23
VI.	Idem Captasi—Allegazione . . . . .	»	ivi
VII.	Idem Buono Albergo . . . . .	»	27
VIII.	Casali Attilia e Guidomandri e feudo Squitino	»	29
IX.	Feudo Bubutello . . . . .	»	32
X.	Feudi Bambali, o Bamina, e lu Casalotto .	»	35
XI.	Foresta Porta di Randazzo, Cartayno, Triayri, Li Bucti, Foresta vecchia, Mangraniti, Cartu- lari, Barrili, Acqua Santa, Saline di Nicosia	»	36
XII.	Feudo o gran Foresta lignaria . . . . .	»	41
XIII.	Idem o Foresta di Porta di Taormina . . . . .	»	45
XIV.	Idem o Foresta di Plati—Allegazione . . . . .	»	48
XV.	Foresta Revocato, o Giardinelli, e Mancuso .	»	51
XVI.	Foresta della terra di Traina, feudi Attilia e Gui- domandri . . . . .	»	ivi
XVII.	Regi Sollazzi della terra di Traina, Salamuni ed Ambula . . . . .	»	54



		Pag.
XVIII.	Feudo del Protonotaro . . . . .	56
XIX.	Idem di Venetico . . . . .	59
XX.	Idem di Mazarra . . . . .	63
XXI.	Feudi di Longarini e del Dritto di Tono ed Aman- faragio di Melazzo, ossia Dritti di naufragio.	67
XXII.	Feudo del Dritto di Tono di Melazzo . . . . .	70
XXIII.	Feudo di San Martino e suoi Casali, di S Anna, Paterniti, Grippari, Pichuli e Floccari . . . . .	ivi
XXIV.	Casale Carboni, feudo Miraglia, Casalotto Cana- chia . . . . .	73
XXV.	Casale e feudo di San Teodoro . . . . .	77
XXVI.	Feudi Rasicali o Rasvara, Murra, Caropipi . . . . .	80
XXVII.	Feudo Caropipi . . . . .	81
XXVIII.	Feudi Cartolaro, Comitayo o Abiglaturi . . . . .	82
XXIX.	Feudo Comitayo o Abiglaturi . . . . .	83
XXX.	Idem Cartolaro — Allegazione . . . . .	86
XXXI.	Feudo Chisaro — Allegazione . . . . .	87
XXXII.	Feudi Lando e S. Basilio . . . . .	90
XXXIII.	Feudo Lando — Allegazione . . . . .	93
XXXIV.	Feudi Pirago e Bitonti . . . . .	95
XXXV.	Feudo Pirago (metà) . . . . .	96
XXXVI.	Feudo, ossia Ospizio Bitonto . . . . .	97
XXXVII.	Idem di Aragona . . . . .	ivi
XXXVIII.	Idem Albano . . . . .	98
XXXIX.	Casali Asterio e Crimasta . . . . .	99
XL.	Feudo Albiri . . . . .	100
XLI.	Terra di Castiglione . . . . .	101
XLII.	Feudo Picati . . . . .	103
XLIII.	Terra di Novara . . . . .	108
XLIV.	Feudi Brieni e Frassino . . . . .	115
XLV.	Feudo Frassino . . . . .	118
XLVI.	Feudi Bonvassallo, Pictari, Pietra Intossicata, Foresta, o feudo Revocatu . . . . .	120
XLVII.	Baiulazione di Messina . . . . .	123
XLVIII.	Feudi Fisauli e Buonanotte . . . . .	124
XLIX.	Feudo Buonanotte . . . . .	126
L.	Idem Moyu . . . . .	127
LI.	Casale, o Terra di Librizzi o Villanova, Montagna di Sorrentino, Terra Giusaguardia . . . . .	130
LII.	Casale o feudo Furnari . . . . .	133
LIII.	Feudo Pardo . . . . .	138
LIV.	Idem Sularia . . . . .	140
LV.	Idem Gurafi Orientale . . . . .	141
LVI.	Terra Motta di Sparto, o Motta d' Affermo, e Feudo Spadaro . . . . .	144

LVII.	Feudo o Casale Placa Bayana . . . . .	Pag. 147
LVIII.	Feudi Serravalle, Bavuso, Sant'Andrea, Rocca- mauro Giovanni, Nissima, Poggio Rosso, Carri, Callichuri, Cannitu, Fichu, Gibilsкуро	» 151
LIX.	Feudo Pancaldo . . . . .	» ivi
LX.	Feudo Custi o Carcachi . . . . .	» 153
LXI.	Idem Pietra Rossa . . . . .	» 157
LXII.	Idem Francavilla, Oliveto della Curia, Molino in Mont'Albano . . . . .	» 158
LXIII.	Molino in Monte Albano . . . . .	» 162
LXIV.	Territorio Mendula, Jaci ossia Piano di li Menduli	» 163
LXV.	Territorio Cropani . . . . .	» 165
LXVI.	Giarretta, ossia Barca del fiume, della terra di Paternò . . . . .	» ivi
LXVII.	Feudi Canneto, Taruso, terra Revocata . . . . .	» 168
LXVIII.	Feudo Scaliti . . . . .	» 169
LXIX.	Feudi Fiume freddo e Gisterno . . . . .	» 171
LXX.	Feudo e Casale Granito, o Adernito . . . . .	» 173
LXXI.	Casale Masuca, Feudi Galtheri, S. Basilio Cucu- mene . . . . .	» 178
LXXII.	Feudo Luchito . . . . .	» 181
LXXIII.	Foreste di S. Giorgio, Grassetta, Porta Traina, Santa Lucia. <i>Marcati</i> di S. Giorgio, Tri- fontani, Chagi e Pietra . . . . .	» 184
LXXIV.	Foresta di S. Lucia. . . . .	» 190
LXXV.	Idem di Traina . . . . .	» ivi
LXXVI.	Feudo Piscopo . . . . .	» 191
LXXVII.	Idem Casalnuovo . . . . .	» 193
LXXVIII.	Idem Vigna di lu Re, con piccolo fondaco . . . . .	» 195
LXXIX.	Piccolo fondaco della Curia, chiamato Bitonti, e feudo Pirago. . . . .	» 199
LXXX.	Feudo Pirago . . . . .	» 201
LXXXI.	Feudo o Casale Sicamino, Bosco e Chiesa di S. Biagio, terre di Psilosmore . . . . .	» 202
LXXXII.	Salina di Siccamino . . . . .	» 204
LXXXIII.	Censi della Secrezia di Messina in onze 84 . . . . .	» 205
LXXXIV.	Censo di Messina di onze 70, Feudo Baccarati, Gabella della Statera di Messina . . . . .	» 206
LXXXV.	Feudo Scala . . . . .	» 213
LXXXVI.	Censo della città di Messina di onze 20, con- cesso a Falcono Falconi . . . . .	» ivi
LXXXVII.	Altro censo di onze 32, 20, 3, concesso a Bar- tolomeo di Ansalone . . . . .	» 216
LXXXVIII.	Censi di Messina di onze 23, concessi a Giro- lamo de Porto . . . . .	» 218

LXXXIX.	Feudi Catalamita e Sant'Andrea . . . . .	Pag. 221
XC.	Casali Trisina, Cundro o Fundro. Gabella del vino di Trisina. Fondaco di lu Mutu . . . . .	» 223
XCI.	Feudo Maletta . . . . .	» 225
XCII.	Feudo o Casale Nassari, Gabella di vendita del vino. Molino con vigna e casa in Mes- sina. . . . .	» 229
XCIII.	Feudo Cuto, <i>Marcati</i> di Schillita, o Xillica, e Buffali . . . . .	» 234
XCIV.	Feudo Mallardu . . . . .	» 238
XC.V.	Idem Valluni Salsu, Mandri Bianchi, Serri di li Alastri, Cutignusa. . . . .	» 239
XCVI.	Feudo Manchina con Bosco . . . . .	» 240
XCVII.	Idem Rivoya . . . . .	» 242
XCVIII.	Idem Rayneri. . . . .	» 244
XCIX.	Idem Nimiri . . . . .	» 246
C.	Feudi Colla Soprana o Montegrosso, Colla Sot- tana, territorio di la casa. Li Colli. Colla di misser Simuni. Colla di Jannuzzu . . . . .	» 247
CI.	Feudo Colla Soprana . . . . .	» 252
CII.	Casale o feudo Salizio . . . . .	» ivi
CIII.	Feudo Massaria o Criti . . . . .	» 253
CIV.	Idem Malpirtusu . . . . .	» 255
CV.	Idem Migeti, Territorio Pietra Algorri . . . . .	» 256
CVI.	Feudo Montegrosso . . . . .	» 257
CVII-	Feudi Marcu di Buternu, Marcu di Gradu . . . . .	» 258
CVIII.	Feudo Racalcatuni . . . . .	» 262
CIX.	Idem Casal Giordano . . . . .	» 263
CX.	Idem Vaccara o Montagna . . . . .	» 264
CXI.	Idem Camemi. Feudo Nugaydo con torre. <i>Mar-</i> <i>cato</i> Oglastro o <i>Marcato</i> Luglastro . . . . .	» 265
CXII.	Feudo Camemi . . . . .	» 266
CXIII.	Idem Vanella . . . . .	» ivi
CXIV.	Idem Miri . . . . .	» 267
CXV.	Feudi Xari, Collibassi . . . . .	» 268
CXVI.	Feudo Motalliga . . . . .	» 269
CXVII.	Terra e Castello di Sperlinga. Feudo Carbini . . . . .	» 270
CXVIII.	Terra di Cerami . . . . .	» 271
CXIX.	Feudo Castellar . . . . .	» 273
CXX.	Feudi Oglastro, Modalettu, Margi, Mannarini Suttani, Colla . . . . .	» 274
CXXI.	Feudo Malia . . . . .	» 275
CXXII.	Luogo della Curia detto Nezima . . . . .	» 276
CXXIII.	Feudi Luparachi e lu Piratu, con il piano e la Gabella della Cannata e <i>Camparia</i> delle	

		Pag.
	pecore e vacche, dipendenti dalla terra di Gratteri . . . . .	277
CXXIV.	Terra e Castello di Castelluccio . . . . .	ivi
CXXV.	Terra di Roccellá . . . . .	281
CXXVI.	<i>Marcati</i> Russumano e Cafèchi del Condrono . . . . .	282
CXXVII.	Marchesato di Geraci . . . . .	ivi
CXXVIII.	Terre di Assaro, Linguagrossa, Paternò, Castiglione, Isola di Pantelleria, Casale di S. Stefano di Briga . . . . .	283
CXXIX.	Feudi Migaydo e suo <i>Marcato</i> , chiamato Chauyemi, e li Russi. . . . .	284
CXXX.	Salina di Nicosia . . . . .	285
CXXXI.	<i>Chianca</i> (1) nel mercato di Messina . . . . .	286
CXXXII.	Altre <i>Chianche</i> site nella Giudecca di Messina . . . . .	287
CXXXIII.	Altre, presso la porta della Giudecca di Messina . . . . .	288
CXXXIV.	Altra in Messina . . . . .	290
CXXXV.	Gabella del Macello di Messina . . . . .	ivi
CXXXVI.	<i>Chianca</i> nel Macello di Messina . . . . .	291
CXXXVII.	<i>Chianche</i> nel Macello di Messina . . . . .	ivi
CXXXVIII.	<i>Chianca</i> in Messina . . . . .	292
CXXXIX.	Idem . . . . .	ivi
CXL.	Due <i>Chianche</i> in Messina . . . . .	293
CXLI.	Idem . . . . .	ivi
CXLII.	Altra in Messina . . . . .	294
CXLIII.	Altre tre nella spiaggia del porto di Messina . . . . .	295
CXLIV.	Castello di Capo d'Orlando . . . . .	296
CXLV.	Feudo della Gabella, ossia dritto del rotolo delle carni macellate di Messina . . . . .	297
CXLVI.	Territori Ortalicii, <i>alias</i> Pantani, e Fauzuni di Mistretta . . . . .	299
CXLVII.	Casa e vigna in S. Lucia . . . . .	300
CXLVIII.	Pezzi di terreno in Messina . . . . .	301
CXLIX.	Reddito della Gabella dei Macelli di Messina . . . . .	302
CL.	Molino Mazainpedi. . . . .	ivi
CLI.	Quattro aratati di terra in Traina . . . . .	303
CLII.	Due molini di Jaci. . . . .	304
CLIII.	Uffici del Notariato della dogana del mare di Messina . . . . .	305
CLIV.	Due <i>Chianche</i> concesse a Pietro Scalisi in Messina . . . . .	307

(1) Questa voce, ancor viva nel nostro dialetto, indica il Banco dove dividesi e vendesi la carne. Spesso, come in questa concessione, il dritto di vendita era congiunto a quello del macellare.

CLV.	Gabella del <i>mercato ed erranti</i> della terra di Randazzo concessa a Damiano Ceci . . . . .	Pag. 307
CLVI.	<i>Chianca</i> concessa a Pietro di Mule in Messina . . . . .	» 308
CLVII.	Gabella della Dogana di Catania . . . . .	» 309
CLVIII.	Molino e Vigne in Castoreale . . . . .	» 311
CLIX.	Ufficio del Notariato del Fondaco e della Statera della riva di Messina . . . . .	» 312
CLX.	Molino di <i>Inneso</i> di Paternò . . . . .	» 313
CLXI.	Pezzi di terreno in Jaci . . . . .	» 314
CLXII.	Saline della Salinella in Petralia Soprana . . . . .	» 315
CLXIII.	Dei Regii Sollazzi, e di quello chiamato <i>Castagneto</i> dipendente dalla Curia in Messina . . . . .	» 316
CLXIV.	Assegnamento di 40 onze sopra la Segrezia della terra di Randazzo . . . . .	» 319
CLXV.	Terra e castello Liveri con Tonnara . . . . .	» 325
CLXVI.	Casali di S. Stefano di Brica . . . . .	» 326
CLXVII.	Salina nel feudo di Raffadale . . . . .	» 327
CLXVIII.	Salina di San Teodoro nel mare di Marsala, e <i>Tono di la Grutta Malfitana</i> nel mare di Trapani . . . . .	» 328
CLXIX.	Salina nel luogo di Cataldo, e vigna di li Parrini, di Marsala . . . . .	» ivi
CLXX.	Salina di li Bilichi . . . . .	» 329
CLXXI.	Salina in Marsala . . . . .	» ivi
CLXXII.	Salina fra Trapani e Marsala . . . . .	» 330
CLXXIII.	Salina nel mare di Trapani, di Giacomo Fardella . . . . .	» 331
CLXXIV.	Saline in Trapani e Marsala . . . . .	» ivi
CLXXV.	Salina nel luogo detto <i>Marinella</i> . . . . .	» 332
CLXXVI.	Saline <i>li Bucchichelli, alias</i> Deporto, in Trapani . . . . .	» 333
CLXXVII.	Salina nel Pantano grande del Faro di Messina . . . . .	» 334
CLXXVIII.	Salina nel braccio del mare di S. Rainieri di Messina . . . . .	» 335
CLXXIX.	Saline di Nicosia . . . . .	» 336
CLXXX.	Molino di Traina . . . . .	» 338
CLXXXI.	Caricatoio di Caronia . . . . .	» ivi
CLXXXII.	Gabella del vino del Casale di Mascali . . . . .	» 339
CLXXXIII.	Rendita di onze 6 sopra il Casale di S. Stefano di Brica . . . . .	» ivi
CLXXXIV.	Caricatoio delle acque dolci . . . . .	» 340
CLXXXV.	Ufficio delle carceri dei valli di Castrogiovanni e Demina . . . . .	» 341
CLXXXVI.	Terre <i>di la curusa</i> in Jaci . . . . .	» 342
CLXXXVII.	Due <i>Chianche</i> con magazzino in Messina . . . . .	» 343
CLXXXVIII.	Isola Comuni, o pezzi di terreno in Jaci . . . . .	» 344

CLXXXIX.	Censi di Randazzo. . . . .	Pag.	344
CXC.	Ufficio del Portulanotto di Lentini e Bruca .	»	345
CXCI.	Tonnara dal capo d'Orlando sino al capo Monjoy. Tono ossia Palamidario . . . . .	»	346
CXCII.	Reddito di onze 24 sopra la Assisa del quar- tuccio del vino nel Casale di Mascali . . . . .	»	347
CXCIII.	Reddito di onze 50 sopra il Caricatoio di Mon- techiario . . . . .	»	ivi
CXCIV.	Rendita di onze 184 sopra i porti di Catania e del Regno, ovvero sopra le scadenze ..	»	348
CXCV.	Reddito di onze 20 sopra le scadenze, coll'obbligo di pagare tari uno per onza in ogni anno.	»	350
CXCVI.	Gabella del Vino di Catania . . . . .	»	354
CXCVII.	Gabella della <i>Caxia</i> (misura) del vino della vigna di Nessima di Catania . . . . .	»	355
CXCVIII.	Gabella della <i>Caxia</i> del vino della vigna <i>di la picagna</i> di Catania . . . . .	»	356
CXCIX.	Reddito di onze 115 sopra la Gabella del vino di Catania, e di onze 10 sopra quella del vino del casale di Mascali fuori Catania . . . . .	»	358
CC.	Ordinazione di re Martino sui ducati e fiorini d'oro . . . . .	»	361
CCI.	Molini e Paratori nel feudo Comiso, o di Fontana fredda . . . . .	»	362
CCII.	Tonnara nel feudo Abiglaturi. . . . .	»	ivi
CCIII.	Ufficio della Castellania, ossia dell'Alcaide del castello di S. Alessio . . . . .	»	363
CCIV.	Ponte del Caricatoio del mare di Catania . . . . .	»	365
CCV.	Idem della marina di Messina . . . . .	»	366
CCVI.	Ufficio del Maestro Notaio di Catania . . . . .	»	367
Indice alfabetico dei Feudatari e dei Pubblici Uffiziali che ri- corrono nel volume . . . . .			
Avvertenza . . . . .			








89007240799




b89007240799a



89007240799



b89007240799a



89007240799



b89007240799a